

3 2044 097 721 336


VE
RI
TAS

ITALY

PRAELECTIONES

IN TEXTUM IURIS CANONICI

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS

IN SCHOLIS PONT. SEM. ROM. HABITAE

A

MICHAELE LEGA SAC.

SS. D. N. LEONIS PP. XIII CUBICULARIO AD HONOREM
IN CURIA ROMANA ADVOCATO
ET D. SECRETARII S. CONG. CONCILII AUDITORE

**DE IUDICIIS CRIMINALIBUS IN GENERE ET IN SPECIE
DE DELICTIS ET POENIS PRAEMISSO TRACTATU**

Lib. II. - Vol. III.

ROMAE
TYPIS VATICANIS
—
1899

LIBER II.

DE IUDICIIS CRIMINALIBUS IN GENERE ET IN SPECIE; DE DELICTIS ET POENIS PRAEMISSO TRACTATU

PROOEMIUM

1. Antequam de iudiciis criminalibus agere assumamus, iuxta ordinem nobis praestitutum, de delictis et poenis aliquid nobis disserendum est. Quamvis enim iudicia criminalia, in sua ratione, consistant omnino seiuncta a tractatu de delictis et poenis, nihilominus tum delicti tum poenae notionem proxime subaudiunt, quippe penitus inserviunt poenarum legitimae executioni ad delicta compescenda. Siquidem tota iuris criminalis vis et auctoritas continetur in *triplici* obiecto; scilicet in ferendis legibus quarum violatio est DELICTUM ; in coercendis delictis per legitimas POENAS; in exercendis IUDICIIS quibus factum comprobatur criminosum in suis adiunctis *moralibus* et *materialibus*, ut ei congruae applicentur poenae.

2. Item poena est terminus relativus *ad delictum,* etsi in sua natura a delicto ita discrepet, uti deordinatio ab ordinis restauratione. At haec necessaria relatio adeo intima est ut uno tractatu de delictis et poenis aptissime fiat disquisitio, tum *generica* ad utrorumque naturam abstracte dispiciendam, tum *specifica* ad singula delicta et ad singulas poenas explicandas.

Etenim in ordinatione nostrarum Scholarum nullum alium obtinet locum haec tam magni ponderis tractatio, cui modo satisfacere aggredimur, apprime tamen perspecta naturali distinctione inter unum et aliud genus tractationis.

3. Quamobrem exinde nullum logicae notionum ordinationi fiet praeiudicium, siquidem horum tractatuum obiecta arctissime inter se connectuntur, proindeque uno simul discursu comprehensa et uno veluti sub aspectu explicata, magis perspicua fiunt et mutua luce collustrata intellectu faciliora sunt.

4. Ordo tractationis ex ipsis materiae visceribus erumpit. Etenim in primis agendum est *de delictis in genere;* quia vero ex delicti positione exoritur necessitas poenae, deinde *de poenis in genere* disserendum erit. - In poenarum autem congruam applicationem incumbunt iudicia criminalia; namque uti iudicia civilia suum nanciscuntur fundamentum seu *obiectum* in *actione civili* seu in persecutione alicuius iuris sive personalis sive realis; ita iudicia criminalia intendunt, quasi suum obiectum, poenae applicationem ad crimina expianda.

Proinde recedimus ab ordine *legali;* quoniam in *Lib. V. Decretalium* in primis agitur de processu iudiciali, postea de delictis et poenis. - At hic tractationis ordo non est *logicus;* namque ordinatio processus iudicialis consentanea esse debet systemati poenarum; quippe istud procedit ab ea auctoritate quae antea edit leges poenales, has munit sanctione poenarum, et demum, pro indole suae potestatis punitivae, ordinat certam criminum *iudicialem* cognitionem ad poenarum applicationem. Quare ordo iudicialis consequitur et exprimit ordinationem et poenarum rationem.

Tractatio *generica* de *delictis* et *poenis* alteram excipiet tractationem in qua singulae *species* explicantur tum *poenae* tum *delicti.* - At de variis poenarum speciebus antea agendum erit quam de singulis delictis, quia haec cognosci debent potissime ratione poenarum, quibus mulctantur. Iamvero iudicia quoque criminalia, non secus ac civilia, pertractanda sunt tum *in genere* tum *in specie;* quare *in secunda* parte huius libri sermo erit *de iudiciis criminalibus in genere*, in *tertia* parte *de iudiciis criminalibus in specie.* - Nonnulla enim iudicia *specialem* induunt

formam, vel ex peculiari tribunalis ordinatione, utputa ex speciali competentia et agendi ratione Congregationis S. Officii, vel ex ipsa subiecta materia, veluti in decretis *ex informata conscientia* et in causis matrimonialibus. Iamvero istae *speciales* procedendi formae evolvuntur in *tertia* parte huius libri. En tractationis ratio et distributio.

LIBRI II.

PARS I.

De delictis et poenis.

TITULUS I.

DE DELICTIS IN GENERE.

Summarium. — 5. Notioni criminis praemittenda est inquisitio de competentia poenali Ecclesiae - 6. Differentia quae intercedit inter competentiam poenalem ecclesiasticam et civilem.

5. Quum de criminibus dispiciamus quae subiiciuntur animadversioni auctoritatis ecclesiasticae, hinc de indole huius potestatis aliquid praemittendum est. Sane non immoramur in asserenda Ecclesiae potestate coercitiva quod principium admittimus et mutuamur ex Iure Publico; sed de natura huius potestatis aliquid explicare necessarium est, ut pateat genuina notio delicti commissi in legem ecclesiasticam, et ecclesiasticae poenae inde inflictae ad delictum compescendum. Quocirca nos non agimus de *abstracta* puniendi auctoritate sed de *concreta* potestate coercendi seu de intentione et modo quo ab Ecclesia puniuntur certa delicta per certas poenas, seu agimus de *competentia poenali;* conferantur quae diximus de differentia iurisdictionis et competentiae in *1 Sect. Libri I, tit. De foro competenti, n. 317* (1).

6. Iamvero Ecclesia et Respublica civilis provinciam habent omnino distinctam in exercitio eiusmodi potestatis, quippe auctoritas civilis tueri debeat civium bonum *temporale*, Ecclesia *spi-*

(1) Cf. Cl. Cavagnis, *Inst. Iuris Publ. Eccles.* Editio III, vol. I, n. 277 seq. In hac tertia editione pag. x copiosissime refertur *litteratura* iuris pub. eccles. et alibi passim in toto opere.

rituale in assecutionem finis aeterni. Quamobrem potestas civilis persequitur crimina ordinis et quietis temporalis turbativa; Ecclesiastica, suapte natura, ea quae ordinem spiritualem et supernaturalem subvertunt; unde iustitia societatis civilis suarum legum poenalem sanctionem constituit ad socialem ordinem restaurandum poenasque infligit per privationem bonorum temporalium; e contra Ecclesia uti praecipuam, quamvis non *immediatam,* suarum et divinarum legum attendit sanctionem futuri aevi (1) et ipsas poenas in praesenti vita ita decernit quasi ad arcendas a fidelibus aeternas poenas, prae oculis semper habens finem sempiternum suae externae ordinationis socialis in hoc mundo. Quem conceptum disciplinae punitivae Ecclesiasticae perbelle expressit Gregorius M. respondens in *Epist. 64, resp. 4, (lib. XI)* S. Augustino Angliae Apostolo, sciscitanti quaenam poena esset decernenda contra fures rei Ecclesiasticae; docet enim S. Pontifex: « ut quidam damnis, quidam verberibus et quidam districtius, quidam vero levius corrigatur... »; subiungens: « et cum paullo districtius agitur, ex charitate agendum est et non ex furore, quia ipsi hoc praestatur quo corrigitur (scilicet punitur) ne gehennae ignibus tradatur.... Haec ergo charitas in mente tenenda est et ipsa modum correctionis dictat ».

(1) Non ignoramus haberi posse leges etiam ecclesiasticas *mere poenales*, saltem iuxta probabiliorem sententiam, cf. Suarez, *De Legib. lib. V, c. 4.* Sed istae leges non eae sunt quae pressius spectant ad finem societatis sive religiosae sive civilis, sed respiciunt materias parum connexas cum fine: et nos loquimur de legibus arcte et pene necessario coniunctis cum fine, quasi *mediis necessariis.*

CAPUT I.

DE RATIONE ET FUNDAMENTO POTESTATIS POENALIS ECCLESIASTICAE.

Summarium. — 7. Ecclesia in poenis inferendis non spectat ad extrinsecam ordinis socialis restaurationem, sed in primis ad rei emendationem et ad ceteros poenae salutares effectus. — 8. Quodnam sit fundamentum potestatis poenalis societatis civilis. — 9. Quando et quare haec inquisitio instituta fuerit. — 10. In civili societate praevaluerat ius poenale vel Romanum vel Germanicum, quousque saeculo XVIII altius conclamatum fuit pro systemate poenali inducendo quod principiis Christianae civilitatis magis informaretur. — 11. Reicitur systema *in ratione utilitatis* apprime innixo. — 12. *Systema iuridicum* fundatum in ratione iustitiae socialis humanae et iampridem a S. Doctoribus Ecclesiae egregie praedicatum, a Pellegrino Rossi praeclare expositum, per scholam italicam magnopere expolitum, hodie passim receptum, explicatur. — 13. Quamobrem essentialiter alia est ratio puniendi in Ecclesia quae maxime perquirit in poenis inferendis *nonnullos salutares effectus,* remittens in vitam aeternam, perfectam ordinis perturbatae iustitiae restaurationem. — 14. An in disciplina poenali ecclesiastica delictum *ens iuridicum* appellari possit ea ratione qua, uti tale, habetur in re poenali civili.

7. Ex supra allatis animadversionibus sponte sua fluit diversitas quae intercedit maxima et essentialis inter systema poenale Ecclesiae et Reipublicae civilis. - Haec enim crimina persequitur quatenus sunt malum in societate, et, ea puniendo, vindicat iura eiusdem societatis; Ecclesia in criminosos potiusquam in crimina animadvertit, maxime ut eos ad poenitentiam adducat, scandalum auferat et animarum perniciem, atque in criminibus detestatur directius et principalius non infractiones legis seu ordinis socialis, sed iacturam sanctificationis animarum. Ad rem examussim facit hoc Tridentini Concil. Decretum in *Sess. 13,*

c. 1, de ref., ita conceptum: « Si quid per humanam fragilitatem peccari contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum bonitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur et qui correpti fuerint emendentur, aut, si resipiscere noluerint, ceteri salubri exemplo a vitiis deterreantur ».

8. Verum clarior fiet ratio systematis criminalis Ecclesiastici, si animadvertatur intra quos limites et cuinam fundamento innitatur potestas punitiva societatis civilis (1).

(1) In Italia a saeculo XIII seu ab excitato, post longam oblivionem, studio iuris rom., commentatores seu glossatores una simul explicarunt praecepta iuris civ. et criminalis. - Specialis tractatus de re criminali primo, exaratus fuit a Rolandino Romanzo († 1284), at deperditus est; quare antiquior, qui superest tractatus, est *libellus de ordine maleficiorum*, - Alberti Gandini († 1300). Dein Bartolus († 1357), Baldus († 1389), Bonifacius Vitalinus († 1390), Ippolitus de Marsiliis († 1529) et alii commentarios exararunt in leges romanas editas in Libris XLVII et XLVIII Digestorum; Andreas Alciatus († 1550) in Galliam invexit studium rerum criminalium quod magnopere provexit Cuiacius († 1590). - In Germania, primus, Benedictus Carpzovius († 1624) tractatum edidit de re criminali, cui titulus, *Practica nova Imperialis Saxonia rerum criminalium*. - Canonistae passim citant hunc tractatum Carpzovii; item Iulii Clarii *Practicam criminalem* († 1575) et Andreae Tiraquelli († 1558) librum - *De poenis legum ac consuetudinum, statutorumque temperandis aut etiam remittendis et id quibus ex causis*; - et Prosperi Farinacii († 1613) varios tractatus. Hic criminalista, qui apud coevos bona et apud nonnullos optima usus est existimatione, hodie communi sententia, severissime carpitur, quippe indigestos exaravit tractatus, probatas sententias miscens improbatissimis, in hasce saepius inclinans. - In genere, veterum criminalistarum tractatus poenali scientia sunt ieiuni; et incumbunt in singulas quaestiones

9. Haec inquisitio quae adhuc animos exagitat, enixius institui coepit sub saeculo praeterlapso a philosophis et iuris criminalis peritis, qui ad examen revocantes qualecumque ius potestatis civilis, severius inquisierunt in vim et usum publicae facultatis puniendi. - At, malo fato, ab initio, a veritate longe aberrandi huiusmodi inquisitio occasio fuit. Revera tunc temporis abusus non deerant in poenis decernendis et applicandis, et poenarum atrocitas ipsarumque usus non semel improbandus odiosum effecerant et suspectum publicum poenale magisterium. Qui enim summam publici imperii obtinebant, invocabant principium « *Salus publica suprema lex esto* ». Huic fundamento innixum fuit systema poenale Romanorum (1), neque idcirco

evolvendas et in praxim iudiciorum explicandam, quin rationem exquirant vel perpendant huiusmodi legum. Hi iurisconsulti pene persuasum habebant ius criminale non posse exigi ad scientiae supremas et absolutas normas. Nostro et superiore saeculo, in primis, in Italia Filangieri, Beccaria, Renazzi, Cremani, Romagnosi, Carmignani, Carrara, scientiam iuris criminalis vindicarunt; et magnopere provexerunt. - In Gallia magni fiunt, inter hodiernos, Molinier, *Programme du cours de droit criminel* - Bertauld, *Cours de code penal et leçons de legislation criminelle.* - Morin, *Repértoire général du droit criminel* - Tissot, *Introduction à l'étude du droit penal* - Proal, *Le crime et la peine* - In Germania, Berner, Reynold-Schütze, Meyer, Von-Bar. - In Hispania, et Lusitania, Silvela, Iordao, Ferrao. - In Anglia Stephen, Harris. - Sed modo praestat innuere, quod infra documentis explicabimus, scil., Ecclesiae Canones, Doctores, et praestantiores Magistros, in primis S. Thomam, scientiae criminalis etiam civilis aeterna et absoluta principia diserte tradidisse.

(1) In digestis iuris Romani de iure poenali agunt lib. XLVII et XLVIII, in quibus referuntur sententiae Iurisconsultorum, nempe Volusii Meciani ex opere: *De publicis iudiciis;* Claudii Saturnini, *De poenis paganorum;* et Pauli celeberrimi iurisconsulti ob opus *Receptae sententiae (de poenis paganorum - de poenis militum - de poenis omnium legum - de extraordinariis criminibus - de publicis iudiciis)*, item Ulpiani, Modestini, Marciani, et cet. - Hi non texunt quoddam organicum systema poenale sed ad singulos casus pro suo more reponunt exponendo principia profundae aequitatis, et probatissimae philosophiae moralis. Leibnitz de

attingere valuit, in re poenali, fastigium perfectionis, quod assecutum fuerat in re civili. - *Salus enim publica* assumi non potest uti suprema lex in poenis statuendis, si ista a iustitia disiungatur; *quia non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

Diruto Romano Imperio, Germani suum intulerunt ius, ipsis quoque politicis Romanorum constitutionibus adversum, quia in statu Germanico civitas seu civium universitas in re quoque poen. non praevalebat singulis civibus, sed, ex adverso, quisque civis sua cuiusque generis iura tueri debebat etiam per vindictam poenalem seu per *duellum iudiciale*, et respublica dumtaxat coercere satagebat crimina, suapte natura, directa ad rem publicam pervertendam. - Sub saeculo XIII studium iuris romani iterum animos commovit, eiusque instituta, etiam poenalia, moderari coeperunt politicas Constitutiones, exinde non parum ethnicis moribus imbutas. Verum custos et vindex naturalis iustitiae in populis spiritus vigebat christianae civilitatis, qui diu compressus foras erupit ad inciviles mores convellendos. - At via longa et erroribus consita.

10. Rem poenalem quod attinet, fere primus in aciem descendit adversus rationem tunc constitutam poenarum Caesar Beccaria edito opere a. 1764, *Dei delitti e delle pene;* unde vehementer et mirum in modum animi exarserunt studio ad examen revocandi et vim potestatis coercitivae et eius legitimum exercitium (1). - Hic Auctor doctrinam secutus Iacobi

hisce aiebat: *(Opp. vol. IV, p. III, pag. 267)* « Post scripta geometrarum nihil extare quod vi ac subtilitate cum Romanorum iurisconsultis comparari possit, tantum nervi inest, tantum profunditatis ». Irnerius et alii Glossatores commentati sunt sententias Digestorum. At de fundamento iuridico et philosophico potestatis puniendi apud illos omnes ne verbum quidem; sed Plato, Aristoteles et ipse Cicero in suis operibus aliquod reliquerunt vestigium huius inquisitionis et non obscure ad suprema principia *iustitiae,* non tantum *utilitatis* recursum habuerunt.

(1) Hoc opus iure meritoque censura mulctatum fuit ecclesiastica in Indice Librorum reprobatae lectionis; namque Auctor vehementer ag-

Rousseau *de pacto sociali*, nimiae severitatis poenas incusare coepit, potissimum poenam mortis, quippe cives in conventionem deducentes sua iura, ea conferre non poterant, quae nec ipsi obtinebant; quandoquidem initae societatis exitus esse debebat, ut ius defensionis singulis competens, pro efficaciori tutela civium universitati tribueretur. - Quantis scateat absurdis huiusmodi systema ipse docet sensus communis; quamobrem, ope philosophorum subsequentium et in primis Romagnosi (in opera: *Genesi del Diritto Penale*, a. 1791) hodie inter fabulas amandata est hypothesis *pacti socialis*.

Deinde aliae initae sunt viae ad inveniendam legitimam puniendi causam, sed istae omnes ad duo reduci valent capita, nempe vel ad principium *utilitatis* vel ad principium *iustitiae* seu *ordinis iuridici moralis*.

11. Re sane vera ipsum systema *de pacto sociali* puniendi facultatem recognoscit ex iure *utilioris defensionis;* et ex ratione utilitatis ii omnes repetunt magisterium publicum poenale, hoc constituentes in necessitate defensionis sive directae seu *repressivae*, sive indirectae seu *praeventivae* delictorum. - Unde poenae mensura et ratio est quantitas necessitatis ad tuendum ordinem socialem. - Inter illos, qui in utilitate ponunt fundamentum

gressus est omnem publicam potestatem. Nihilominus sententiae Caesaris Beccariae late disseminatae sunt in Europa et plures habuerunt sectatores et commentatores. In Gallia Voltaire commentarium edidit in huiusmodi librum, et celeber evasit: *Discours sur l'administration de la justice criminelle*, editus a. 1766 ab advocato Iosepho Michaele Antonio Servan, qui concinit doctrinis Beccariae. In Anglia Ieremias Bentham *(1748-1832)* praecipue in opere *Théorie des peines et des recompenses - trad. par Eh. Edmont*, studens reformationi legum poenalium evolvit principium materialis utilitatis. - Antequam isti nimis rebelles censores legum poenalium constitutarum in vulgus suas ederent incusationes, iam inculcaverant prudentes reformationes sub saeculo XVI *Alexander Borromini, Ioannes Botero, Ugo Grotius;* hic postremus cultor eximius scientiae iuris naturalis in opere - DE IURE *belli et pacis;* - et *Montesquieu.*

poenarum, eos quoque recensemus, asserentes poenas esse legitimas ob *salutares earumdem effectus;* namque poenae deterrendo tum in comminatione tum in executione, futura praecavent crimina, post crimen vero patratum restaurant ordinem materialiter laesum et sedulo curare intendunt criminosi emendationem. - Iamvero hi et caeteri omnes poenarum salutares effectus dici non possunt fundamentum poenarum, quia subaudiunt legitimum poenarum usum, uti legitimam, causam. - Praeterea omnia systemata utilitatis in hoc praecipue errant, quia directius spectant ad *bonum* non *ad iura* civium; et indirecte tantum *iura* attendunt universitatis. At haec iura innituntur iuribus singulorum, quare fundamentum poenarum non est ratio *utilitatis*, sed tuitio seu defensio *iurium.*

12. Quamobrem philosophi qui ex *ordine socialis iustitiae* principium desumunt functionis punitivae socialis, altius et solidius ponunt fundamentum aedificio magisterii poenalis. Siquidem actus humanus, qui coram Deo ex intima moralitate bonus est aut malus; exterius, coram societate, bonus est aut malus, laudandus aut puniendus, habita ratione ordinis socialis. - Inquam *ex ratione ordinis socialis,* nam fundamentum *proximum* iustitiae punitivae humanae non est *iustitia absoluta* seu *aeterna,* prouti autumarunt nonnulli, sed ipse *ordo iustitiae socialis,* qui vicissim consistit in ordine morali, a Deo veluti a suo auctore demum repetendo.

Explosis falsis doctrinis, hoc systema solidissime et perspicue explicare intendit Pellegrinus Rossi qui tamen in ponendo poenarum fundamento omnem veritatem assecutus non est (1). Ulterius hoc systema perfecit, ad ultimas deducens conclusiones

(1) Pellegrinus Rossi edidit lingua Gallica suum opus *Tractatus de iure poenali,* a. 1828. - Carrara, nuper defunctus, discipulus Carmignani (1768-1847) praestantissimi iurisconsulti in re poenali, praeclaras edidit elucubrationes; in primis *Programma del corso di Diritto criminale* - Part. Gen. 2 vol. Part. special. 7 vol. in-8. Lucca, 1861-70.

quoad omnia instituta, poenalia celeber Carrara qui in hac materia adhuc principem obtinet locum.

Nam hic Criminalista ponit iustitiam Dei aeternam et absolutam iurium omnium et officiorum fontem; sed praeterea considerat homines necessitate naturae compelli in societatem civilem. Ut societas suo fini respondeat, singulorum iura debent esse sarta et tuta ob defensionem ipsis tributam ab auctoritate sociali adversus laesiones malorum hominum, adeo ut quisque in societate fruatur *securitate suae incolumitatis* ad libere suas vires exercendas in sui et aliorum necessitatem aut utilitatem. Auctoritas socialis hoc obtinere valuit, quia a Deo recepit facultatem puniendi laesiones iurium seu *delicta* per *poenas*, quae, dum crimina coercent per vim repressivam, ob timorem salutarem huiusmodi coercitionum, ceteros a delinquendo deterrent, unde cives omnes confirmantur *in securitate suae incolumitatis*, cognoscentes defensionem socialem esse efficacem ad protegenda iura singolorum civium et ipsius societatis (1). Qua de causa effectus poenae est instauratio ordinis socialis; ius autem poenas ferendi derivat ex necessitate *defensionis socialis*. - Exinde Carrara iure merito carpit systema Pellegrini Rossi, quia hic asserit ab auctoritate sociali poenas inferri

(1) In hoc propositum Carrara, *Programma Pref.* pag 12 et § 150 Ediz. VIII, profunde advertit, delictum non esse *simplex factum materiale*; sed *ens iuridicum*; quia continet violationem iuris et proinde absolutam secunfert necessitatem coercitionis, *pro mensura violati iuris.* Unde infert, ius poenale esse aeternum et necessarium, non secus ac lex aeterna. — Possunt ignorari huiusmodi principia et pessumdari, sed non mutántur neque abolentur. Quare ius poenale indulgere debet tantum iustitiae, non vero rationibus mutabilibus utilitatis politicae - Pro bono societatis regimine leges conduntur variae utilitati politicae consentaneae, sed istae aut crimina praecavent aliasque deordinationes, aut societatis tuentur et provehunt bonum oeconomicum et morale. Verum harum legum laesiones non sunt *delicta*, sed *transgressiones*, quae non sunt *ens iuridicum per se*, sed pendent et constituuntur a positiva legum voluntate.

non tantum ob *externam* iurium laesionem *dolo* patratam; sed etiam ob *intrinsecam* actus nequitiam seu laesionem *munerum moralium.* Atqui de *interna actuum moralitate* homines rationem reddunt Deo, non sociali auctoritati.

Perspicua est veritas huius doctrinae, quippe homo, qui *naturaliter* non *accidentaliter* aut *conventionaliter* est socialis, in societate suas facultates evolvere debet ad finem tum in hoc mundo tum in futuro saeculo assequendum. Hinc ordinationi societatis praeest ordo moralis et ordo iurium et officiorum tum hominum singulorum tum hominum universorum in societatem coalescentium. Ordo socialis est medium ad obtinendum ordinem moralem. Si turbetur ordo socialis, unde praepeditur consecutio ordinis moralis, suppetit medium iustitiae humanae socialis etiam coercitivae ad restaurandum ordinem laesum. En ratio, en fundamentum poenarum. Sed inquam - medium iustitiae humanae socialis etiam *coercitivae* - nam potestas humana socialis ad ordinem socialem consequendum plures habet functiones. Incumbit ad civium facultates physicas et morales evolvendas, per *publicam civium institutionem;* ad maiorem comparandam divitiarum copiam harumque meliorem distributionem inter cives, per *leges politice oeconomicas*, ad restaurandum ordinem iuridicum iurium civilium, per administrationem *iustitiae civilis* in iudiciis civilibus, et demum ad crimina praevenienda per *magisterium politiae* et ad ea coercenda poenis, praevia *cognitione iudiciali,* per exercitium *potestatis poenalis.*

Hoc systema audit *systema criminale iuridicum*, utpote quod constituit poenam esse intime moralem et iuridicam, quia continet restaurationem ordinis iustitiae socialis per delictum deturbati. Quocirca et si, per accidens, desint alii poenarum salutares effectus, et societati et criminoso nulla ex poena obveniat utilitas, tamen crimen impunitum evadere non debet, quia ordo externus iustitiae socialis vult et inclamat, ut malum poenae

sequatur et quasi resarciat malum delicti. Et in hoc poena dicitur et est vindicta criminis, non in odium criminosi, non ex delectatione poenarum, quas luet reus, non ob moralem delicti expiationem ipsi Deo a criminoso tribuendam, sed ob *materialem* et *iuridicam* restaurationem ordinis socialis.

13. Verum advertere praestat, tam seram rectae doctrinae acquisitionem non tribuendam esse culpae Ecclesiae, quippe quae non satis principia Christianae civilitatis praedicaverit. Nam in ipso Corpore Iur. Can. seu in Decreto Graziani, veluti in *Caus. XXIII, quaest. III, can. 1* et aliis canonibus, non obscure indicantur fundamenta iustitiae poenalis in societate civili, sed clarius haec explicata fuerunt a S. Doctoribus Ecclesiae. Sufficiat unum citasse, nempe Divum Thomam. Ait enim in *Summa 2ª 2ªᵉ, q. LXXX, a. 1 ad 1:* « *principibus potestas publica committitur ad hoc quod sint iustitiae custodes* ». Et in *Quaest. disp. de malo, q. 1, 5 ad 12* docet: « *ex parte punientis poena habet rationem ... ordinis* ». Quare ordo restauratur quum poenis efficitur, ut qui ordinem pervertit « *ab ipso ordine deprimatur, quae quidem depressio poena est.* » *In 1ª 2ªᵉ q. LXXXVII, a. 1* (1). - Hac eadem ratione ductus Carrara altius proclamavit, delictum esse *ens iuridicum*. Cf. *n. 12 not. 1, p. 14*.

14. Iamvero hoc systema si comparetur cum systemate Ec-

(1) Ipsam divinam iustitiam esse primum sed *remotum* fundamentum iustitiae socialis, expresse testatur Sacra Scriptura, uti commentatur D. Thomas, *(Contra Gent., lib. III, c. 146)* advertens quod « homines, qui in terris super alios constituuntur, sunt quasi Div. Providentiae executores: Deus enim per suae Providentiae ordinem per superiora inferiora exequitur .... Hinc est quod dicit Apostolus *Rom. 13, 4* de potestate terrena quod *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est* vindex in iram ei qui male agit; et *I Pet. 2, 13* dicitur: *Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum; sive regi quasi praecellenti sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum* ». Cf. Pessina, *Trattati elementari sul diritto penale, lib. I, c. I, § 22, v. I, p. 26.* Napoli 1856.

clesiastico poenali, in utroque (1) hoc adest commune ut poena debeat esse ordinis restauratio moralis, quatenus iustitia exigit ut bonum a poena profluens resarciat malum delicti, sed in hoc adest essentialis differentia, quia civilis Respublica per poenam vult assequi ordinis socialis restaurationem in *praesenti* rerum ordine, ex quo suum finem assequi debet; dum Ecclesia suum finem *ultimum* seu *remotum*, consequitur in futuro aevo; et in hoc mundo pro suo fine *immediato* non patitur violari ordinem suarum legum, quarum transgressores poenis compescit, ne finis aeterni praepediatur consecutio. Quare in praesenti statu Ecclesia satagit singulorum fidelium obtinere sanctificatonem ut singuli aeternam vitam mereantur.

Unde poenae ab Ecclesia latae in primis spectant ad emendationem rei; indirecte vero ad terrendos ceteros ne delinquant. Quotiescumque nullimode sperari possit delinquentis emendatio, quippe incorregibilis, tunc Ecclesia non abstinet a virga, sed poenis vel severioribus mulctat rebellem filium, ne lues mali exempli alios fideles inficiat. - Atque huiusmodi poenae, tantummodo *exemplares*, vocari solent *vindicativae*, sed impropi o sensu; siquidem non contendunt ordinem restaurare societatis iuridicum et materialem, prouti poenae civiles, sed dumtaxat, subditos deterrere a delinquendo ne finem amittant in aeterna vita consequendum.

Quamobrem necessitas consequendi nonnullos salutares effectus est fundamentum proximum poenarum Ecclesiasticarum,

(1) Hinc patet a veritate longius aberrasse cl. Sebastianum Berardi *(Ius Can. Eccles. De criminibus Diss. I, c. I)*, dum approbat Aulum Gellium, qui *in lib. 6 Notium Atticar. cap. 14* docuit tres esse poenarum rationes, nempe emendationem rei, exemplaritatem poenarum et reverentiam inde conciliatam in principem. Dein autem infert non discrepare disciplinam ecclesiasticam a civili in ratione poenarum inferendarum, quippe illa induxit, ad illos *tres* fines obtinendos, *poenitentias, censuras, poenas*.

quod si est alienum a systemate poenali civilis societatis, uti probavimus, non abhorret a disciplina poenali Ecclesiae. Nam haec plane fatetur rationem poenarum primam esse necessitatem restaurandi ordinem laesum, sed, quum ordinis supernaturalis restaurationem sibi vindicaverit Deus in altera vita, proprium est Ecclesiae militantis suos subditos continere in officio per poenae salutarem timorem tum aeternae a Deo *infligendae,* tum temporalis a se latae. - Poenas vero ecclesiasticas informari non poenae proprie dictae, sed potissimum poenae salutaribus effectibus, declaravit dogmatice Pius VI in Constitutione *Auctorem fidei,* damnans 4^{am} Syn. Pistoriensis propositionem Ecclesiae abiudicantem potestatem coercitivam, « quatenus (ait Pontifex) intendat Ecclesiam non habere collatam sibi potestatem a Deo, non solum dirigendi per consilia, disuasiones sed etiam iubendi per leges ac devios contumacesque exteriori iudicio AC SALUBRIBUS poenis coercendi etc. »

Quocirca si propter duriorem rationem civilium poenarum superiore aetate incaute inflictarum persentita fuit necessitas easdem emolliendi, sane Ecclesiae systema mitius et salutare, eiusdem induxit desiderium etiam pro civili consortio, at fuit errandi occasio illis qui non sufficienter utriusque societatis diversum scopum intellexerunt, uti accidit celebri Eduardo Livingston, qui, proclamans mitissimum poenarum systema non intendens nisi reorum correctionem, assumpsit uti solemne principium verba, quae admiratus perlegerat, iam inscripta ab anno 1703, Hospitio S. Michaelis, Romae; scilicet « *parum est improbos coercere poena, nisi probos efficias disciplina* ». Sane nobilius erit civile poenarum systema, quo melius reorum correctioni studet, sed apprime deerrat, si hunc effectum uti praecipuum finem poenae sibi praestituat. (1) - Haec principia modo

(1) Hoc systema mordicus carpit Carrara *op. cit.* § *1026* - not., utpote alienum ab indole *socialis defensionis iurium.*

comprobata assumemus uti fundamentum in enucleandis variis speciebus poenae Eclesiasticae.

15. In hac comparatione quam instituimus inter ius poenale *civile* et *ecclesiasticum*, praetermittere non possumus examen sententiae, quam solemniter enunciat cl. Carrara - *Programma l. cit.* aiens totam iuris poenalis scientiam contineri in hac formula: delictum *non est ens materiale* seu *simplex factum;* sed est *ens iuridicum.* - Quam sententiam arbitramur omnino veram. Nam delictum, qua est *malum*, cuiusque entis privatio est; sed qua *factum* est, induit naturam *facti* seu *entis iuridici.* Delictum enim laedendo aliquod ius coërceri debet a publica auctoritate non pro eius arbitrio, sed *pro mensura iuris laesi*, ad normas iustitiae aeternas et hac ratione poenis compesci debet. - Quare delictum est quoddam factum secumferens iam expressum seu determinatum debitum suae satisfactionis: hos limites praetergredi iustitiae humanae non fas est. Hoc sub respectu delictum est *ens iuridicum;* et haec formula totam continet scientiam poenalem, quia poena *obiective* accommodata esse debet quantitati et qualitati delicti.

Ex adverso eae laesiones, quae nullam continent alicuius naturalis iuris offensionem seu, iuris praeexistentis cuique positivae legi sed legis continent directam violationem, *transgressiones* dicendae sunt, non *delicta.* Siquidem huiusmodi violationes, uti loquuntur scholae, *non sunt prohibitae quia malae;* sed *sunt malae quia prohibitae* (1). - Hac de causa factum criminosum, quia in se est malum et certa ratione *malum*, et certa poena *luendum* prohibetur et *compescitur*, servato ordine iustitiae

(1) Unde hae transgressiones dicuntur delicta *merae creationis politicae.* Cf. Carmignani, *Iuris crimin. elem. v. 2. Lib. 3, p. 2, tit. 1.* - Appositus conceptus in disciplina ecclesiast. mirifice inservit ad explicandas vicissitudines legis poenalis, quae varia admodum fuit in statuendis et puniendis *transgressionibus;* sed firma et constans fuit in persequendis *delictis.*

obiectivo. - Iamvero in iure quoque can. adhiberi debet hoc criterium, ut discriminentur *delicta* a *transgressionibus.* Namque *haeresis, simonia, sacrilegium, blasphemia* et ita porro sunt proprie delicta; seu sunt *facta* lege poenali prohibita quia *mala;* et sensu explicato, haec delicta possunt dici *facta* seu *entia iuridica.* - E contra infractio legis ieiunii, non solutio decimarum, non recitatio horarum canonicarum; et aliae id genus, legis violationes, *sunt transgressiones.* - Hoc autem proprium est disciplinae eccles., nimirum ut frequentiores et graviores sint *transgressiones* in lege poenali ecclesiastica quam civili. Etenim Ecclesia primo et directe curat sanctificationem singolorum et secundario bonum universitatis, efficiendo ut externa societas christiana Deo sit devota; dum societas civilis de singulis directe curam non habet, sed satagit in primis ut serventur illesae relationes *iuridicae* unius ad alterum civem; et unius ad integram societatem; quarum *iuridicarum* relationum violationes sunt *delicta;* et *transgressiones,* non magnae gravitatis, fiunt in leges defendentes non *iura* sed procurantes maiorem profectum societatis, seu *bonum,* uti explicavimus, *n. 12.* Leges vero ecclesiasticae poenales, iis exceptis *delicta* coercentibus, pene omnes feruntur ad provehendum *bonum* singulorum et integrae societatis (1).

(1) Notat Carrara op. cit. § *13 not. 1,* tantum hoc saeculo nitide distinctum fuisse in societate magisterium *poenale* a magisterio *politico* seu *bonae gubernationis;* quia codices et scholae vestigia premebant iuris ecclesiastici, quod non defendit et tuetur, in primis, relationes *iuridicas externas* sociales, sed relationes *morales* tum hominis ad seipsum, tum hominis ad Deum, tum hominis ad alios et ad integram societatem tum societatis ad Deum. Et hoc est veritati conforme et probat ius eccles. usque sui fini congrue respondisse. Ius vero civile penale in pluribus aberravit; et potissimum barbariem ethnicorum imitatum est, quia eius finem plane *iuridicum* parum perspectum habuit.

CAPUT II.

DE DELICTI NOTIONE.

Summarium. — 16. Notio delicti seu criminis in systemate poenali ecclesiastico. - Quomodo *delictum* distinguatur a *peccato*. — 17. Distinctioni *delicti* et *peccati* respondet distinctio fori *externi* et *interni*. — 18. Delictum consistit aut *in commissione* aut *in omissione*. — 19. Praeterea consistit in actione *externa* adeo ut delictum sit perfectum seu consummatum in genere suo. — 20. An et quanam ratione puniri possint actus ordinati ad delictum, si hoc non sit *consummatum* seu fuerit *praetergressum*. Distinguuntur actus *praeparatorii* et actus criminis *executivi*, qui dicuntur conatus vel *proximi* vel *remoti*.— 21. In propositum, explicatur distinctio poenarum ut aliae sint *latae sententiae*, aliae *ferendae sententiae*. — 22. Aliquando plura acta criminosa eiusdem speciei et consummata in incontinenti posita, considerantur quasi *unum* delictum et *una* poena mulctantur; ex adverso non semel *unum factum* haberi potest uti continens *plura delicta*. — 23. An *actio externa criminosa* possit obnoxia esse *poenae*, etsi haec *expressa* non sit in lege per sententiam vel *latam* vel *ferendam*.

16. Delictum seu crimen (1), *est iniusta actio vel omissio auctori suo imputabilis quae ordinem socialem turbat.* Quare delictum constituit:

(1) Nos indiscriminatim usurpamus vocabula *crimen* aut *delictum*. *Delictum* vocabulum est significatione universalius et communius; *crimen*, etiam verbali sensu, significat factum *accusatione* et *damnatione dignum*, *ex can. 1, Dist.* 81. - In disciplinis poenalibus distincta fuerunt, *crimen delictum* et *transgressio*; *crimen* uti gravior legis violatio *poenalis*; *delictum* quasi levior; et *transgressio* uti violatio legum politiae vel oeconomiae civitatis. Sed ab his quae innuimus *in not. 1 p. 14 sub n. 12*, patet quam praepostera et ab omni ratione aliena sit haec distinctio inter *delictum* et *crimen*, quae invaluit etiam pluribus in codicibus. Sane mensura delicti est ius laesum; quare delictum fit *ens iuridicum*; unde non a poena sumit

1) *Actio* vel *omissio iniusta auctori suo imputabilis*, siquidem sunt nonnulli actus qui ordinem socialem turbant, sed non sunt *morales* seu auctori imputabiles, veluti actus probrosi a furioso vel ab amente admissi. Hi provocant potestatem societatis *coercitivam* sed non *poenalem*.

2) Praeterea huiusmodi actio vel omissio fit delictum, quum *ordinem socialem turbat*. Nam actio vel omissio in genere morum *mala*, est *peccatum* quousque ordinem socialem non turbat; si istum turbet, habetur *delictum*, quapropter omne crimen est peccatum sed non omne peccatum est crimen (1).

Criminis notio a nobis exposita improbari posset quasi nimis generalis; quippe non explicat quamnam legem violent illae criminosae actiones vel omissiones. Ceterum non omnis legis violatio est crimen; ut ecce, non crimen patrat qui in contractibus ineundis, in iudiciis instituendis et prosequendis non servat praescriptas leges. - Unde apud Doctores, uti a D'Annibale (I, 296) cum communi delictum definitur: *Externa legis poenalis violatio dolo malo facta*. Et additur: *legis poenalis violatio*, scilicet *civilis* vel *ecclesiasticae*. Etenim violatio legis humanae tantum aut divinae, *peccatum* facit, non *delictum*.

Quae delicti notio est omnino vera, si referatur ad ius crim. civ., sed non adamussim exacta videtur in iure ecclesiastico. In quo *lex poenalis* non est ita expressa ut punire non valeat actus forsan nulla lege positiva prohibitos, sed vetitos lege naturali aut divina; quando isti actus turbent ordinem socialem. Et hoc sensu Innocentius III in *cap. 13, De iud. X*

qualitatem et quantitatem, sed a gravitate *iuris* laesi. Hodie in novis codicibus expungitur haec distinctio, uti factum est in codice italico.

(1) Hinc in cit. *can. 1, Dist. 81*, D. Augustinus docet: « Non ait (Apostolus) si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; sed ait *si quis sine crimine est*, sicut est adulterium, homicidium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium etc. »

(II, 1) amplissimos limites praestituit potestati punitivae Ecclesiae, dum ait: *Non enim intendimus decernere de feudo ... sed de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus.* Nimirum si violatio legis positivae civilis grave constituat peccatum et scandalum, ista subest etiam illi animadversioni et censurae, de qua loquitur Pontifex. - Quocirca in iure can. admittuntur etiam poenae *arbitrariae* seu *extraordinariae*, ceu nulla lege positiva conditae, sed remissae arbitrio iudicis. Cf. Suarez, *De leg. V, c. 11.* - Proinde ista notio delicti, a nobis exposita, aliena est a iure criminali civili, sed propria est et maxime accommodata iuri ecclesiastico.

Ordo autem *socialis* (et hoc sedulo adverti debet) quem turbat crimen in societate religiosa, non sub eo aspectu consideratur quo protegitur in societate civili; et planum est. *Ordo* enim *socialis Ecclesiae* expostulat ut fidelium externae actiones respondeant sanctificationi singulorum et hinc universae communitatis foveant bonum spirituale. - Crimen, ex adverso, praeseferens malum alicuius morale et istius aversionem a fine demonstrat, et ad ceteros pervertendos impellit.

17. Quoniam, uti explicavimus, ad Ecclesiae, finem *pertinet etiam privata uniuscuiusque fidelis institutio* seu sanctificatio singulorum, haec ad Ecclesiam pertinet sub duplici aspectu, nimirum *primum* quatenus fideles considerantur uti singuli, de suis admissis vel omissis tantum coram Deo rationem reddituri; et *secundo* quatenus fideles coalescunt in societatem externam. Sub primo aspectu, Ecclesia curam habet de fidelibus in *foro interno*, et hoc in *foro* peccata absolvuntur, reservantur, congruis poenitentiis mulctantur; sub altero aspectu Ecclesia fideles moderatur et regit in *foro externo*, in quo, ob potestatem qua pollet societatis perfectae, *delicta poenis compescit* et iudicia instituit ad *delicta* compescenda; scilicet hisce mediis tuetur ordinem socialem eumdemque defendit a delicti perturbatione. -

Quare *peccata* se referunt potestati ecclesiasticae *fori interni;* delicta vero potestati *fori externi.* Sed uti docebimus, haec utriusque fori distinctio dumtaxat progressu aetatum perfecte determinata est, quippe ab initio, ob non perfectam explicationem societatis externae christianae, unum forum cum alio facile confundebatur atque, ut plurimum, internum forum externo praevalebat, potissime quia pro criminibus cuiusque generis, vel pure civilibus, *poenitentiae* imponebantur *ratione sacramentali* (1).

Praestat deinde advertere huic distinctioni omnino inniti illud principium iuris publici ecclesiastici « Ecclesia non iudicat de occultis », ex *can. 11, Dist. 32* et *c. 33* De Simon. X (V, 3.), nimirum *de internis,* uti patet ex subiecta materia: cf. Lugo, *De Fide, XXIII, 5, 10.* Ecclesia enim prout est societas externa iudiciali et coactiva pollens potestate, habet *forum externum.* Iudicat de internis seu de peccatis in *foro interno,* seu sacramentali et conscientiae, sed tunc iudicium non est actus potestatis socialis et *contentiosae,* sed paternae et sacerdotalis, nempe *voluntariae* (2).

18. Delictum, utpote quod *turbat ordinem socialem,* in *externa* legis violatione consistit. Violatio enim legis, solo animi affectu admissa seu *interna,* est *peccatum,* sed non est *delictum.* At ista potest esse *externa* sed *occulta,* seu quae omnes, per

(1) Possunt conferri, quae in vol. II explicavimus de Poenit. Apostolica, quae serius tantum fuit constituta, uti officium privative ordinatum pro foro interno. Cf. Van. Espen. *Ius. Can. Univ. P. III, tit. 11.*

(2) Antiquiore disciplina frequentatae sunt poenitentiae publicae inflictae post confessionem etiam sacramentalem, et huiusmodi poenitentiae voluntarie ferebantur a publicis peccatoribus seu delinquentibus vel saltem a publice confessis in maiorem humilitatis et contritionis attestationem. Nam quia salus animarum in Ecclesia est praecipuus finis, tunc temporis, fervente charitate, ea quae tantum contineri poterant in foro conscientiae, adducebantur ad forum externum ad maiorem fidelium aedificationem ob publicam ostensionem operarum charitatis et poenitentiae.

accidens, lateat, quamvis ita sit expressa ut ea percipi et cognosci potuisset. Ita haeresis prolatio quamvis omnino *occulta,* poenis percellitur. - Quae violatio externa aut opere aut verbis *positive* perficitur aut *negative* omissione.

Praeterea ad delictum pervenitur, quasi ad finem, per actus *praeparatorios* et *executivos,* nempe per media idonea, ast delictum non censetur perpetratum quousque non fuerit in suo esse perfectum, seu *consummatum* iuxta prohibitionem (1) legis quam laedit. - Actus *executivi* in re criminali vocantur *conatus;* et sunt *proximi* vel *remoti* pro relatione, quam habent *remotam* vel *proximam* ad delicti consummationem.

Actus vero *praeparatorii,* quia nimis remoti censentur a delicti executione et hinc, per se, indifferentes, quippe ordinari potuissent in bonum vel in malum finem, *conatus* non sunt, nullamque induunt criminis speciem, dummodo non sint delicta *sui generis.* Veluti si quis mendacia proferat ut a longe incipiat insidias struere, quibus inimicum pertrahat ad extremum excidium; mendacia, qua *conatus,* non sunt delictum sed delictum constituunt *sui generis;* et planum est. - Conatus vero *remoti* et *proximi,* utpote qui revelant animum delinquendi, pervertunt ordinem socialem; sunt enim delicti inchoatio et poenis mulctari debent.

Quare necessaria distinctio inter actus *praeparatorios* et *executivos* consistit in *pericolo actuali* contra securitatem civium, quod praeseferunt actus *executivi,* externe et naturâ suâ ordinati ad crimen; dum actus *praeparatorii,* quippe in bonum vel in malum propositum indifferentes, nullum pariunt *periculum ordinis socialis.* Hic conceptus, ut palam est, quadrat in ius poenale civile, quod defendit *ordinem externum socialem.* - Eadem vero distinctio accommodata est etiam iuri eccles.,

(1) Hinc quando lex punit *conatum,* quasi delictum *sui generis,* exquirit hunc actum plene extitisse *consummatum* in ratione *conatus.*

quia actus *executivi* externam praeseferunt pravitatem et ceteris scandalo sunt.

Praeter hypothesim criminis *non consummati,* quia actus executivi aut non omnes aut nonnulli non sufficienter efficaces positi sunt ad delictum perficiendum, alia fingi potest hypothesis; videlicet actus executivos, suapte vi, omnes fuisse plane idoneos criminis executioni, hoc vero secutum non fuisse, ob maiorem vim sive *a casu* repetendam sive a dexteritate illius qui crimen pati debebat. - Veluti homicidium aliquando non sequitur, quia conatus seu actus executivi, suapte vi, sunt inefficaces, veluti globus igneus a tormento bellico explosus non rite directus fuit; en delictum *non consummatum;* vel quia adversarius, utputa gladio aggressus, mira dexteritate ictum valuit vitare; et hoc delictum dicitur *praetergressum* seu *frustratum.* - Quae distinctio rerum naturae conformis, tamen quasi nimis subtilis, magis *doctrinalis* est quam *practica.* Revera antiquis canonistis incognita fuit haec distinctio, quam primus videtur in medium attulisse Romagnosi, in opere - *Genesi del diritto penale - Pavia, 1791.* Cf. Carrara, op. cit. § 401. - Delictum *praetergressum* habebatur uti species *conatus.*

At ista distinctio ad praxim pertinet; nam minore proposito delinquit minusque ordinem deturbat ille, qui delictum non consummat ob actus executivos non satis idoneos, quam qui delictum non perficiat vel *casu* vel ob maiorem vim hominis *aggressi.* Cf. Suarez, *De Legibus, lib. V, c. 34.*

19. Inde magni ponderis questio est, an delicti *conatus*, et an delictum *praetergressum* seu *frustratum*, puniri debeant non secus ac ipsum crimen *consummatum.* - Videretur conatus vel crimen frustratum puniendum esse non secus ac crimen consummatum, quia *dolus* non minor habitus est in deliquente, qui ob *casum fortuitum,* non ob defectum *propositi delinquendi,* crimen consummare haud valuit. - Sed hac de re magna lucta inter DD. et celebris est discordia inter scholam Italicam et

Gallicam. - Ius can, adhaesit iuri rom. quod non unum vel alterum secutum est systema, neque uni vel alteri simpliciter indulsit scholae, sed mediam iniit viam. In genere recognita fuit et admissa ratio minoris *imputationis politicae* in criminis *conatu* vel in crimine *praetergresso* quam in crimine consummato. Ius can. quod spectat, haec regula statuitur *in cap. 7 § 3 - De elec. et elec. potest X (I, 6)* et clarius in *cap. 7 eiusd. tit. in 6*, ubi decernitur, eligendi iure privari non qui conati sunt eligere indignum, sed qui « *adeo in eo (suffragio) persisterint quod ex votis eorum communis electio subsequatur* ». Sed ad atrociora crimina fortius praecavenda et punienda, in iure rom. cautum fuit non secus ac in can., in istis eâdem poenâ puniri *conatum*, qua plecteretur crimen *consummatum*. Quando vero lex expressis verbis hoc non caveat, poena tenet delinquentem, crimine tantum consummato. - *Conatus* vero, pro gravitate laesionis ordinis socialis, vel punitur uti delictum *sui generis* vel aliqua poena a iudice, pro rei gravitate. inferenda. Cf. Thesaurus *op. cit. P. I cap. 8.* Schmalzgrueber *De poenis § 26*, aperte docet: « *Eventus facit ut aliter puniatur crimen* FACTUM, *aliter crimen solum* INTENTUM ; *intentio enim criminis etiamsi in actum propinquum exierit, non habetur* PRO FACTO, nisi in *quibusdam valde enormibus* ». De diversis vero qualitatibus aut conatus vel *proximi* vel *remoti*, aut criminis *frustrati*, canonistae et legislator parum solliciti fuerunt, recensentes inter *circumstamtias minuentes* aut *aggravantes* huiusmodi actionis criminosae adiuncta. Quae doctrina, equidem haud aliena ab aequitate iuris canonici, adeo processit ut, « *in communem regulam* (ait Schmalzgrueber *l. c. § 41*) *transiisse videatur quod poenae criminum nostro tempore arbitrariae sint* ». Idem asserit Reiffenstuel, *De poenis n. 12,* citans Guazzinum, *Defens. reorum,* 33, Engel et alios; sed unus et alter canonista docent, istam sententiam *absolute* veram non esse, et intelligendam esse tantum *relative* ad rationes *excusantes,*

minuentes, aggravantes crimen, quae rationes a *iuri communi* perpenduntur et iudicis arbitrio reliquuntur; veluti in celebri *lege 16. ff. De poenis.* - Hanc legem interpretantur Antonius Mattheus, *De criminibus c. 5*, et Carpzovius *op. cit.* q. 142, sq.; et patet hanc non esse adeo profundam et perfectam, uti nonnulli contendunt (1).

(1) De historia huius controversiae haec advertere praestat. Inter iurisconsultos romanos, (Cf. Pauli, *Sententiarum V. tit. 23. n. 3)* et philosophos morales, uti Senecam *(Declam. 7)*, nonnulli sectati sunt sententiam, *conatus* criminis comparandos esse, imputationis politicae et poenarum ratione, ipsis criminibus *consummatis*. Sed in legibus praevaluit Ulpiani sententia: *cogitationis poenam nemo patitur.* - Cf. *l. l. 1* § *2 ff. Quod quisque.; 3 et 15* § *10, et 17 De iniuriis; et l.* § 2. *De crim. extraord.* - Sane plures sunt leges, quae iubent aequali poena puniri *conatum* et delictum *consummatum;* et hoc fiebat in criminibus *publicis* et *atrocioribus*, quotiescumque lex praecipiebat expresse. In delictis *privatis* quia in primis attendebatur *damnum privatum immediatum*, poenis plectebatur tantum delictum *consummatum*. Item in delictis *extraordinariis; arg. l. 1* § *2 ff. De crim. extraord.* - Quare, dummodo lex non iuberet, patet *conatum* vel impunitum fuisse vel poena *arbitraria* aut minori punitum. - Unde falsi sunt Antonius Mattheus, Cuiacius et Gravina qui arbitrati sunt Romanum ius, hanc regulam secutum fuisse, nimirum eadem mensura imputandos et puniendos esse *conatus* et actiones criminosas consummatas. Mentem *iuris rom.* et *can.* perspicue interpretatus est Alciatus docens: « *aliud est crimen aliud conatus*; *hic in itinere, illud in meta est; sed ubi iure poena irrogatur, oportet perfectum fuisse crimen* ». Illud - *iure poena irrogatur* - se refert maxime ad poenas *ipso iure* latas et ita intelligi debet haec sententia, non *absolute* prouti passim explicatur apud criminalistas, quasi plene asserat principium generale: *conatum nunquam ita puniendum esse* ac ipsum crimen *consummatum*. Alciatus tradit regulam iuris can. - Ratio autem minoris *politicae imputationis* diserte et profunde traditur a Grotio, *De iure belli et pacis lib. 2, cap. 20 cap. 20* § *30 n. 4:* « *Inchoata delicta vindicanda non sunt, nisi res sit gravis et eo processum sit ut ex tali actu certum malum, etsi nondum illud quod intendebatur secutum iam sit, aut certe ingens periculum ita ut vindicatio aut coniuncta sit cum cautione futurae noxae aut pernicioso exemplo occurrat* ». Porro *conatus* non *laedunt* ius, sed ius *aggrediuntur*; et hoc

Legem can. quod attinet, D'Annibale (I, 298) ita principia explicat *consummationis:* « OMISSUM aliquod intelligitur postquam tempus, intra quod faciendum erat, penitus praeterierit. Delicta quae VERBIS constant (ut haeresis, blasphemiae, convicia) tunc regulariter perfecta esse intelliguntur, cum sic ore prolata fuerint ut, si quis praesens esset, ea intelligere potuisset; dummodo scilicet integrum et manifestum prodant animum dicentis. Demum actio, quae OPERE aliquo perficitur aut merum *factum* est, velut homicidium, furtum, aut ACTUS (1) e. c. matrimonium, baptismus, absolutio a peccatis. *Facta* plerumque pluribus partibus constant, et velut initio, progressu, ac fine: initio, pravi consilii significatio, progressu, conatus, fine, consummatio continetur: quoties igitur factum coercetur, neque consilii significatio, neque conatus sunt obnoxia poenis, sed factum

constituit *periculum* pro societate et *malum exemplum*. - Quia vero fini societatis religiosae seu sanctificationi singulorum obest non minus *conatus* quam opus *perfectum;* (cf. cap. 18 *De rest. spoliat.* X *(II, 13)*, inde apud canonistas aliquando comparatio *conatus* et *consummationis* inculcatur, maxime quoad censuras *fer. sent.;* et hoc scite notavit Baldus Cons. *430 vol. 2* - Schola Italica proinde tenuit regulam, *conatum non esse aequiparandum* crim. *consummato*. - Ex adverso schola Gallica, secuta est illorum iurisconsultorum sententiam, *mentem peccare non corpus;* et adhuc *Cod. poen. art. 2.* punit, aequa poena, *conatum* et opus *consummatum.* Sed immerito; uti advertit Du Boys, *Histoire du droit criminel. Paris 1854*, nam societas punit *factum externum dolosum pro mensura iuris laesi;* non propositi in mente retenti, seu doli tantum poenas sumere debet. Cf. Carrara *op. cit.* § *399 seq.* Codex Hispanicus *art. 3* sequitur scholam Italicam. Cf. eximium opus Pacheco, *Estudios de derecho penal, lecion 13.*

(1) Cl. Auctor distinguit *factum* quod est, ut plurimum, complexus plurium actionum conspirantium ad executionem alicuius *physicae rei*, veluti furti, homicidii, ab *actu* qui perficit rem morali modo et iuridice consistentem; veluti baptismum, matrimonium. Unde potest haberi *factum*, veluti matrimonium, attentatum quin habeatur *actus*, seu consensus legitime expressus ad matrimonii ineundum contractum.

penitus absolutum: et si hoc ab effectu capit perfectionem, poena non tenet facientem (1) quoad effectus sequutus non fuerit. *Actus* perfectus intelligitur, cum fuerit factus iure, quia *verba cum effectu* (maxime in odiosis) accipimus: ideo ut sit poenis obnoxius, opus est, ut nihil essentiale sive *natura sua*, sive *iure* illi desit (2). Si quando *autem una et eadem lex et irritat* (vel irritum supponit) *actum et ponit poenam facienti, poena quidem per actum vel iure nullum incurritur*, quia lex non actum sed factum (ausum) coercet; verum ut *factum* dici possit, necesse est ut nihil *natura sua* essentiale ei desit, idest ut alias constare posset saltem naturali iure; quod velim animadverti ».

20. Pressius inquirendum est an et quanam ratione poenas effugiat crimen aut non *consummatum* aut *praetergressum*. - Atqui quaestioni ut satisfiat, recolenda est praecipua distinctio, quae poenae ecclesiasticae executionem spectat. Poena enim alia est *latae sententiae*, seu incurrenda *ipso facto* seu ipso momento quo crimen a lege damnatum fit consummatum; nimirum quin aliud requiratur iudicis iussum; alia est *ferendae sententiae*, nempe a iudice in reum indicenda, quum cognoverit de

(1) Poenas latas in mandantem non censetur mandatarius incurrisse, quousque mandatarius mandatum non executus fuerit. Sed aliquando poenis plectitur actio ordinata, natura sua, ad aliquem effectum, quo tamen etiam non secuto, actio intenditur poenis obnoxia; ita poenas subit periurii qui peieravit ut reum absolveret, etsi hic condemnetur. Quapropter intendi debet ad intentionem legis, quae aliquando punit actum per se malnm etiam anteaquam sequatur effectus malus, quem parere natus est.

(2) Unde cum lex punit aliquem *actum*, hic debet habere consistentiam *physicam* et *moralem*, seu *natura* et *iure* perfectam et integram; ita si poenis prohibeatur venditio, matrimonium; res est de venditione et de matrimonio valido. Sed aliquando lex non punit *actum*, quia hunc irritat seu nullum facit, sed punit *factum* materiale destitutum vi morali et iuridica, iuxta dicta in *not. p. 29.* Hac ratione punitur alienatio rei ecclesiasticae sine beneplacito Apostolico, etsi nulla sit.

crimine certa ratione admisso. Et poenae *ferendae sententiae*, etsi a iure adamussim determinatae sint, tamen in executione, pro gravitate criminis, aliquid relinquunt prudenti iudicis arbitrio; at, communius, non sunt omni e parte determinatae sed sunt aliqualiter *arbitrariae*. - Iamvero poenae *latae sententiae* delictum afficiunt, quum fuerit ea ratione consummatum qua lege expresse continetur: quamobrem huiusmodi poenae ad conatum seu *ad ausum* non extenduntur nisi explicite edicatur. - Poenae vero *ferendae sententiae* quamvis ad certum casum determinatae, attenta indole iuris can. aliquid concedunt prudenti iudicis arbitrio, qui valeret, pro rerum et personarum adiunctis, poenam moderari, vel eamdem applicare delicto etsi non undequaque perfecto et consummato, si exinde non minus deturbatus fuisset ordo socialis. - Quamobrem si poena *ferendae sententiae* vel non sit omnino determinata vel sit *arbitraria*, applicari potest ad compescendum conatum in crimen *proximum*, ea tamen servata regula, ut mitiori poena puniatur conatus quam crimen consummatum. Cf. Reiffenst. *V. 37 n. 8* et Smalzgr. *eod. tit. n. 31 sq.*

Conatus autem etsi *remotus* aliquando est delictum *sui generis* et tunc puniendus est, qua est delictum, et aliquando est poena gravior infligenda ob qualitatem *conatus;* et haec exploratissimi iuris sunt.

Ad rem haec habet Thesaurus *(De poenis, P. I, c. 8)*, doctor hac in re facile princeps, qui, posita conclusione, poenas non incurri nisi actu consummato, subiungit: « Ampliatur haec conclusio, quia etiamsi in atrocioribus sufficiat, conatus delicti proximus ad poenam *sententiae ferendae* .... tamen ad incurrendam poenam *latae sententiae* non sufficit, sed requiritur actus consummatus ».

21. Sed praeterea inquiri debet, an plura facta, suapte natura, criminosa si adhibeantur quasi actus executivi unius criminis, incontinenti, eodem impetu et proposito, haec plura facta

censeantur quasi unum crimen, illud nempe quod est gravius crimen et quod perficere ordinata erant. In hoc propositum Thesaurus l. c. hoc statuit principium; nempe *ex actibus criminosis solius principalis seu gravioris delicti rationem haberi, quia delicta praeambula in principali confunduntur.* Veluti si quis pluribus vulneribus aliquem occidat, unicum erit crimen *homicidii.* Sic prohibita delatio armorum, convicia, et vulnera ordinata ad homicidium incontinenti perpetratum, in ipso homicidii delicto confunduntur.

Sed quid iuris quando pluries repetitur sed incontinenti eodem impetu ac proposito idem actus criminosus in sua specie consummatus; videlicet unum censetur delictum vel plura pro singulis repetitis actibus? - Ut ecce quis pluries sed incontinenti clericum percutit, adulter pluries sed incontinenti repetit copulam cum eadem muliere; quis plures sed incontinenti, et eodem animi aestu, repetit blasphemias; habita ratione legis (1) poenalis unum habeturne delictum aut plura? - Iamvero ex ratione supra exposita, valde probabilior est sententia, in foro externo, seu pro lege poenali unum considerari delictum, seu unam tantum incurri poenam: haec enim plura facta quasi materialiter in unum coalescunt, ratione temporis et intentione agentis.

Ex adverso, una tantum actio aliquando virtualiter duo vel plura continet delicta, et hoc duplici modo. Vel quia unum factum, delictum perficit in plura obiecta eiusdem speciei, utputa si uno facto plurae personae laeduntur; veluti uno ictu duo vel tres clerici necantur; vel quando una actione continentur plures laesiones diversarum legum; nimirum ex *Clem. I. De sepult.,* (III. 7) si quis sepeliat aliquem usurarium manifestum

(1) Inquam *habita ratione* legis poenalis; nam quod plures blasphemiae, plures copulae adulterinae totidem constituant peccata, in foro interno, confessioni sacramentali obnoxia, explorati iuris est.

eumdemque publice excommunicatum. Cf. Sayr, *lib 1 De cens. cap. 10, n. 10;* Suarez, *De cens. Disp. 5, sect. 3, n. 14* (1).

22. Demum inquiramus an iure can. vigeat principium hodie passim admissum in codicibus poenalibus (2), nempe: *nullum crimen sine lege; nulla poena sine lege.* - Iure Romano aliud vigebat principium, arg. *l. 1, C. Ubi de crim.*, siquidem praeter crimina *legitima* seu *ordinaria* lege poenali expressa, habebantur crimina extraordinaria seu non *legitima* seu legibus poenalibus non comprehensa, quae a iudice punienda erant pro suo arbitrio pro adiunctis rerum et personarum. Hinc huiusmodi poenae dictae sunt *arbitrariae* - Atqui iure can. adhuc viget huiusmodi systema, quod explicant Canonistae et Commentatores agentes de *lib. V, Decret. ad tit. 37 de poenis:* cf. Engel *V, 37, 2.* - Quam ob facultatem iudex ecclesiasticus poenis compescere valet laesionem legis pure naturalis aut civilis, seu *ratione peccati*, uti aiebat Inn. III *cap. 13, De iud. X* (II, 1), quotiescumque hoc peccatum speciem induat delicti quoad societatem ecclesiasticam, prouti explicavimus. - Porro nemo non videt, poenas arbitrarias, dummodo his non abutatur iudex, ita respondere fini Ecclesiae, seu praecipue privatae fidelium institutioni ut illae nunquam expungantur a disciplina poenali. Cf. Suarez, *De legibus, l. V, c. 11.*

§ 1. - *Nonnulla specialiter explicantur de damno et de dolo seu de elemento tum obiectivo tum subiectivo delicti.*

Summarium. — 23. Dolus est elementum *subiectivum,* damnum elementum *obiectivum.* — 24. Damnum seu iactura *ordinis socialis* efficit

(1) Diversi aspectus unius actionis seu plures circumstantiae non multiplicant delicta, si istae se habeant ad invicem ut genus et species; ita delictum omicidii continetur in delicto parricidii.

(2) Cf. *Cod. poen. ital. art. 1; - gall. art. 4; - hispan. art. 1 e 2;* - Cf. Berner, *Lehrbuch des deutschen strafrechts.*

ut actio mala sit delictum. Pertinet ad publicam potestatem mensurare hoc damnum seu delicti *obiectivam* quantitatem; seu determinare quaenam facta et quomodo habeantur uti delicta. Damnum aliud est *immediatum*, aliud *mediatum;* et ratio delicti ex damno mediato perpenditur. In iure can. huius damni aestimatio non est semper *taxativa;* et huic regulae refertur distinctio poenae in poenam aut *l. s.* aut *f. s.* — 25. Qua ratione damnum in societate religiosa afficiat ordinem socialem; et hinc qua ratione mensuretur delictum. — Praeterea pro mensura delicti *abstracta* et *ontologica* consideratur delicti *qualitas* et *quantitas;* pro *concreta* et *individua* imputatione consideratur *gradus;* unde eadem delicta *abstracte,* in concreto, diverso *gradu* imputationis consistunt — 26. De dolo, seu de ratione *subiectiva* delicti. — 27. Recensentur causae quae aut auferunt aut extenuant actus imputabilitatem. — 28. De aetate. — 29. De amentia, somno, hypnotismo aliisque id genus causis. — 30. De vi et metu. — 31 De aestu cupiditatum, ubi et de ebrietate. — 32. De ignorantia et errore.

23. De notione delicti hactenus explicavimus, quomodo actio vel omissio criminosa *externe consummata* poenas incurrat. Sed praeterea ad delictum requiritur *moralis* imputatio, adeo ut delinquens mereatur poenam, ob *ordinem socialem laesum.* - Exinde duo alia habentur delicti requisita, nimirum *dolus* seu *deliberata voluntas delinquendi;* et *damnum*, nimirum nocumentum inde *perpetratum in ordinem socialem.*

Dolus est elementum *subiectivum* et formale delicti, quia actio externa etsi consummata, si non procedat a libera voluntate agentis, non est *moralis*, seu non est auctori suo imputabilis.

24. Damnum est elementum *obiectivum* a quo, quasi a suo fine, dolus naturam induit delicti, siquidem omne delictum est actio moraliter mala, sed non omnis actio moraliter mala est delictum. Sane obligationis contractualis violatio est actus malus, sed non est delictum. Fit delictum laesio alicuius iuris, quum habetur *ordinis socialis* perturbatio: haec vero quando et quanta habeatur, aestimanda est a publica potestate punitiva.

Porro ad aestimandam delicti rationem duplex considerandum est damnum; alterum *immediatum*, *mediatum* alterum. Reipsa ex iuris laesione damnum *immediate* derivat ei cuius laeditur ius. Sed aliquando laesio est tam gravis ut omnes cives timor occupet, legem haud esse validum fraenum ad malos continendos in officio; unde omnium civium iura in discrimine esse videnter ob inefficacem defensionem socialem; et praeterea, ex facili legum violatione, mali homines ob malum *exemplum* audaciores fiunt in delinquendo. En damnum *mediatum* delicti; et est damnum *sociale*, seu *politicum;* quum auferat civibus *opinionem* efficacis defensionis socialis; et hinc penitus ordinem socialem deturbat.

Revera in societate religiosa ex delicto patitur damnum *immediatum*, ut plurimum, ipse delinquens, qui exinde longe aberrat a sanctitate morum; sed damnum refunditur *mediatum* in universam societatem, quae veluti malo exemplo inficitur et ex morbo unius membri in sua compagine pervertitur. Quia lex poenalis ordinata est ad praecavendas deordinationes ordinis socialis; proinde ferenda est lex huiusmodi ad prohibenda illa facinora, quae non laedunt tantum iùs aliquod, sed ita laedunt ut universa commoveatur societas, timens ne facile et saepius repetantur huiusmodi iurium laesiones. Quando non adest haec perturbatio publicae tranquillitatis, sufficit magisterium societatis *civile* seu *disciplinare* ad reparandum damnum; prouti fit per actiones civiles civibus concessas, quibus isti sua iura vindicant et tuentur. - Quotiescumque vero adest damnum *mediatum*, tunc succurrat oportet magisterium poenale.

Porro advertatur hoc damnum *mediatum* perpendi ex perturbato publico civitatis ordine. Equidem etsi damnum *immediatum* laedat aliquod ius non *privatum* sed *publicum,* ut puta exercitium iustitiae civilis, veluti laedendo leges processus civilis; adeo ut damnum *immediatum* possit dici universale seu tangens omnes cives, quippe qui ius habent ut leges religiose

custodiantur, nihilominus si exinde non extenuetur *opinio* seu *bonum* publicae socialis tranquillitatis, non habetur *damnum immediatum;* quare delicti non adest ratio. Cf. Carrara *op. cit.* §§ *14, 102, 107* sq.

Inde magni ponderis consectarium derivatur. Siquidem in iuribus constitutis diversimode determinantur singula crimina et poenis mulctantur. Pro diversa enim conditione populorum, eorumque varia institutione et indole, alicubi graviter prohibetur aliquis actus quippe aptus, in rerum adiunctis, ad gravem inducendi publici ordinis perturbationem; alicubi idem actus forsan inter delicta ne recensetur quidem, quandoquidem iste actus vel perpetrari non solet, vel si forte perpetraretur, nullam aut minimam *(et de minimis non curat praetor)* secumferret deordinationem.

Hac de causa apud Romanos nonnulla crimina, quippe graviora, expressis legibus et poenis determinabantur; et dicebantur crimina *ordinaria* seu *legitima;* alia minus gravia vel insueta vel saltem ordinario minorem secumferentia ordinis perversionem, certa lege non prohibebantur; sed in genere cautum fuerat, huiusmodi facta, si, pro casus adiunctis, intulissent gravem iacturam publicae tranquillitatis, esse a iudice perquirenda et adaequatis poenis compescenda: haec vocabantur crimina non *legitima* seu *extraordinaria.* - Demum alia habebantur crimina *privata* quae poenis etiam mulctabantur, sed pro indemnitate sua *poenam* persequebantur cives, auctoritate privata, congruam instituentes actionem.

Sed quod nostra magis interest, non dissimilis constitutio habetur in disciplina ecclesiastica. Etenim praeter delicta, ex-

(1) Neque obstat quod delictum sit *ens iuridicum;* seu ontologice *absolutum;* nam absoluta, de se, est *iuris laesio,* aestimanda pro mensura iuris offensi; sed utrum haec laesio inferat damnum *sociale* seu *mediatum,* hoc maxime pendet ex variis rerum et temporum adiunctis. Cf. Carrara § *201.*

presse certis poenis mulctata, in genere prohibentur ea omnia sive facta sive omissa, quae ordinem societatis religiosae pervertere nata sunt. Animadvertit vero in huiusmodi delicta, veluti *extraordinaria*, iudex ecclesiasticus pro legitimo suae potestatis arbitrio; et poenae inde latae dicuntur *arbitrariae*.

Praeterea ipsa suprema distinctio poenarum in poenas aut *latae* aut *ferendae sententiae*, spectat etiam ad hanc regulam iuris canonici; unde nonnullae poenae seu *poenae latae s.* sunt *taxative* adnexae cuidam peculiari facto criminoso, quo perpetrato statim ipsa poena committitur; nonnullae aliae autem seu poenae *ferendae* s., non incurruntur nisi iudex suo decreto easdem infligat. - Iamvero gradus poenae *f. s.* iure can. non ita sunt determinati, prouti fit in hodiernis codicibus, ut respondeant adamussim variae criminis cuiuscumque gravitati, sed enunciato generice delicto, statutae sunt poenae a iudice decernendae pro singulis vicibus, quum crimen perpetrari contigerit. Verum quia non eadem semper est criminis gravitas, proinde iudicis est poenas vel ex integro decernere, vel tantum in aliqua parte pro qualitate et adiunctis delicti. Et hoc est fundamentale in disciplina canonica, et hinc altius in mente figendum.

25. Damnum, quod est mensura delicti, aestimatur etiam in societate religiosa, quatenus pervertit *mediate* bonum publicum, *immediate* ius aliquod laedit sive privatum sive publicum. Nam Ecclesia intendit, uti finem suum, animarum sanctificationem; sed quia *multi unum corpus sumus,* quasi membra unius corporis, ex defectu vel morbo unius membri corpus infirmatur. Ita defectus sanctitatis in uno fideli, qui defectus externe significatur per actionem seu omissionem moraliter malam, pervertit ordinem socialem; non solum quia sanitas deest in uno membro sed maxime quia morbus *externus* alios vel inficit vel saltem inficere potest. - Ex hac perversione vel periculo perversionis ordinis socialis mensuratur gravitas cri-

minis in Ecclesia; et quia crimen sequitur poena, iam intelligitur quomodo poenae ob *salutares effectus* sint criminosi *emendatrices;* et quoad alios *exemplares et praeservativae.*

26. Modo *de dolo* agendum est; quia uti ex *damno* ratio delicti *obiectiva*; ita *ex dolo* pendet ratio delicti *subiectiva*. At in unum conspirant primum et alterum delicti elementum, et constituunt *qualitatem, quantitatem* delictorum, unde *ex qualitate* classes recensentur; ex *quantitate* classes inter se, pro maiore vel minore criminis gravitate, ordinantur. - *Qualitas* seu *species* criminis desumitur, veluti a suo obiecto, a *iure* laeso; *quantitas* mensuratur potissimum a damno *mediato* seu a ratione eius *politicae* imputationis, nempe ob maiorem vel minerem socialem deordinationem. - Tum *qualitas* tum *quantitas* respiciunt *ontologicam* delicti naturam sed *abstractam* ab adiunctis qualiscumque peculiaris criminis; unde, perpensa *qualitate* et *quantitate*, fiunt diversa *genera* et *species* delictorum; et *genera* et *species* ordine *ontologico* inter se comparantur. - Sed quando delictum *in concreto* examinandum est, et animadvertendum in delinquentem individuum; tunc variat *obiectiva* ratio delicti vel quia hoc fuit *imperfectum* vel tantum adfuit *conatus:* sed maxime variat ratio *subiectiva* actionis, quia in delinquente aut ob defectum intellectus aut voluntatis aut ob alias causas liberum arbitrium afficientes, varia habetur imputationis moralis ratio; inde statuitur *gradus* delictorum. - Modo de elemento subiectivo disserimus seu de *dolo*, de *aetate*, de *errore* etc. (1).

In primis, *dolus* apud iurisconsultos Romanos est aut *bonus* aut *malus*. Dolus *bonus* est honesta calliditas seu peritia et prudentia in negotiis peragendis; dolus vero *malus* est:

(1) Haec distinctio *qualitatis, quantitatis* et *gradus* delictorum est perantiqua inter criminalistas: eadem scite et erudite explicat. Carrara, *op. cit.* § *128.* sq. Haec distinctio maximi ponderis est ad rectam aestimationem imputationis *moralis* et *politicae* delictorum.

« *Calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita* » *ex leg. 1. § De dolo malo.* - Dolus *malus* delictum constituit, cum ex illo sequatur damnum ordinem socialem pervertens, nimirum violatio legum poenalium (2) cuiusque civitatis, uti significat *lex 55 ff.* - *De furtis* - « *Maleficium voluntas et propositum delinquentis distinguunt* », quare communiter definitur dolus: « *Voluntas* seu *propositum delinquendi* ». Actus dolosi, qui non mulctantur lege poenali, obnoxii sunt *actioni* seu *exceptioni* doli in re civili seu *ad indemnitatem.* Quinam sint limites in quibus continetur *dolus malus* in re *civili;* et quinam alii in quibus *dolus malus* parit *crimen*, assignandi sunt a lege positiva, uti explicavimus supra *n. 24.*

Propositum autem seu voluntas delinquendi non habetur sine *libertate* in actione et sine *cognitione* sive legis poenalis sive damni saltem, ex tali actu secuturi. - Unde *dolo* opponuntur *vis* et *metus* ex parte *libertatis;* et *error* et *casus* ex parte *cognitionis* seu *intellectus.*

27. Huiusmodi causae, afficientes moralitatem actus in suo fonte seu in *libertate* et *intellectu*, in iure positivo aestimandae sunt habita ratione iuris naturalis; et planum est. Nihilominus ius positivum in pluribus vel determinat ius naturale, maxime in casibus in quibus ratio iuris naturalis non satis est explorata, vel aliquid praeterea expostulat quod iure naturali non exquireretur, vel determinat quasdam generales regulas, quasi praesumptiones iuris utputa quoad influxum *aetatis, sexus*, ne in singula facti specie inquirendum sit de vi iuris naturalis (1).

Iamvero ex hisce rationibus, quae actus moralitatem affi-

(1) Cf. Niccolini, *Quaestioni di diritto* - Fraser, *Dissert. an et quatenus in criminibus imputandis aetati delinquentium habenda sit ratio. Amstelodami.* 1884. - Svinderen, *De iure poenali hodierno circa minores. Groningae.* 1885. - Inter veteres Narbona, *De aetate*; et Baronium, *De effectibus minoris aetatis circa iudicialia. Panormi,* 1661.

ciunt, aliae aeque afficiunt et voluntatem et intellectum, veluti defectus aetatis, amentia, et in universum affectiones seu morbi qui auferunt aut pervertunt congruam rerum perceptionem et appetitionem; aliae, suapte natura, afficiunt voluntatem, et sunt vis, metus, nec non aestus internarum affectionum seu cupiditatum; aliae demum intellectum attingunt, et sunt ignorantia, et error.

28. In primis dispiciamus quomodo *in iure can. aetatis conditio* aestimata fuerit quod ad poenalem actus imputationem. - In Decret. *Lib. V, X, titulus 23*, habetur inscriptus - *De delictis puerorum* - et in *cap. 2 cit. tit.* enunciatur principium « *Unde quoniam in pueris relinqui solet inultum quod in aliis provectioris aetatis humanae leges dicunt severius corrigendum; mandamus quatenus constiterit filium praedicti H. intra 14 aetatis suae annum, eumdem excessum commisisse....* » Sed hoc principium generalem continet regulam, quam pro variis delictorum et poenarum speciebus, expedit ulterius declarare.

1) Ex iure positivo can., aetatis duo supremi termini sunt: Aetas *minor* est usque ad 25 aetatis annum; maior a 25 aetatis anno. In *minori* aetate alii continentur medii termini; nempe *infantia*, quae desinit ad 7 annum, *completum* in poenalibus seu in odiosis, *incoeptum* in favorabilibus; *impubertas*, quae in masculis 14°, in foeminis 12° aetatis anno finitur incoepto, ut plurimum; posthac habetur pubertas (1); sed in *re criminali* tum quoad masculos tum quoad foeminas pubertas censetur anno exacto decimoquarto; cf. Reiffenstuel, *De delictis puerorum n. 5*. Sed intra duos terminos expletae *infantiae* et *pubertatis*, qui medii sunt, dicuntur vel impuberes *infantiae proximi*, vel impuberes *pubertati proximi*, aeque utrinque divisis

(1) Cf. Thesaurus *op. cit. p. I, c. 17*. Quomodo in re matrimoniali *malitia suppleat aetatem* docent Doctores *in app. Comm.*

annis inter hos fines decurrentibus; uti probat Vinnius. *In pandectas - in* § *9. De inutilibus stipul.* - In *maiori aetate* supervenit *senectus,* quum sive masculi sive foeminae sexagesimum aetatis annum ingressi sunt, quamvis viribus polleant integris (1).

2) Iamvero rem poenalem quod attinet, in statuendis regulis, quibus aestimatur diversa aetatis conditio quoad poenas subeundas, in primis ob oculos praeponitur distinctio in poenas *iuris* aut *latae sententiae* aut *ferendae sententiae* et in poenas *ab homine.*

3) Infantes, quippe qui doli incapaces habentur *praesumptione* iuris *et de iure,* etsi leges violent, delinquere non censentur neque poenas incurrunt *ipso iure* latas, etsi reapse doli capaces sint, cf. Borbosa, *De delictis puerorum cap. 2 n. 2.* - Nihilominus a lege mere prohibitiva quoad universam societatem, qualis est *interdictum generale,* dicuntur ligari etiam infantes; probat Bonacina, *De censuris disp. 1, q. 1, p. 4, n.* 9, cf. Thesaurus *op. cit. tot. cap. 17.*

4) Impuberes sed pubertati proximi seu qui decimum annum cum dimidio excesserunt, obnoxii aestimantur poenis *ipso iure* latis; censentur enim *doli capaces;* arg. *l. 14. De dolo malo;* cf. Suarez, *De censur. Disp. 5. Sect. 1, n. 19.* - Sed alii DD. impuberes habent immunes ab hisce poenis. Cf. D'Annibale (*I. 312) arg. c. c. 1-2 De delic. puer.* Ergo, *in dubio iuris,* censendi sunt has poenas non incurrere impuberes.

Sed haec est *praesumptio iuris,* quae cedit veritati seu pro-

(1) Cf. Struvius, *Diss. de iuribus et privilegiis senectutis. Ienae* 1664. - Hommel, *De iuribus senum singularibus* - Schopffer, *Gerentologia sive de iure senum.* - Notat Giraldi in suis adnotationibus ad Thesaurum - *De poenis - P. I. cap. 223* a Hieronimo Lamas hunc limitem aetatis quoad senes fuisse inductum ex falsis documentis; sed puto hanc opinionem praevaluisse, quippe ipsius naturae physicis conditionibus innixa. Cf. D'Annibale (I. 350).

bationi contrariae. Poenae enim canonicae, maxime censurae, plectunt seu animadvertunt in eum, qui dolo malo legem violat et contemnit: sed in dubio *facti* impubes pubertati proximus praesumitur doli expers; et haec est vis regulae modo expositae; siquidem impuberes nulla positiva lege *absolute* ab his poenis eximuntur, arg. *l. Nam ad ea ff. De leg.* cf. Sayrum, *Lib. 6, De Cens. cap, 17, et auctoritates ibi allegatas.*

5) Poenae ipso iure latae, quae impropriae poenae dicuntur et sunt magis leges inhabilitantes seu impedimenta, tenent etiam impuberes *infantiae proximos*, saltem iuxta communiorem et veriorem sententiam; cf. Canonistas commentantes *cap. 1. De delict. puer.* et Clem. *si furiosus.* Huiusmodi poenae sunt irregularitates ex delicto, quippe quae sunt ad instar impedimenti seu inhabilitatis et adhaerent delinquenti nulla habita ratione aetatis, dummodo dolus adfuerit in perpetrante facinus, cf. Sayrum *l. cit.* - Quare in decernendo an quis contraxerit huiusmodi irregularitates, in primis ratio habenda est doli; et aetas assumenda est uti indicium; ex adverso in aliis poenis *l. sent*, aetas iam praescripta assumitur uti regula; et huic regulae derogandum esset; quando evidens erumperet ex adiunctis doli labes, seu factum evinceretur praesumptioni contrarium.

6) Poenas autem *ferendae sent.*, quae sunt infligendae a iudice quando constiterit de criminis qualitate et quantitate, in genere non incurrunt impuberes infantiae proximi; siquidem hi censentur doli non compotes, quousque contrarium constiterit. Quod si etiam probatur, aliquem decennio minorem dolo malo deliquisse, nihilo secius mitius hic est puniendus quam maior puniretur; cf. Reiffenstuel, *De delictis. puer. n. 5.*

7) Pueri pubertati proximi ex praesumptione iuris aestimantur *doli capaces* et hinc obnoxii poenis a iudice *ferendis* auctoritate legis.

8) Aetas *senectutis* causam non constituit *excusationis* seu

minoris imputationis, nisi probetur, supervenisse aliquam speciem *dementiae* aut *amentiae*. - Sed senectus potius eximit a *poenis* gravioribus, quas ferre non valet, aut aegerrime ferret tarda aetas.

9) Denique recurrit regula antea enunciata; nimirum impuberes pubertati proximi ex non satis firmo et evoluto aetatis iudicio non tanti doli capaces sunt, quam minores pubertatem adepti; adeoque puniendi sunt mitius. Praeterea notat Reiffenstuel *l. c.* in aestimanda criminis gravitate impuberes vel ipsos minores facilius excusari si delinquant *omissione* quam *commissione*. Nam frequentius quid imprudentia aut levitate *omittitur*, quam *committitur*. - Quae regula viget etiam, debita servata proportione, pro minoribus, quia in maioribus dumtaxat poenae *ferendae sententiae* plenam sortiri debent executionem ex principis voluntate; siquidem isti perfectam iam nacti sunt mensuram aetatis (1).

10) Poenae latae *ab homine*, quia sunt *speciales*, seu apposite editae in certum hominem, hunc tenent etsi impuberem infantiae proximum, dummodo dolo deliquerit; sed si severiores sint, sunt illicitae. Poenae ab homine latae per *generalem sententiam* comparamus poenis latis *a iure*. Cf. D'Annibale, *I*, *345*, *not. 2*.

(1) Magna lucta est inter Codices et Doctores, quoad *excusationem* tribuendam ratione *aetatis*. - Doctores disputant an haec excusatio vim desumat a ratione *politica* vel a ratione *iustitiae*. Codices discordant in determinandis finibus aetatis, quae *absolutam* vel *aliquam* vel *nullam* mereatur excusationem. Codex Gallicus nullam aetatem habet absolute expertem doli, et hinc admittit quemque, etsi impuberem, posse mulctari gravioribus poenis. Schola Italica, in genere, admittit aetatis primam periodum, in certo limite ex iure positivo praefiniendam, habendam esse uti doli incapacem praesumptione *iuris et de iure*; aetatem paulo progredientem *usque ad certum limitem*, obnoxiam esse examini iudicis, ut pateat an in casu, dolus adfuerit. Cf. Haus, *Observations sur le projet de revision du Code penal*, V. I, p. 313, ubi carpitur systema Gallicum.

29. At quum homo in perfecta aetate naturaliter sortitus est plenam suarum facultatum evolutionem, attamen aliquando *ratio non habet liberum iudicium* (ex D. Thom. *2, 2-154, 5*), quia rationis usus intercipitur vel *habitualiter* vel ad *aliquod tempus*. - Intercipitur habitualiter in *amente* seu in *furioso* qui nullius rei sanam habet cognitionem et appetitionem; item in *demente* seu in *monomaniaco*, qui tamen, uti vocabulum significat non quoad omnia insanit sed tantum quoad certum rerum genus (1). Inquam - intercipitur *habitualiter* - siquidem et amens et demens habent *lucida intervalla*, quibus morbus intermittitur et cessat mentis insania. Cf. Sanchez. *De Mat. lib. I, 8-22.*

Iamvero quia dolus non concipitur sine mentis sano iudicio, hinc amens et demens delinquendi sunt incapaces; amens quoad qualecumque obiectum, demens quoad rem in quam insanit, si lucida excipias intervalla (2). Sed quaestio, an quis sanae mentis

(1) D'Annibale (I, 31, n. 18) refert: « Quidam hodierni psychiatrici dementiae et amentiae eamdem vim esse contendunt, rati nunquam ex parte dumtaxat laedi organum virtutis imaginativae. Quod si verum est, amens nihil agit nec momentis quibus sapit. Amplius: alii nec ignobiles nec irreligiosi novam detexerunt monomaniae speciem, quae in voluntatem, cum primis, imo ut nonnulli ex eis putant, dumtaxat, vim exerit suam; quam quia animi aegritudinem parit, *lipemaniam* vocant. Haec, mente quidem integra, adeo voluntatem enervat, debilitat ut pene enecet; nam qui ea laborat non potest id quod vult nolle, aut id velle quod non vult, licet probe intelligat se rem noxiam vel illicitam facere. Quorum primum salvis moribus, vix, alterum salva fide ne vix quidem admitti posse videtur. Nolumus *abduci doctrinis variis et peregrinis* ». - De hoc commentitio morbo voluntatem afficiente, incolumi intellectu, appellato etiam *abulia* vel *anenergia* disserit, data opera, Ribot, *Les maladies de la volonté*. Sed a veritate remota est quam longissime haec sententia, quia mali habitus et praepotentia cupiditatum inficiunt voluntatem vel obsistunt eius recto cursui, sed inde actus sunt mali et prorsus imputabiles ad poenam, prouti confessus est ipse Ovidius « ... video meliora *proboque*, deteriora *sequor*.

(2) Quoad aestimationem *lucidi intervalli* discordes fuerunt veteres; inter se disputarunt Fachineus, *Controversiae iuris (Lib. 9, cap. 3)* et

fuit in patranda legis violatione, est quaestio *facti* quam iudex, adhibitis potissimum viris peritis, resolvet.

Caeterum regula iuris certa est, neminem praesumi amentem aut dementem, sed contrarium aestimari, quousque probationibus hic status anormalis evictus non fuerit. - Ad *aliquod tempus* intercipitur *in dormientibus* usus liberi arbitrii, quin etiam usus cesset virium physicarum *ad agendum;* quare somnus morti pene aequiparatur (1). Sed adsunt *somnambuli* seu *noctambuli* et *somniloqui*, et hi, inter dormiendum, aliqua peragunt, sed spontanee absque reflexa suorum actuum cognitione. Quare saltem *materialiter*, hi delinquere valent leges violantes; sed quaeritur, an *moraliter* quoque, quia his imputandus sit actus, quem patrarunt vel ex malo habitu iam pridem contracto, vel ex proposito iam inito delinquendi quum evigilabant. Veluti noctambulus qui clausuram violat monialium vel quia hoc patrare proposuerat vel quia in more habebat, committit ne poenas in hoc crimen illatas?

Certe actus sic violatae clausurae crimen non constituit, quia est actus hominis sed non *humanus*, uti loquuntur Theologi. Nihilo secius, in iure can., pro rerum adiunctis locus esse posset *poenae extraordinariae*, veluti ad auferendum scandalum *propositi* delicti antea sufficienter manifestati, aut ad praecavendam *recidivitatem* ex malo habitu.

Praeterea imputari valet factum in somno patratum, si ex *culpa* dormientis istud acciderit; siquidem praevideri poterat

Gomez, *Variae resolutiones (Lib. 3. cap. 1. n. 72).* Codices hodierni iure merito recognoscunt lucida intervalla non esse sufficiens indicium mentis sanae, et hinc causam plenae imputationis, saltem quoad aliquem actum. Cf. Maudon, *Histoir critique de la folie. Paris 1862*, Mittermaier, *De alienationibus mentis.* Hedelbeg. 1825; Verga, *Se e come si possa definire la pazzia. Milano 1874.*

(1) Cf. D. Thomas, *De Somnis;* et Lud. Muratori, *Della forza della fantasia umana;* et Antonius Matthaeus, *De Crim. Prolog.* c. 2.

noxius effectus inde secutus. Sub hoc aspectu passim statuta synodalia poenis vel gravibus plectunt matres vel nutrices, quae infantes in suo lecto collocant, unde non semel fit, miseros puellos comprimi a dormiente in cubili se volutante, cum nec reclamare nec se defendere isti valeant adversus inconscium oppressorem (1).

Somnus aliquando est imputandus quia est causa praevisae *omissionis;* ita qui somno se committit, quum adhuc recitare debeat horas canonicas nec cavet ullimode ut expergefiat tempore ad id utili, crimen patrat omissae recitationis D. Officii.

Denique somnus non naturalis sed artificialis habetur, utpote qui inducitur ex condicto et data opera, potissimum per fixum intuitum rei continuatum et per recollectionem mentis ad unum obiectum, et hodie passim frequentatur, qui dicitur hypnotismus (2). Quia effectus huius status animi est, quem fieri obnoxium voluntati et arbitrio alterius, quum in eo desinat conscientia *reflexa*, at vigeant naturales inclinationes, videlicet potentia, ut ita dicam, ad omnia obedientialis, - Iamvero phaenomenon hypnotismi arctam habet connexionem cum disciplinis poenalibus; quoniam quisque tali sopore pressus facile ad crimina induci valet; quamobrem duae exoriuntur quaestiones:

Licetne se somno hypnotico tradere?

Quae in tali somno perpetrantur in legem poenalem, sunt plane imputabilia?

(1) Cf. Caldero, *Decisiones Cathaloniae Decis. 3.* Thomasius, *Dissertationes iuridicae. Vol. 1. Diss. 11.* Ispanius, *De delicto et poena noctambulorum* sive *dormientium* et *somniantium.*

(2) De arcta connexione hypnotismi cum magnetismo animali seu mesmerismo a medico *Mesmer* evulgato haec habet Lehmkuhl (I, 994 n. 1): « Quum de - *superstitioso magnetismo* - agerem, tetigi tantum quaestionem de - *magnetismo animali* - quem dicunt, seu, quatenus aliquando tamquam remedium curandi morbos laudibus extollitur. Recenti tempore plura ex iis quae magnetismo tribuuntur sive alia explicatione, sive alio

Primae quaestioni absolutum negativum responsum reddi non potest. Ceterum hodie medici vel probatissimi non raro utuntur hoc medio in medendis infirmis; quocirca in hunc scopum se submittere huic sopori non est *de se* illicitum.

Inquam *de se* illicitum; namque tot periculis obvius est hypnotismus, ut hoc uti non liceat nisi quis ex adiunctis certus sit, alterum cui imperio indulgemus, hoc certissime abuturum non fore. Secus uti per se patet, intrinsece malum est, se abdicare libera propriorum actuum electione eamdemque in manus alienas remittere.

Exinde fluit solutio secundae quaestionis. Si quis enim passus est se hypnotico somno gravari vel ad finem inhonestum vel a viro non probatae honestatis; si in tali statu ad delinquendum pertrahatur, certissime culpae expers non est huiusmodi homo; at est criminis reus.

Verum dicendusne hic est reus illius peculiaris criminis admissi vel dumtaxat reus criminis illiciti hypnotismi? Si primum ponatur, poenas incurret vel subire debet adnexas crimini patrato. Sed hoc non videtur verum. Nam in statu hypnotico quis proferens, utputa haeresim, per se, ista haeresis est magis *materialis* quam *formalis;* et in universum, taliter delinquens magis patitur quam agit; deest enim *conscientia reflexa.* Nihilominus si quis indubie aut clare praeviderit se inde certum facinus admissurum fore vel ex cognita intentione hypnotizantis vel ex suo malo habitu, patet tale crimen prorsus esse imputandum et appositam poenam non effugere. - Verumtamen quocumque in casu, quia si non *in effectu* sed in *causa* est reus huiusmodi admissorum ille, qui sinit se implicari sopore hypnotico,

vocabulo hypnotismum dicunt ». Cf. Capellmann, *Medicina pastoralis edit. latin.*, qui Auctor *pag. 28 seq.* disserit de *usu* sane *periculosissimo morphii, cacoini*, et cuiuscumque alterius medicamenti, unde nervorum superexcitatio gignitur; et quaedam quasî *suavis amentia*, seu *ebrietas*.

proinde poenis *extraordinariis* iudex ecclesiasticus animadvertere potest in eum sane gravis culpae non expertem (1).

30. Causae hactenus recensitae animum afficiunt in facultate tum *cognoscitiva* tum *affectiva*. Directe vero influunt in voluntatem seu in electionem liberi arbitrii, *vis* et *metus*.

Vis impedit quamcumque electionem quum *sit maioris rei impetus cui resisti non potest*,

Metus non perimit liberum arbitrium quod tamen movetur *sub mentis trepidatione ob periculum instans aut futurum;* ita enim definiri solet metus. - Iamvero quando aliquis legem violat ad effugiendum periculum *grave* et sibi iniuriâ illatum seu *iniustum*, non habet propositum delinquendi sed intendit in suam defensionem.

Quamobrem quis legem violans ea mensura, qua consulit necessitati suae defensionis, non intelligitur delinquere; at delicti tunc malitia incipit, cum agens in legem excedit limites legitimae tutelae, seu *moderamen inculpatae tutelae,* ut dici solet. Hinc aggressus, arma convertens in aggressorem eumque graviter vulnerans non patrat crimen, dummodo offensionis actio non praetergrediatur terminos defensionis.

Magnum vero interest discrimen quod probe adverti debet inter leges poenales civiles et leges ecclesiasticas, *metum gravem iniustum* quod attinet. - Nam hic metus provocans civem ad aliorum iura violanda excusat in legibus civilibus a crimine, servato *moderamine inculpatae tutelae;* quippe tunc sunt iura humana quae *in collisionem* veniunt, et in hac lucta praevalet in metum passo ius personalis defensionis iuri, quo alii cives potiuntur ad sarcta et tecta conservanda sua bona. - Sed in societate ecclesiastica non semel iura humana contradicere possunt iuribus divinis et in hoc conflictu homo cedat oportet Deo. Veluti fedelis qui necatur nisi Deum neget, vitae antea valedicere debet quam

(1) Cf. D'Annibale, II, 38 seq.

fidei Christianae; secus in hac facit naufragium et abscinditur a communione catholica. Hoc praestare debet homo christianus quotiescumque ad evitandum aliquod factum *intrinsece malum*, discrimen, etsi supremum, obvium habet, ei inlatum a malitia humana. - Quando vero metus non procedit *iniuste* a causa libera; sed provenit a causa physica, et est illud grave discrimen in quo quis reperitur ut sibi consulere non possit quin alteri noceat sibi non nocenti, tunc lex positiva civilis et ecclesiastica non infligunt poenas in actum etsi immoralem; quia lex humana non iubet cum tam gravi incommodo, saltem ad poenam subeundam. - Utputa si quis fame urgeatur in vastissimo deserto et cibum alium praesto non habeat nisi carnes sui commilitonis et hunc enecet, forte peccabit sed poenis latis in homicidas non est obnoxius; quia tunc potius mori quam foedari caede, est actus heroicus qui ab homine poenis comminatis praecipi non valet. Cf. Rossi - *Diritto penale. L. II. c. 23.* Probabiliter neque incurretur irregularitas *ex homicidio*, quamvis haec sit potius impedimentum quam poena, ut suo loco videbimus. Cf. c. 5. *De iis quae vi met. causa fiunt.* X (I. 40) (1); neque obstat Concil. Trid. *Ses. 14. c. 7. De ref.*

In re matrimoniali cavetur, matrimonium *sub metu* initum esse nullum, cum metus gravis est *iniustus*. Cf. Vol. I. n. 262. In doctrina contractuali in genere idem applicatur principium ad obtinendam actuum rescissionem. - In re poenali metus tantummodo *gravis* seu etsi non *iniustus* excusat a *crimine;* utputa si quis farinam aut frumentum furatur *ob periculum instans* aliter non habendi alimenta quibus fami satisfiat, certe non est reus furti; unde effatum *necessitas non habet legem* (2).

(1) Thesaurus - *P. I. cap. 18* - distinguit inter poenas *l. s, et f. s,* et opinatur has non applicari integras sed minui, quando metus non excludit omnem culpam; illas vero seu *l. s.* incurri, quando metus non excusat a culpa. Non probamus hanc opinionem. Cf. Suarez, *De Cens. D. 6. Sect. 3, n. 14.*

(2) Hinc D'Annibale qui (I, 312) ait « *Iure positivo excusat metus*

31. Eiusmodi metus nuncupari solet a criminalistis *violentia physica* seu ab *extrinseco;* quid iuris de *violentia morali* seu ab *intrinseco* proveniens ob aestum cupiditatum? Nemo sane inficias iverit, cupiditates adeo posse movere voluntatem ut eius iudicium praevertant; tunc aestus appetiti, quasi furor, pertrahit hominem ad actum quem voluntas adhuc non elegerat. Inde actus est *hominis*, non *humanus,* est doli expers, saltem in *effectu* si non in *causa.* - Hanc *vim internam* hodierni psychiatri, pseudocriminalistae, vocant *vim invincibilem* seu *irresistibilem* (1) et in hoc errant, autumantes aestum cupiditatum ita dominari homines ut non agant nisi taliter moti ac determinati ad agendum; quamobrem opinantur, homines legem violare, si magis praepotens sit motus appetiti in vetitum obiectum, quam repulsio poenae a transgressore subeundae. - Isti materialistae negant liberum arbitrium eique substituunt appetitus vim quae perducit ad agendum, sive iuxta legem sive adversus legem pro maiore efficacia qua appetimus vel ipsam legem vel obiectum ab ea prohibitum.

De sententia quae repetit malas voluntatis deliberationes ex quodam morbo quo ista afficiatur, iam vidimus in not. 1. *p. 44*. Unde inferunt voluntatem pertrahi ad agendum ab appetitu rationis nescio, vel arceri ab agendo, quod lege iubetur, ob quamdam virium destitutionem, refugientem a quocumque deliberationis motu. Nostrum non est refutare haec sophismata quae quamvis damnata a communi hominum sensu et ab intima nostrorum actuum conscientia, nihilo secius, malo fato, crepitantibus

qui a lege humana excusat; id est iniustus et gravis seu absolute seu relative », intelligi debet tantummodo de metu qui ab homine incutitur. Nos *metum* assumimus largius prouti hodie solent criminalistae, et sub metu comprehendimus nonnulla gravia incommoda quae excusant ab observantia legis humanae *non iubentis cum gravi incommodo.*

(1) Codex Gallicus *art. 64* utitur hac parum felici dictione, sed in alium sensum.

buccinis, in plateis et ipsis in publicis scholis praedicata, multos decipiunt et iuvenes potissimum, rerum novarum studiosos et in licentiam pronos.

Quia homines decipiuntur *specie veri,* unde quacumque in doctrina vel perditissima aliquid veri continetur, inde in placitis huiusmodi criminalistarum illud veri habetur, scilicet non semel aestum cupiditatum mentem ita pervertere ut homo in amentiam labatur vel in dementiam etsi ad breve tempus; aliquando vero, cupiditatum motus quin perdat intellectum, eius iudicium minime attendit sed hoc antecedit pertrahendo, instincto irreflexo, facultatem ad actum. Diserte hoc docuit D. Thomas, *Summ.* I[a] *II[ae], Q. VI, art. 7* (1).

Quocirca ordo in homine praeposterus et naturae contrarius est, ut vincat et praeveniat intellectus iudicium praepotens vis appetitus, quippe ordo moralis et psicologicus expostulat, appetitum subdi rationi, ut huius imperio et iussu appetitus vel a suo obiecto abstrahatur vel in idem labatur. In foro externo non praesumitur, quem ita abripi vi cupiditatis ut non conservet usum rationis; sed quando hoc in probatis existeret, iudex sive ecclesiasticus sive saecularis iudicabit locum non esse poenae, ubi criminis non adfuit dolus seu propositum (2).

(1) De moderamine *inculpatae tutelae,* consulendi sunt Nicolini, *Quest. di diritto, P. 2, q. 25, n. 9, et q. 26, ediz. Livorno,* pp. 289, 293. - Haus, *Cours de droit criminel,* § 161. - Bélime, *Philosophie de droit, tom. I, pag. 204.* - Gregory, *De inculpatae tutelae moderatione* - Berner, *De impunitate propter summam necessitatem proposita.* - Quia uti habet Florentinus in leg. *3 ff. De iust. et iur.* « *Quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse intelligitur* » tamen haec tutela privata quae substituitur publicae defensioni ob ingruentem necessitatem, *iure* locum habet, quando damnum timetur, 1) *iniustum,* 2) *grave,* 3) *inevitabile.* - Nomine *corporis* in lege Florentini comprehenduntur *bona* omnigena quae sunt *irreparabiliter* amissa, nisi a privato taliter defendantur. Cf. Carmignani, *Teoria delle leggi della sicurezza sociale.*

(2) Species coactionis moralis consistit in auctoritate quae est aut

Aestus cupiditatum accenditur *naturaliter* ob vividam apprehensionem obiecti in phantasia; phantasia autem vehementer excitatur ex usu et qualitate ciborum vel potuum; et potissimum ex abusu quarumdam potationum ex vino vel aliunde expressarum. Inde in animo progignitur status ebrietatis, cuius varii sunt gradus. Gradus extremus est sopor lethargicus qui hominem occupat quum ciborum aut potuum nimietas aut qualitas ita humanas facultates hebetat ut somnum conciliet. Hac ratione *medicina-legalis* distinguit in ebrietate statum *ilaritatis, furoris, lethargi.* - Cf. Puccinotti, *Lez. di medic. legal. Lez. 23. Pisa, 1840.* At ebrietatis proprium est magnopere excitare phantasiam et calorem augescere appetituum qui praepotenter alliciunt voluntatem ut sibi praecipiti deliberatione indulgeat. - De hoc effectu ebrietatis quaerunt criminalistae quod ad rem poenalem, ut dispiciant an ebrietatis ardor, quasi violentia physica sed *intrinsece* urgens, minuat actuum imputationem; an eamdem augeat. - Verum quum varii gradus, a lethargo nempe mensurandi usque ad modestam ilaritatem, contineant hunc statum qui in homine inducitur ex usu ciborum et potuum, patet effectus inde dimanantes in deliberationes voluntatis hac mensura esse dimetiendos.

Porro ebrietas potest considerari et quatenus est aliquod factum *moraliter* et *socialiter* reprobandum; et quatenus est status animi impellens ad agendum et influens in moralitatem actionum aut omissionum. - Sub 1° aspectu in re canonica ebrie-

domestica, aut *ierarchica,* aut *politica.* - Ex *auctoritate domestica et ierarchica* fit *metus reverentialis;* et regula est, metum pure reverentialem non excludere actus imputationem sed hanc pro adiunctis non semel minuere. - Non exinde excluditur casus *exceptionalis* metus reverentialis qui aliquando, in casu concreto, dirimat quamcumque imputationem. - Auctoritas *politica* seu legalis, dummodo non iubeat aliquid *intrinsece* malum, aufert qualitatem actus criminosam; utputa non delinquit civis qui non observat legem, forsan illegitime abrogatam a Gubernio usurpatore.

tas est crimen potissimum in clerico; in re *civili* magis habenda est, quasi *transgressio* in leges politiae, quippe est factum quo aliis facile noceri potest; ita iure merito in Cod. Ital. poen. *a. a. 488-489*, ebrietas inter *transgressiones* recensetur. Sed passim in aliis legislationibus habetur uti proprium delictum. - Sub 2° aspectu consideratur ebrietas quatenus, ob superexcitatam phantasiae vim, ebrius patrat facinora quae pacato animo non perfecisset, aut ea omittit facere quae nisi potu obnubilatus praetermittere non ausisset. - Distinguitur autem efficacia impulsus aut influxus *moralis* ex vario gradu ebrietatis; haec enim dicitur *perfecta* quando impedit omnino usum facultatis intellectivae; minus *perfecta* quando extenuat et debilitat eiusdem facultatis vim. Ebrietas *perfecta* aufert actus moralitatem; sed si *voluntaria* fuerit ebrietas, ebrius non *dolo* sed *culpa* tenetur et hinc puniri potest ratione culpae seu *quasi-delicti*, de quo infra. - Excepto casu quo ebrietas fuerit non tantum *voluntaria*, sed *affectata*, uti loquuntur scholae, nempe ex industria quaesita ad facilius aut audacius delinquendum; et huiusmodi ebrietas certe non excusat a crimine, sive *perfecta* sit sive *imperfecta* (1). - Siquidem, ordinario, ebrietas *imper-*

(1) Ebrietas vero sive uti *transgressio* sive uti causa excusans seu minuens aut dirimens imputationem, est *voluntaria*, non *accidentalis*; et magis *voluntaria* habetur si est *habitualis*. - Verum adverti debet nos locutos esse magis de *iure constituendo* quam de *iure constituto*. - Nam in legislatione canonica de ebrietate certae leges latae non sunt; sed uti crimen *extraordinarium* consideratur pro rerum adiunctis et punitur poenis *extraordinariis* seu arbitrariis. Maxime in clericis gravius crimen est ebrietas, et eis inurit gravem infamiae notam. Etiam laici, si ebrietati indulgeant, scandalum afferunt fidelibus et sibi gravem iacturam spiritualem, unde poenam merentur. - In legibus civilibus-poenalibus magna lucta et discordia. Nos proposuimus systema quod notioni delicti et quasi delicti, et naturae transgressionis magis videtur conforme; sed ab hoc discrepat Schola Anglica et Gallica quae opinatae sunt ebrietatem non esse causam *excusantem* seu *minuentem* imputationem. - Ex adverso

fecta, dummodo non affectata, est ratio minuens actus imputationem. - Cf. Tiraquello, op. cit. *Caus. 6, n. 10,* et Bierman, *De eo quod iustum est circa ebrios. Altorf. 1742.*

32. Demum disserendum est de causis quae influunt in moralitatem actus, attingentes intellectum seu rei cognitionem. Istae sunt *ignorantia* et *error*. - In vulgari sermone indiscriminatim unum et aliud vocabulum assumitur ad significandum quemcumque defectum cognitionis alicuius rei, sed philosophice magnopere discrepant inter se. Etenim ignorantia est: *carentia notitiae de aliqua re;* dum error est: *rei notio falsa.* Ut ecce *idiotae, surdi-muti a nativitate, coeci a nativitate res omnino ignorant*, ex sua conditione seu nisi apposite instituantur ad rerum primigeniam notitiam; *errant vero circa rerum moralem aestimationem* qui falsa sequuntur placita, utputa socialismi aut anarchiae.

Cum agamus de *ignorantia* et *errore* utpote causis excusantibus a poenis subeundis, patet hic non sumi *ignorantiam* quae est carentia qualiscumque rerum notitiae, prouti fit in *idiotis*, veluti in *surdis et mutis* aut *in coecis simul a nativitate* non congrue institutis et hinc inhabilibus vitae sociali; sed de his qui agunt aliquo capti errore. - Revera *nihil est volitum quin praecognitum;* quare carentia notitiae alicuius rei non potest esse principium actionis. - Nihilominus passim et in foro et in commentariis legum poenalium invocatur haec

Schola Germanica et Italica ebrietatem habuerunt uti causam *excusantem* vel etiam *dirimentem* criminis imputationem. - Huic doctrinae favent leges Rom. quia in l. 5, § 2, ff. *ad leg. aquil.* recognoscitur, ebrietatem esse causam *dirimentem;* aliquando *excusantem*, in *l. 7, ff. ad leg. aquil. et 11, ff. de poenis.* - Praeterea in Anglia, in Gallia, in Germania, in Russia, in Statibus Amer. Sept. foederatis compescitur, propriis poenis, ebrietas veluti *delictum* sui generis. Dumtaxat in Cod. Ital. poenal. punitur uti *transgressio;* et sub aspectu poenal. civ., hoc videtur rectius. - Cf Carrara, *op. cit.* § 332, seq.

causa a poenis excusans, nempe ignorantia aut error. Quandoquidem error est species ignorantiae sed non est simplex ignorantia.

Suarez - *De legibus - L. V, c. XII* quaerens « *Utrum ignorantia excuset poenam legis* » docet sub. n. 1. « Oportet autem nonnullas distinctiones ignorantiae prae oculis habere quae latius *in T. 2, q. 6 et 76* traduntur. Nam ex parte modi est vulgaris distinctio ignorantiae in *probabilem* quae *invincibilis* et *inculpabilis* et *antecedens* dici solet; et in *improbabilem* seu *culpabilem* aut *vincibilem* seu *consequentem* (*concomitantem* autem omitto quia ut talis est, mea sententia, neque accusat neque excusat quoad exteriorem actum) (1). Solet autem ignorantia culpabilis distingui in *affectatam, crassam* et generaliter *vincibilem*. Veruntamen de *affectata* (2) non loquor quia nihil excusat; omnis vero alia, si talis sit, ut non excuset a culpa mortali, *crassa* et *supina* in universum dici potest: si autem solum habeat admixtam negligentiam venialem non est culpabilis, nisi secundum quid recteque dicitur *ignorantia levis*. Loquor autem *theologice;* nam iuristae in ordinem ad aliquos effectus iuris aliter solent hanc ignorantiam culpabilem distinguere in illam quae ex *lata, levi* vel *levissima* culpa procedit etc. ». Nos de hac triplici distinctione culpae agemus explicantes *quasi-delicta*. - Prosequitur Suarez « Ulterius ex parte rei ignoratae potest dari ignorantia vel totius legis et prohibitionis eius vel solius poenae, ut quando quis non ignorat esse prohibitum, v. g. hodie comedere carnes, ignorat tamen aliquam censuram vel poenam esse illi peccato adnexam. Et deinde quando ignoratur prohibitio ipsius legis humanae, potest actus esse alias intrinsece malus vel divina lege prohibitus, quod non

(1) *Concomitans* ea est quae quamvis modo deceperit animum agentis, nihilo secius, etsi non extitisset, voluntas in illum actum se determinasset.

(2) Infra explicabimus quare haec sententia ita absolute pronunciata recipi non possit.

ignoratur; aut potest tantum esse malus quia prohibitus; ac proinde si probabilis ignorantia humanae legis interveniat erit non malus ac subinde bonus vel indifferens. Denique nulla interveniente ignorantia iuris potest intercedere ignorantia facti, quia nimirum opus non putatur esse tale (1) quale per legem prohibitum est. Haec de ignorantia. De excusatione (2) vero distingui potest, utrum sit in foro conscientiae, vel in externo. vel in utroque simul. - Uti ad utramque excusationem intelligendam conferet animadvertere an poena sit ipso iure lata, vel tantum inferenda ».

Praestat retulisse Suaresii integrum textum ut pateat omni ex parte status quaestionis quae ab eo perpenditur, pro conditione suorum temporum, quoad ius poenale tum ecclesiasticum tum civile. - Suaresius et passim canonistae, ita Thesaurus *op. cit. P. I. c. 15* loquuntur semper de *ignorantia iuris vel facti*, non *de errore*. Fere semper invocatur *ignorantia iuris vel facti*, quamvis revera, conceptuum attenta proprietate, res esset de *errore* iuris; sed quia ignorantia, quasi genus, uti explicavimus, magis late patet, seu et quia quocumque in *errore* subest *ignorantia*, ita libentius hoc vocabulum usurpant. Et nos a recepto more non discendemus.

Rem nostram quod attinet, distinguimus ignorantiam *iuris*, ignorantiam *facti*, et ignorantiam *poenae*. Adest ignorantia *iuris* quando quis falso arbitratur vel legem non adesse vel aliquam

(1) Nimirum quis occidens hominem clericum quem putat esse laicum *non arbitratur factum esse tale quale per certas leges prohibitum est.* Secus, enim si quis putet certum factum non comprehendi sub lege, ignorantia vel potius error est *iuris.*

(2) Auctor distinguit vim *ignorantiae ab excusatione* quia in foro interno ignorantia excusat si de facto defuit malitia peccati; in foro externo aliquando non probatur, ignorantiam iuris fuisse invincibilem et inculpabilem; quare contrarium praesumitur, ut infra docebimus et hinc non fit locus *excusationi* a poena subeunda.

actionem lege non prohiberi; ignorantia est *facti* si quis fallitur quoad obiectum seu terminum suae actionis; ignorantia *poenae* est carentia qualiscumque notitiae de poena, vel falsa notitia de poena adnexa cuidam actioni. Inde statuimus has regulas (1).

1) *Ignorantia poenae, si censuras excipias, non excusat a poena subeunda.* - Nam propositum delinquendi seu dolus integre se prodit cum quis probe cognoscit se violare legem sive humanam sive divinam, quamvis ignoret se poenam passum iri vel iam latam vel ferendam. - Hoc verum est potissime iure can., quo ex poenis *ferendae* sententiae, nonnullae sunt *arbitrariae* seu *extraordinariae*. - At censurae excipiendae sunt quia feruntur in contumaces seu in eos qui has poenas aut nihili faciunt aut spernunt. Cf. Suarez, *De censuris Disp. 4. Sect. 8 seq.*

2) « *Ignorantia facti semper excusat a poena si excipias nonnullas poenas improprie dictas, et quasi impedimenta, seu inhabilitates, veluti irregularitates* ». Ait Suarez de legibus *l. c. n. 2. (sub. med.)* « Quapropter si intercedat ignorantia quae culpam excusat aut excusare sufficeret, si actus esset prohibitus, illa reddit actum involuntarium et ideo etiam excusat illam poenam. Atque similis responsio applicanda est ad simi-

(1) Revera criminalistae rem criminalem quod attinet, non distinguunt subtilius inter *ignorantiam* et *errorem*. et indiscriminatim usurpant vocabulum *ignorantiae* aut *erroris* ad significandum illum statum animi quo quis non recte cognoscens rerum veritatem *se determinat ad agendum.* - Ignorantia vero, proprie sumpta, qua est *carentia cuiusque cognitionis* non potest esse principium actionis; unde hodie communior est appellatio *erroris.* Sed in quocumque errore subest *rei ignorantia,* quasi genus. Imo Savigny asseruit *errorem* non distingui ab *ignorantia* - Hoc non est undequaque verum; sed antiqui loquuntur semper de *ignorantia iuris et facti.* - Cf. Buri, *Sulla causalità e la sua imputazione. Lipsia, 1873.* - Renazzi, *Elem. iuris crim. l. I. c. 8.* - Van Pelt, *De ignorantia et errore in delictis.* - *Gandavi,* 1826; - Bonfils, *De la compétence,* pag. 280 - Klein, *De innoxia mulierum iuris ignorantia. Gustraviae. 1706.*

lem instantiam quae fieri potest de *irregularitate* vel alia *simili* inhabilitate, quando non imponitur sub propria et rigorosa ratione poenae, sed propter indecentiam ». Hac de causa ex *cap. fin.* - *De homid. in 6.* ex *homicidio casuali* inducitur irregularitas. Videlicet quis dans operam rei valde periculosae utputa venationi actae *cum strepitu* seu comitante venatorum multitudine, etsi adhibeat omnem diligentiam sed ex *infortunio* aliquem occidat vel mutilet, fit irregularis, nempe ob mortem, vel mutilationem inde sequutam. - Item ratione *simoniae,* quis *incurrit inhabilitatem* ad beneficium simoniace acceptum, quamvis alterius opera simonia commissa fuerit.

3) *Ignorantia iuris non excusat. Sed haec est simplex praesumptio quae cedit veritati* (1). Etsi Doctores passim, uti Suarez *l. c.* asserant in iure criminali valere contrariam regulam nempe *iuris ignorantiam excusare,* tamen addunt hanc ignorantiam non praesumi sed probandam esse, seu debere esse *nvincibilem* seu *inculpabilem,* siquidem nemo censetur ignorare egem vel exprimentem ius naturale vel iuri naturali arcte consentaneam. Praeterea advertunt ignorantiam graviter *culpabilem* seu *vincibilem* non excusare cum nemini culpa suffragari debeat. Ignorantia vero leviter culpabilis, in genere, aestimatur non culpabilis, quippe in re criminali *parum pro nihilo habetur.* - Quapropter magis accomodum est regulis iuris, principium generale constituere a nobis praestitum, quia possidet praesumptio, *neminem ignorare ius,* quae simplex praesumptio cedit contrariae directae probationi, sc. in casu ignorantiam adfuisse eamdemque non culpabilem. Probata autem ignorantia excluditur propositum delinquendi seu dolus. Eo magis quod non excusat ignorantia iuris positivi humani quando factum aperte reprobatur a lege naturali; leges vero poenales humanae

(1) Ita in cod. Ital. poen. vigente, editur hoc principium et absolute, seu *ignorantia iuris non excusat,* sed non prohibetur quominus probetur in aliquo casu, ignorantiam dolum prohibuisse.

saltem graviores, quarum nempe violatio est *crimen* et non simplex *transgressio*, pressius exprimunt ipsum naturale ius; et hoc neminem latet. Tunc enim actus violationis est *moraliter malus* et qua talis, poenis condignis animadvertendus est a societate sive civili sive ecclesiastica. Namque dummodo adsit propositum delinquendi seu *dolus* vel in legem naturalem vel in positivam, adest ratio poenae. - Nos loquimur - *de dolo* - sed antiquiores canonistae etiam in re poenali civili loquuntur de *peccato*, utpote de elemento criminis necessario ad poenam committendam.

Quare ex dictis patet, peccatum seu violationem legis poenalis, quoad forum externum, idem esse ac dolum seu propositum delinquendi. Ita intelligendus est Suarez. *l. c. n. 2*, constituens hanc regulam « *Omnis ignorantia quae excusat factum ne peccatum sit, excusat etiam debitum poenae in utroque foro* ». Sub *n. 4 sq.* ponitur regula « *Quando ignorantia non excusat a culpa gravi, propter quam poena legis lata est, non excusat simpliciter a poena, nisi in lege addatur verbum quod scientiam aut* dolum *requirat.* » In hac regula *dolus* opponitur *peccato*, et hic *dolus* assumitur pro *expressa* voluntate violandi legem quasi hanc contemnendo; *peccatum* pro simplici proposito agendi aliquid illicitum. Ipsa enim lex positiva aliquando poenam non imponit nisi gravior malitia adsit in delinquente; quia aliquoties adest propositum delinquendi seu peccatum *mortale*, sed non reperitur in facto ea legis violatio quae deturbat graviter ordinem externum societatis et hinc poenam mereatur in foro externo. - Nos hanc regulam ita exprimimus: *Excusat gnorantia iuris etsi graviter culpabilis quum poena lata est in legem* VIOLANTES, TEMERE aut SCIENTER aut AUSU TEMERARIO aut IN VIOLARE PRAESUMENTES, AUDENTES.

Ratio principii in aperto est; verba enim legis *otiosa* non sunt sed aliquid operari debent. Proinde lex taliter significata

poenam infert in eum tantummodo qui legem habens perspectam, nihilominus eam contemnens violare audet. Nimirum huiusmodi lex non punit simplicem violationem, sed eam quae perfecta est cum plena legis cognitione. - Huiusmodi ignorantia graviter culpabilis a Bonifacio VIII appellata fuit *crassa et supina* in *cap. 2. - De Const.*, X (I. 2) edicente hanc non excusare in genere a poenis subeundis.

Quaestio est inter Doctores an excuset etiam *ignorantia* legis *affectata* seu causata ab eo qui non vult legem scire ut bene agat. - Ut certa ab incertis secernamus, absque dubio haec ignorantia non suffragatur quum poena lata est in *temere,* in *ausu temerario* agentes. Sed quaeritur, an haec suffragetur quando poena lata est in *scienter,* in *consulto* legem violantes. Suarez, *l. c. n. 6.* cum *glossa* et aliis autumat ignorantiam *affectatam* minime excusare quia *scientiae in iure aequiparatur*, et addit, istam magis augere culpam quam minuere, cum includat *scientiam saltem periculi et dubitationis.* - At D'Annibale (*I. 312, not. 72*) opinatur, citans Lehmkuhl *(II. 886)* tunc excusare ignorantiam *affectatam,* quia ignorantia etsi *affectata* nunquam est scientiae aequiparanda, et advertit, minus contemnere legem qui hanc ignorare conatur, ne sciens prudens eamdem violet et concludit: « Existimo ergo hanc sententiam quia versamur in odiosis tenendam esse, nisi forte canones expresse coerceant eum, qui delinquit *scienter* seu *affectata ignorantia;* ut in *c. 2. De temp. ordin.*, quae *exceptio firmat regulam in contrarium* ». Puto huic sententiae adaerendum esse non tantum ex *principio reflexo*, sed etiam ex *intima ratione.* Verum ne fiat aequivocatio, oportet probe explicare conceptum ignorantiae *affectatae,* quatenus distinguitur a *crassa* et *supina.* - Ignorantia *crassa* et *supina*, iuxta nonnullos Doctores quos citat et sequitur Gury (II. 939) est quaeque ignorantia *graviter culpabilis;* sed iuxta alios, Lehmkuhl et canonistas ab eo citatos, ea habenda est ignorantia *crassa* et *supina* quae *ex negligentia* vehementer gravi oritur, unde

quis *neglegentissimus* habeatur. - Quia in re poenali utimur interpretatione reo favorabiliori, hinc in praxi hanc sequimur alteram sententiam. - *Affectata* ignorantia discriminatur a *crassa et supina* quippe ista non consistit tantum *negative* in negligentia gravissime culpabili, sed *positive* oritur ex proposito non inquirendi legis notitiam, quum hanc perspecte cognitam quis violare forsan non auderet (1). Quocirca *affectata* non est dicenda ignorantia quam delinquens praeseferat vel simulare praetendat, heic enim non habetur in animo *status ignorantiae,* sed externa simulatio vel figura.

4) « *Pro foro externo vi cap. 2, De Const. in 6* (I. 2) *ignorantia sive iuris sive facti debet esse graviter culpabilis; at gravitas culpae non desumitur exclusive a malitia peccati lethalis* ». Ponimus hanc conclusionem, quam arbitramur consequi ex distinctione quae intercedit necessaria inter forum internum et forum externum. Suarez *op. cit. l. cit.* uti criterium gravis culpae et hinc uti conditionem ad poenam subeundam ponit hanc regulam « *Omnis ignorantia excusans factum ne peccatum sit, excusat etiam poenam debitam in utroque foro dummodo in lege aliud non exprimatur* ». Iamvero iuri positivo can. hoc principium conforme non esse contendimus, quia expresse Bonifacius VIII *cap. 2 De const.* (I. 2) decernit « *Ut animarum periculis obvietur... ligari nolumus ignorantes,* dummodo *eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina* ». Atqui, notat scite D'Annibale *(I. 312 not. 69),* exinde fluit, ignorantiam excusare ex indulgentia legislatoris qui *nolit* ignorantes ligari. Sed ignorantia quae excusat a culpa mortali, excusat ipso naturali iure. Ergo legislator iussit excusare ignoran-

(1) Rationem quam reddit Suarez *l. c.* asserens, ignorantiam affectatam *plus doli* continere quam *ipsam scientiam,* quippe ista *includit scientiam saltem periculi* et *dubitationis,* non possumus probare, nam haec scientia efficit ut graviter peccetur sed non ita graviter delinquatur ad incurrendas latas poenas.

tiam gravem, étsi a peccato mortali non immunem, si ista *externe* seu *obiective* illam gravitatem non attingit quae poenis percelli solet quaeque puniri praestat in foro externo; et haec est *crassa* et *supina*. Pontifex haec edicendo adaesit regulis iuris rom. ex *l. 6. ff. De iur. et fact. ignorant.*, scilicet « *Nec supina ignorantia ferenda est... nec scrupulosa ignorantia exigenda* ». Hanc regulam secutus iudex ecclesiasticus evitat scopulos hinc inde aeque devitandos; nimirum sinendi impunitam ignorantiam graviter et evidentur culpabilem; nec non arcendi fideles a laqueis poenarum, quotiescumque poenae impositionem praecise non expostulat ordo socialis.

Hanc viam magis conformem ordinationi externae societatis iam inire coepit Gregorius VII sua Const. « *Quoniam* » *in can. 103, caus. 11, q. 3* unde consultum fuit, minorem excommunicationem non incurrere nisi qui dolo malo cum excommunicatis communicassent; « Quoniam, ait (Pontifex), multos... pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim *ignorantia*, partim *nimia simplicitate*... anathematis sententiam... temperamus » (1). Quamobrem Bonifacius VIII legem ampliavit ad cuiusque generis poenas et certis limitibus constrinxit indulgentiam iuris, *ignorantiae causa*. Cf. Sanchez, *De mat. Lib. IX. 32, 31.*

Quaeritur demum an ignorantiae culpa metienda sit *ex desidia ipsa*, uti autumant Sayrus, *Thesaur. Lib. 1, cap. 18, n. 4;* Bonacina, *De cens. in gen. Disp. 1, q. IX, p. 1, n. h.* - et auctores ibi citati, vel potius *ex obiecto*, ut opinatur Suarez, *De cens. D. IV Sec. 10, n. 10.* - Respondemus hanc secundam sententiam veriorem esse *philosophice* inspectam; sed primam magis conformem esse tum iuris rom. tum canonum rationi loquendi, nec non applicationi iuris; nam iudex qui

(1) Haec Constitutio, ex mente Pontificis, *ad tempus* lata fuit, sed notant DD., ex receptis moribus evasisse perpetuam.

dolum persequitur, exequendo legem poenalem in primis attendit an ille actus, *in concreto*, criminis malitiam prodat; quo sensu homo huius negligentiae reus dicitur *supinus* vel *desidiosus* et ita porro. - Denique una et altera sententia facile inter se conciliantur, quum *desidia* sit magis culpabilis in *re* seu *obiecto gravi* quam in *levi*, et hinc ignorantia quae levis est culpa in re levi, gravis est in re gravi; et planum est. Cf. D'Annibale, *I. 297, not. 13.*

5) *Ignorantiae non culpabili seu invincibili aequiparatur inadvertentia.* - Ait Thesaurus *op. cit. l. cit. cap. 15:* « Amplia ut etiam dicatur ignorantia inculpata, ignorantia actualis seu incogitantia naturalis vel actualis oblivio etsi cum scientia habituali ». Ita Suarez, *De cens. Disp. IV Sect. 8. n. 5.* et Lugo, *De inst. et iur, VII 43.* Veluti si quis die festo, immemor, missam non audit. At in foro externo, inadvertentiam non sufficit asserere sed eam vel iuramento vel aliis congruis probationibus evincere oportet,

§ 2. - *De quasi-delictis.*

Summarium. — 33. De notione quasi delicti. — 34. De culpa et casu. — 35. De casu coniuncto cum culpa seu dolo. — 36. Imperitia aequiparatur culpae.

33. In genere advertimus, agentes de somno, de ebrietate, aliquando a negligentibus vel desidiosis hominibus fieri ordinis socialis laesionem, quae patratur non ex proposito delinquendi sed ex defectu necessarii consilii in agendo; quamobrem huiusmodi factum, morali imputatione, tribuitur suae causae quia noxius effectus inde sequutus praevideri poterat et debebat; ut ecce mater, inter dormiendum, filiolum opprimens in suo lecto recumbentem, fatalem casum praevidere debebat. Attamen minore reprobatione percelluntur ista facinora quia deest propositum delinquendi; unde appellata sunt *quasi delicta*, seu *quasi maleficia.*

Iuxta explicatam notionem quasi delictum - *est factum inconsultum quo alteri nocetur iniuste*. Unde tria elementa sunt necessaria 1) *effectus nocivus* 2) *non praevisus* 3) *sed qui praevideri poterat et debebat*.

34. Eamdem definitionem reliquunt iuristae *de culpa*, arg. *l. 50, § 1. Ad L. Aquiliam*. Ita Vinnius ad tit. *Quibus modis re contrahitur obligatio in* § 2. *n.* 7. Sed minus recte, quia *culpa* in *quasi delicto* est elementum pure *subiectivum* et consistit - *in voluntaria (seu imputabili) omissione debitae diligentiae in aestimandis effectibus facile sequuturis ex aliquo facto*. Cf. Carrara § 80. - Et haec culpae notio se refert etiam ad obligationes civiles. - Revera culpa tum in re civili tum in re criminali eodem conceptu continetur, sed diversos habet affectus (1). Nam culpa *civilis* obligat tantundem ad praestandum id quod interest, pro mensura iuris lesi. *arg. cap. un. De comm.* X (III. 15); culpa *in re criminali* praeterea poenis mulctatur (2). - Uti *vis* aufert quodcumque propositum delinquendi seu delicti imputationem quippe est *res maior cui resisti non potest;* ita culpae opponitur casus, scilicet: *Eventus qui praevideri non potuit vel cui praeviso non potuit occurri; ex leg. 16 § 1. ff. Loc. et conduc.* sive hic eventus a rerum natura repetendus sit sive ab aliorum voluntate. Siquidem ratio moralis imputationis in quasi-delicto tota consistit in damno alteri illato *inconsulte* seu quod *praevideri* debebat.

(1) Et in iure rom. de *quasi-delictis* agitur, habita ratione potissimum obligationum quae inde enascuntur; ita in Inst. Iustiniani *in lib. IV. tit. V. agitur - De obligationibus quae quasi ex delicto nascuntur* - Hinc plurimum differt huiusmodi quasi delictum, a quasi delicto de quo nos agimus in re criminali. Hoc latius explicant Borgero, *Dissertationes iuris - disp. 6. De quasi delictis*. Lipsiae. 1707. Lussaud, *Thés. des délits et quasi délits*. Paris. 1860. - Ad rem cf. Winssinger, *Dissert. Quaenam sit differentia inter delicta dolosa et culposa*.

(2) In re morali Theologi loquuntur de culpa *theologica* et ipsis culpa *peccatum* est.

Negligentiae causâ contingit non fuisse praevisum damnum ex certa actione derivatum; quamobrem in fontibus iuris culpa appellatur etiam *negligentia;* ita *ex l.* § *3. ff. Quibus mod. re contrahit. - et cap. ult, De iniur, et dam. dat. X* (V. 36). Culpae seu negligentiae gravitas desumitur ex defectu diligentiae quam adhibere quis debuisset ad praevidendum noxium effectum et hac ratione culpa dividitur in *latam*, *levem* et *levissimam.* Iamvero communi diligentia non uti seu ab omnibus adhiberi solita, culpa est *lata;* non ea uti quam adhibent viri diligentes est *levis;* quam diligentissimi, est culpa *levissima.*

Levissima culpa imputari non solet, neque ad refectionem damnorum (1) neque ad poenam, quia *de minimis non curat Praetor.* - *Lata* dolo aequiparatur, unde regula « *Magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est* ». *ex l. 7 ff. Ad L. Corn. de Sicariis.* Quare tunc habetur magis delictum, quam quasi-delictum. - *Levis* imputatur et in ea consistit malitia *quasi-delicti*, cuius nempe facti exitus a diligente facile praevideri poterat.

35. Quaeri debet an *casus* cum *culpa* coniunctus esse possit, quod ad moralem imputationem. - Utputa quis dans operam rei illicitae ut ecce clericus vacans venationi ei prohibitae, si casu hominem occiderit, tenetur ne hic de homicidio? Non defuerunt Doctores ita opinantes, arg. *c. c. 7, 8, 11, et 20, de homicid. X* (V. 12); cf. S. Alphons. VII *377*, *387*. Sed haec opinio haud tenenda est, quia in huiusmodi facto, etiam *quasi-delicti* deest qualitas, quippe eventus prorsus fortuitus nullimode praevideri potest; nec proinde imputari, cf. Suarez *De cens. Disp. 45, Sect. 5, n. 3.* Argumentum quod deducunt ex *cit. c. c.* adversi Doctores laborat aequivocatione, quia in his canonibus res est de irregularitate quae proprie poena non est, sed quoddam est impedimentum; et praeterea etiam ad irregularita-

(1) Sed in re civili praestatio culpae levissimae in pactum deduci potest; vel aliquando expostulatur ab ipsa subiecta materia.

tem huiusmodi facta fortuita imputari non solent, nisi potuissent praevideri. Neque obstat decretum Concil. Trid. *Sess. 14, c. 7, De ref.*, quia facto secuto ob indecentiam qua notatur coram christiano populo reus huiusmodi facinoris, iste prohibetur a ministerio altaris et non dispensatur saltem ad cautelam, nisi causa cognita seu quousque non constiterit et declaratum fuerit populo christiano, homicidium secutum fuisse vel *casu* vel adhibito *moderamine inculpatae tutelae.*

36. Culpae accensetur *imperitia* qua tenetur clericus imperitus in suo officio male se gerens et damnum inferens. Praeterea qui rem agit sibi non propriam, ob imperitiam culpae reus est, iuxta *l. 36 ff. De reg. iuris;* nempe « *Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti* », et caput 19 *De reg. iuris in 6.* « *Non est sine culpa qui rei quae ad eum non pertinet, se immiscet* ».

§ 3. - *De violatione legum poen. quae magis* BONUM *societatis quam* IURA *civium tuentur seu de* TRANSGRESSIONIBUS.

Summarium. — 37. Quomodo simplex trangressio differat a delicto et a quasi delicto. — 38. De legibus delictorum praeventivis in disciplina ecclesiastica.

37. Hodie perlegenti codices poenales civilium populorum in primis sese offert distinctio laesionum legis poenalis in duo suprema genera, (1) seu in *delicta* et *trangressiones.* Delictum, uti explicavimus, compescendum est quia continet laesionem ordinis socialis. - Eadem ratione poenis cohibentur quasi-delicta. - Sed

(1) Scio olim habitos esse et adhuc etiam nonnullos codices haberi qui poenalium legum violationes diducunt in tria genera, seu in *crimina*, in *delicta*, et *transgressiones*. *Crimina* distincta sunt a *delictis* pro severioribus poenis quibus illa mulctabantur. Hanc distinctionem uti absonam iam reprobavit vehementer Rossi *op. cit.* Nam alienum est a ratione et a recta poenarum ordinatione ipsam poenam assumere uti criterium distinctionis inter diversa facinora, cum sint ipsa facinora quae certam poenam secumtrahant.

societatis probe ordinatae est, non tantum per poenas restituere ordinem laesum, sed eius quoque est, nonnulla prohibere, poenis etiam comminatis, quae actu nullam continent ordinis socialis laesionem, sed quae nata sunt deordinationem, ut plurimum, parare. Siquidem cuiusque personae sive physicae sive moralis proprium est et seipsam in pristinum restituere a vulneribus iam susceptis, sed maxime se tueri ne vulnera inferantur. - Praeterea non tantum *iura* civium custodienda et defendenda sunt, sed etiam *bonum* est curandum et universae societatis et singulorum civium per leges quae aliquam contineant *poenalem sanctionem*. Istae leges dicuntur spectare *ad politiam et ad bonum regimen civitatis* earumque laesiones nuncupantur *transgressiones.*

38. Atqui quamvis huius supremae distinctionis mentio non habeatur apud canonistas, ista deesse non potest in legibus ecclesiasticis, re intimius perspecta. Nam haec varia momenta activitatis socialis, nempe *restauratio ordinis* et *deordinationis praeventio et augmenti boni socialis procuratio per leges poenales* nullimode in societate religiosa deesse possunt. Re sane vera in codice legum ecclesiasticarum plura spectant ad crimina praevenienda, et ad bonum societatis positive provehendum quae leges si infringantur, non patratur *delictum*, sed *transgressio*, unde poenae exinde subeundae sint. Ita ad arcendos clericos a criminibus gravioribus plures edicuntur leges praeventivae in *lib. III Decret. X tit.* « *De vita et honestate clericorum* ». - « *De cohabitatione clericorum et mulierum* ». Laicos etiam quod attinet, de usu sacramentorum et potissimum de sacramento matrimonii, aliqua fiunt praecepta quae ordinata sunt ad praeservandam fidelium societatem a criminum lue et ad melius conciliandam fidelium sanctitatem. - Ita ex *c. c. in tit. lib. III. X.* « *De conversione coniugatorum* » - « *De conversione infidelium* ». Sed haec innuisse sufficiat. - Recolantur ea quae disseruimus supra *pag. 29.*

§ 4. - *De conreis delictorum, seu de pluribus qui in idem delictum concurrunt.*

Summarium. — 39. Quomodo plures concurrere valeant in delictum. — 40. Conrei seu complices, alii sunt *principales*, alii *accessorii*. Conrei principales habentur qui concurrunt sive immediate et efficaciter in propositum delinquendi sive in executionem delicti. Ceteri conrei *accessorii* sunt. — 41. Necessaria est haec inquisitio ut explicetur quaenam *conreitas* mulctetur poenis. Afferuntur, exempli causa, nonnulla poenarum decreta. — 42-43. Declarantur species aliquae conreorum, qui sunt, *sc. mandantes, fautores, receptores, consulentes, praestantes auxilium* aut *favorem, ratum habentes.*

39. Plures in delictum concurrere non semel contingit quippe actus ponunt qui illud vel concomitantur vel subsequuntur. Nihilominus hic plurium in delictum concursus intelligi ita non debet ut plures sint unius delicti subiectum activum quasi unum idemque crimen plures patraverint vinculo societatis unam personam constituentes. Ait enim lex *34, ff. De iniur.* « *Singulorum proprium est maleficium* » nimirum crimen a pluribus patratum imputatur *singulis*, non universis, quasi cuidam personae *iuridicae*. Nam ius naturale et positivum recognoscens *vinculum iuris* quo socii in unum coalescunt, seu in subiectum *activum* nempe in personam *moralem iuridicam*, nullimode patitur huiusmodi unionem posse conciliari ad delinquendum; hinc enim vinculum *iuris* esset operativum *iniuriae*, quod est absurdum.

Attamen unio et concordia propositi vigere debet inter plures ut hi in idem delictum concurrant et sub hoc aspectu modo perpendimus mensuram imputationis moralis *quoad singulos*.

Quae unitas propositi intelligitur non accidentalis seu minime *deliberata*, qualis habetur in rixa in qua irae aestu abrepti

plures hominem vulnerat, sed requiritur complicitas deliberato consilio suscepta, quocirca iubet *L. 17, ff. Ad leg. corn. de sic.* « *Si rixa percussus homo perierit, ictus uniuscuiusque in hoc collectorum contemplari oportet* ». Nimirum hoc in casu non habetur *complicitas*.

40. Conrei, qui uti *singuli* in delictum concurrunt, non eadem mensura sunt criminis participes, sed pro qualitate concursus in crimen adhibiti. Iamvero duo sunt delicti elementa nécessaria; *propositum delinquendi* et *delicti executio*. — Qui propositum delinquendi suscipiunt idemque fovent ut alii ad delictum exequendum perducantur, sunt *conrei principales*, quippe concurrunt in alterum criminis essentiale elementum. Eiusmodi conrei sunt *mandantes, iubentes* et hinc haec conreitas appellari potest *moralis*. - Deinde *conrei* aeque sunt *principales*, qui operam dant crimini exequendo, plane conscii de aliorum voluntate cuius proposito deliberate satisfaciunt. - Re sane vera planum est, *conreos* esse *principales* qui opus executione perficiunt, dummodo et ipsi intendant propositum exequi criminosum adeo ut non sint executores omnino *materiales* seu *instrumentales*. Haec conreitas appellatur conreitas *physica*.

Conrei vero sunt *accessorii* qui efficiunt ut crimen *facilius* et *efficacius* perpetretur (1), veluti *consulentes* qui viam docent

(1) At sedulo adverti debet, non eamdem sequi divisionem conreorum omnes canonistas; quin imo passim *conrei principales* appellantur hi dumtaxat qui crimen exequuntur; alii omnes sive mandantes sive consulentes sive auxilium praestantes vocantur *conrei accessorii:* ita D'Annibale (I, 319). Et D'Annibale secutus est Carmignanum, *Elem. iur. crim.* § *209*. - Huius Doctoris, magistri sui, Carrara premit vestigia. § *426 seq.*- Ratio huius appellationis est sane profunda et *ontologica;* ait enim Carrara, crimen patrari per *violationem* legis poenalis, legem vero violare illum qui crimen patrat *externe* et *physice*. - Nihilominus et ipse admittit criminis *primum motorem* nempe *moralem* (nam *auctores* ait vocandos esse tantum criminis *patratores* § *429*) aliquando reum esse criminis non minus quam *executorem* - Nos secuti sumus distinctionem in textu propositam, a De

magis expeditam executioni criminis *iam deliberati;* nec non qui, crimine iam perpetrato, contendunt sive ut delinquens poenam effugiat debitam sive ut crimen latius suos producat effectus; *isti* dicuntur *auxilium, opem praestantes, fautores, receptatores, defensores.*

41. Quam inquisitionem nos instituimus non ut *abstracte* definiamus quaenam conreorum sit moralis imputabilitas sed ut respondeamus huic quaestioni; utrum nempe poena generaliter lata teneat aeque conreos *principales* et *accessorios;* eo magis quia non semel in edictis poenarum species nonnullae declarantur conreorum. Quare explicandum est an et quaenam poenae intelligantur latae in conreos sive *principales* sive *accessorios.*

Interim iuvat aliquod afferre exemplum sententiarum poenalium in quibus expresse conreorum species significantur. Ita in Const. *Apost. Sedis, sub n. 4* excommunicatio l. s. speciali modo Papae reservata percellit appellantes « ab ordinationibus seu mandatis R. P. .... ad universale futurum Concilium.... *nec non eos quorum auxilio, consilio* vel *favore appellatum est* ». Eadem Const. *sub n. 5*, excommùnicatione, eadem ratione reservata, mulctat: « *Omnes interficientes, mutilantes S. R. E. Cardinales....; aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes; seu praestantes in eis auxilium vel favorem* ».

42. Iamvero quaestioni generali, an poenae statutae in certum crimen indiscriminatim teneant omnes qui in crimen concurrunt, ita respondet scite D'Annibale (I, 320): « *Principio igitur, cum poenae non excedant proprium casum, nemo ex his tenetur poenis in iure adversus aliquem eorum statutis, nisi et in ipsum latae sint nominatim. Ideo poena* STA-

Rossi, *lib. II, cap. 34*, explicatam, quique magis consentaneam legibus canonicis. - Ceterum apud DD. varia admodum divisionum et appellationum ratio.

Auxilium, favorem praebentes, defensores, receptatores sunt ii conrei accessorii qui iuvant delicti executionem eiusque effectus. *Auxilium* et *favor* sunt vocabula quae maxime late patent; at auxilium suapte vi comprehendit quamcumque opem *materialem; favor opem moralem,* veluti *laudes, commendationes.* — *Defendere* est ab oppugnationibus aliquem protegere. *Receptare*, arg. *l. 1*, § *3*, *De furtis et servo corrupto*, est: *refugium abscondendi causa praestare in suo vel alieno loco.* Haec quatenus sunt crimina *accessoria* (1) poenis non fiunt obnoxia 1) nisi *efficaciter influxerint* in delictum; 2) et nisi quis ea patraverit ut *reo, qua tali*, opem praestiterit. — Primae conditionis ratio perspectissima est, quia *verba cum effectu accipimus; secundae* vero ratio est, quia secus non haberetur *propositum delinquendi.* Ut ecce si quis reum *defendit, receptat,* quippe sibi sanguine coniunctum ne gravissimam subeat poenam, cessat animus delinquendi et hinc poenis locus non est, etsi forsan, ratione scandali, vel alterius damni non desit letalis culpa.

Denique aliquando poenis percelluntur et *ratum habentes;* et hoc explicari debet. Ratum habere est, *comprobare quod ab alio, se ignorante, nomine suo, gestum est.* Cum doceat *reg. 10, iuris in 6: « Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium comparari »*, in contractibus et pactionibus ratum habentes poenis subiacere, nullam secumfert difficultatem; quia ratum habentes *ex momento* (2) ratihabitionis iam censentur contrahere, utputa, *emere, locare.* - In nonnullis *factis* ratihabitio ne intelligi quidem potest, veluti in adulterio, in blasphemia, in ebrietate; siquidem ista et alia id genus facinora intimam et necessariam continent malitiam cuius fit reus tan-

(1) Nam ex his quae modo statuimus semper secernitur casus criminis coerciti *per se* seu quasi *delicti sui generis.*

(2) Seu poenae incurruntur non *ex momento* initi contractus, sed *ex momento* praestitae ratihabitionis.

tum facinoris patrator, et alter potest in haec delicta vel consilium vel auxilium et opem praestare; sed minime ratihabitionem. — In aliis factis quae nomine alieno peragi possunt, quippe mandari possunt et perfici *in utilitatem mandantis,* veluti homicidium, incendium, alienarum rerum surreptiones, *ratihabitio* dari potest, dummodo tamen ratum habens delictum perpetrare potuisset eo tempore quo admissum fuit; atque illud non dumtaxat gratum habuerit vel laudaverit, sed probaverit *utpote factum nomine suo.* Cf. Suarez, *De Censuris D. 21. Sect. 2. n. 27* et S. Alphonsus, *VII, 267.*

§ 5. - *De criminibus quae subsunt competentiae Ecclesiae et de fori privilegio quoad Clericos.*

Summarium. — 44. Sunt obiectum competentiae poenalis Ecclesiae ea crimina quae eius directe laedunt ordinem socialem. — 45. Alia sunt crimina *mixti fori* quae *directe* at sub *diverso aspectu* utramque societatem turbant. — 46. Clerici fruuntur privilegio fori quoad crimina *pure civilia.*

44. Hactenus disseruimus de competentia Ecclesiae poenali, et de criminis notione; modo explicandum est quaenam sint crimina illius obnoxia competentiae, nimirum quodnam sit *in concreto,* obiectum potestatis Ecclesiae poenalis.

Huiusmodi crimina sunt quae Ecclesiae laedunt *directe* ordinem socialem, quippe admissa contra Religionem, Fidem, resque divinas et sacras. Ista sunt *apostasia, haeresis, schisma, simonia, profanatio Sacramentorum, fractio sigilli Sacramentalis, omissio Paschalis Communionis* et in universum, violationes legis ecclesiasticae disciplinaris. Haec essentialiter distinguuntur a criminibus civili societati subiectis utpote quae directe laedunt civilem rempublicam, at nihilominus ad Ecclesiam quoque pertinent, non tantum in foro poenitentiali, sed etiam ad forum externum *sub ratione peccati,* seu *indirecte,* arg. *cap.*

Novit. 13-X De iud. (II, 1); eiusmodi sunt *homicidium*, *furtum*, *calumnia* et caetera similia, siquidem continent tam apertam laesionem legis divinae ut secumferant deordinationem etiam societatis eccles.

45. Praeterea adsunt crimina *mixti fori* quae simul et societatem religiosam laedunt et civili reipublicae damnum atque iniuriam inferunt; huiusmodi sunt *periurium*, *blasphemia*, *superstitio*, *delicta venerea*, et similia. Etenim haec *directe* sed sub diverso respectu subsunt et ecclesiasticae et civili potestati. In praxi vero normale exercitium huius potestatis pendet a concordia Sacerdotii et Imperii, seu Ecclesiae et Status eo consilio ordinata ut quaeque potestas suo fini respondeat (1).

(1) At historia, malo fato, hanc concordiam docet quamplurimas fere semper deturbasse aut impediisse Imperii aemulationes et contentiones. Inde materia *mixta poenalis* obnoxia non semel fuit legibus inter Laicam et Ecclesiasticam potestatem concordatis. Pro hac ineunda concordia, sub saeculo x et xi in Germania et Anglia constituta sunt *Tribunalia mixta*, scilicet ex magistratibus ecclesiasticis et laicis coalescentia, et isti una insimul inquirebant et in *quaecumque* crimina animadvertebant. Re sane vera omne, crimen, vel religiosum, Rempublicam civilem offendit et omne crimen, saltem qua est peccatum, Religionem laedit et pessumdat. Exinde passim a saeculo viii usque ad xiii saeculum tacita vel expressa conventione, recognitum fuit ultro citroque ab una et altera societate *ius praeventionis*, ut poenales causas definiret ille iudex qui prior negotium praeoccuparet; cf. Valter, *Manuale di Diritto Eccles. t. I, lib. IV, cap. III, § 185 « Dei Tribunali Ecclesiast. »*. Limites quos modo praefinivimus competentiae poenalis eccles. innituntur ipsi constitutioni Ecclesiae et hinc, suopte iure, sunt *aeterni*, non minus ac principia iuris crim. quatenus crimen est *ens iuridicum*. - Haec adverto quia hodie passim apud auctores aliunde cordatos, uti Carrara, facile asseritur limites competentiae eccl., quales Decretales assignant, esse repetendos magis ab *historia* quam *a iure*. Ita Carrara § *53 not. 2* historiam iuris criminalis in *tria stadia* distinguit; nempe in *Theologicum*, in *Methaphysicum*, in *Mathematicum*. - In *Theologico* ait contineri tempora quo decreta eduntur a potestate religiosa sub instinctu et afflatu divinae auctoritatis; et hoc fieri in primordiis populorum; in *Metaphysico* comprehendi aetatem quando

46. Ob privilegium fori clericorum personale, accidit ut auctoritas ecclesiastica *privative* vacet ad diiudicanda clericorum civilia crimina; imo severius semper hoc privilegium custoditum fuerit in causis criminalibus quam in civilibus, quippe hoc expostulabat honor coetus clericalis. Hac de causa si gravitas criminis exposcat poenam sanguinis a quo effundendo abhorret Ecclesia, cautum est clericos praevia degradatione, scilicet a clero expunctione, tradi brachio saeculari puniendos civilibus ordinariis poenis; arg. c. c. *De iud.* 10, X (II, 1) et 7, *X De crim. falsi* (V, 20). Sed ob magnam reverentiam in statum clericalem, serius dumtaxat, frequentatus est usus traditionis clerici brachio saeculari, nam antiquitus seu usque ad saeculum VIII, clerici vel publicis poenitentiis plectebantur reducti ad laicam communionem, seu depositi et degradati, vel in perpetuum car-

homines discedentes a tutela qua subiiciebantur religiosae potestati, sibi fingunt, auctoritate humana, statuta etiam poenalia sed haec informant abstractis principiis philosophicis; uti prestiterunt Kant, Romagnosi, Bentham. Sed ista placita quae non consentiunt cum externa rerum veritate, progressu temporis, diu vigere haud possunt; et tunc exorditur stadium *mathematicum* quo *rerum quantitas* et *mensura* determinatur; et ipse ait, hodie scientiam criminalem, ab initio huius saeculi maxime progredientem, huc pervenisse. - Idem Carrara § *83 not.* applicans thesim historico-criticam competentiae ecclesiasticae, ait: « *Lunga è la storia delle lotte che il sacerdozio, contrastando a palmo a palmo il terreno alla potestà secolare sostenne per mantenere la propria giurisdizione specialmente nelle materie criminali* » Sufficiat hanc retulisse periodum ut pateat hoc esse iudicium praeiudicatae opinionis in iura Ecclesiae, quae non sunt acquisita ratione alicuius aetatis sed sunt desuper collata. Nihilominus illud verum est, exercitium competentiae in crimina pure civilia *ratione peccati*, Ecclesiam latius exercuisse sub media aetate, quando civilis auctoritas religiosissime obsequebatur auctoritati Ecclesiae eique libenter deferebat cognitionem et animadversionem in crimina civilia ut directius compesceret *peccata* et emendaret peccatores. Haec competentia Ecclesiae in crimina *ratione peccati* non est abiudicanda Ecclesiae hodie, uti opinatur Carrara, *l. c.*

cerem ecclesiasticum, seu in decanicas ecclesiasticas (1) seu monasteria detrudebantur, exilio mulctabantur aut etiam fustigationibus, verberibus afficiebantur ab ipsa ecclesiastica auctoritate, ne cum ordinis dedecore in manus laicorum inciderent. *Cf. c. c. 35, X. De sent. excom.* (V, 39) *c. 27, § 1, X, De verb. signif.* (V, 40) *et 3. De poenis, in-6* (V, 9). Revera S. Augustinus *ep. 135, n. 2, ad Marcell. Tribun.* inquit: « Tantorum scelerum confessionem..... virgarum verberibus eruisti qui modus coercitionis et a magistris liberalium artium, et ab ipsis parentibus et saepe etiam in iudiciis solet ab Episcopis adhiberi », et Gregorius M. *Epist. 27, ad Ianuar.* ait: « Paulum vere clericum qui saepe dicitur in maleficiis deprehensus, qui despecto habitu suo ad laicam reversus vitam in Africam fugerat, si ita est, corporali prius proveniente vindicta, praevidimus in poenitentiam dari; quatenus et secundum Apostolicam sententiam ex carnis afflictione spiritus salvus fiat ». Dein factum est, Ecclesiam ab hoc more discessisse temporum mutatis conditionibus, quippe magis consentaneum visum est tranquillitati civitatum, supremam vindictam in clericos permittere brachio saeculari. — Haec tamen innuisse iuvet ut pateat quinam fuerit usus quarumdam poenarum maxime corporalium et quomodo potissimum in clericos, ob crimina civilia, comparatae sint. At modo, data opera, de poenis agendum erit.

(1) Cf. Gothofredi commentarium ad Const. 30 Cod. Theodosii, *De haereticis*; et *Can. 2, caus. 21, q. 9,* ex Concil. Hisp. II, *a. 961.*

TITULUS II.

DE NOTIONE POENAE ECCLESIASTICAE.

Huc referat. tit. 37, Lib. V. X; tit. 9. in 6; tit. 8. in Clem.

Summarium. — 47. Poenae ecclesiasticae in primis intendunt delinquentium obtinere emendationem, et una simul ceteros deterrere a delinquendo. — 48. Hinc poenae *in foro externo* latae pervadunt etiam *forum internum*. Antiquiore disciplina, poenas quod attinet, distinctio unius et alterius fori pene erat incognita. — 49. Forum *externum* in pluribus dicendum est praevaluisse *interno*; at aliquo sub aspectu *internum* praevalebat *externo* quippe in criminibus vel civilibus considerabatur *ratio peccati*; et hac ratione, crimina vel *pure civilia*, pertrahebantur ad competentiam ecclesiasticam. — 50. Saeculo XII cum late vigescere coepit studium rerum ecclesiasticarum et civilium distinctum est ius poenale ecclesiasticum a civili; atque utraque societas, in suo genere perfecta, ius puniendi sibi attribuit. Inde scholae probe distinxerunt forum externum ab interno. — 51. De usu poenitentiarum tum ex iure antiquo tum ex novo. — 52. Uti hodie omnia crimina, qua peccata, pertinet ad forum poenitentiale, ita antiquitus omnia crimina diiudicabantur in foro ecclesiastico, adhibitis etiam solemnitatibus nonnullis ordinatis ad forum poenitentiale; unde reorum exquirebatur emendatio, sive poenas luissent civeles, sive nullas subiissent nec essent subituri.

47. Quaenam sint supremae regulae quibus utitur Ecclesia in poenis decernendis, iam exposuimus, unde infertur per poenas Ecclesiam principalius et directius intendere fidelium emendationem, coniunctam cum effectu tum *exemplari* tum *praeservativo* qui in externam fidelium societatem emanant. Modo explicantes singulas poenarum species, docebimus Ecclesiam, quamvis diversa ratione, semper huic principio adhaesisse, unaque accommodasse fidelium et temporum conditionibus diversa poenarum genera.

48. Cum Ecclesia crimina insectetur et detestetur directius, non propter ordinis externi deturbationem sed ob ordinis spiritualis seu iustitiae supernaturalis in delinquente iacturam, scilicet propter *peccatum*, hinc eiusdem poenae magis satagunt mederi vulneribus criminosi quam crimina, per materialem ordinis restaurationem, coercere. Proinde in Ecclesia poenae in foro externo latae ad punienda crimina, pro suo fine non consistunt in foro externo sed agere intendunt in forum internum conscientiae, nimirum ut peccator Deo convertatur et vivat, et reliqui fideles a delinquendo seu a peccando deterreantur. Huc spectabat D. Pauli decretum in Corinthii incestuosum, quo ipse statuit « *tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis ut spiritus salvus sit in die Domini* », *cap. 5, I. ad Corint.* Haec intentio fori externi poenalis attingendi forum internum quasi suum finem, effecit ut prioribus Ecclesiae saeculis fere unum forum ab alio *in materia poenitentiali* non distingueretur, et huius disciplinae postrema vestigia inveniuntur usque ad saeculum XII, nempe sub aetate Gratiani, prouti fidem faciunt *Canones Poenitentiales* ab eo editi in fine sui Decreti. Qui conceptus poenarum ad nativum Ecclesiae ius poenale intimius perspicendum adeo est necessarius, ut porro fas non sit unam poenarum speciem ab alia secernere earumque usum intelligere, nisi hoc conceptu duce. Ad rem Morinus in Opere *De Administr. sacram poenit. lib. 7,* inter alia quae affert disserens de hac primigenia ecclesiastica disciplina, *in cap. 10, n. 1,* ait: « Nec erat alius qui excommunicationem, alius qui peccata solveret, ad quem soluta excommunicatione peccator esset remittendus: nec erat aliud tribunal in quo excommunicandus vel excommunicatus iudicabantur, aliud in quo peccator eluebatur excommunicatione soluta, sed unus et idem homo, Episcopus scilicet vel presbyter unius eiusdemque tribunalis praeses id praestabat ». Nimirum omnia cuiusque generis crimina pertrahebantur ad Ecclesiae forum *ratione peccati,* ibique criminosus habeba-

tur quasi *aegrotus* et poenitentiâ reficiebatur veluti *medicinâ*. Formae vero externae vel solemnes adhibitae ad crimen diiudicandum et discernendum, inserviebant poenitentiarum impositioni et *sacramentali peccatorum luitioni*.

49. Si quaeratur an forum internum externo praevaleret, advertendum est in pluribus externum interno praevaluisse propter *publicas poenitentias* impositas *ratione peccatorum*, quamvis revera publica crimina, omnino civilia, dicenda erant huiusmodi admissa, utputa homicidia, furta. At *partim* potius internum externo praevaluisse videtur, quippe in criminibus magis attendebatur *ratio peccati*. Unde, in re poenitentiali, non invaluit nisi serius, iuridica distinctio *fori interni* et *externi*.

Praeterea ex hac ipsa ratione secutum est, Ecclesiae competentiam poenalem, tunc temporis, seiunctam, non fuisse a poenali competentia civilis potestatis prouti postea factum fuit, quia ipsa societas civilis funditus spiritu christiano imbuta persuasum habebat, in crimine maius malum esse peccatum, idemque, nempe perversam et impiam in Deum voluntatem, esse criminis radicem cui eradicandae tota incumbebat disciplina poenitentialis. Quare civilis potestas quum parum confideret in criminis vindicta civili seu in materiali ordinis socialis restauratione, libenter acquiescebat poenitentiis ecclesiasticis, quibus non tantum ordo externus restituebatur, sed potius ordo voluntatis internus reficiebatur, unde morum civilium maxime speranda est instauratio.

50. Verum ab hac filiali et salubri submissione, societatis civilis in ecclesiam, volvente saeculo decimo tertio, arroganter in libertatem se vindicavit civilis societas, sua iura, quasi sibi ab Ecclesia usurpata, repetens. Exinde potestas civilis in civilia crimina poenas ferre coepit, dumtaxat civili scopo respondentes, adamussim distinctis criminibus civilibus et civili poenali foro distincto a foro poenali ecclesiastico. Tunc Ecclesia, quae hominibus coalescit, civilis etiam societatis foedere unitis,

necessario persentire debuit temporum vicissitudines, quamobrem eo consilio ut sua iura tueretur quatenus est societas perfecta externa visibilis, a civili societate distincta, in sua regiminis ratione curavit apprime seiungi ea quae singulorum fidelium bono et saluti intendunt, ab iis quae fidelibus competunt quatenus in societatem religiosam externam coalescunt. Hinc, religiose servato fine sibi praecipuo, nempe consulendi saluti singulorum, huic fini principalius intendit Ecclesia, at ob novam temporum conditionem, peculiari sollicitudine et veluti diversa disciplinâ coepit prospicere etiam bono societatis externo, constituens media poenalia et iuridica ordinata ad tutandam incolumitatem ordinis socialis externi. Haec postrema media pertinent *ad forum externum;* cetera ad *forum internum;* siquidem *illa directius* prospiciunt bono integrae societatis, *ista* cum primis bono singulorum. Cf. Thomassinum, *Vet. et nov. discip., p. 1, lib. II, c. 101.*

51. Poenitentia vero, qua est sacramentum, in Ecclesia usque frequentata fuit, cum aliquo tamen discrimine. Siquidem antiquioribus Ecclesiae saeculis etiam publica confessio de publicis peccatis seu criminibus habebatur sacramentalis cui sequebatur publica sacramentalis poenitentia; nec non secreta peragebatur de occultis peccatis confessio sacramentalis ob quam secreta imponebatur poenitentia; at de peccatis quoque occultis consulebatur et frequentabatur publica confessio sacramentalis (1); posterio-

(1) Cf. Pelliccia, *De christ. eccles. politia - Lib. V. c. 1* § 3. *c. 3.* § *12.* et commentarium Origenis († 254) *in Psalm. XXXVII homil II n. 6.* Sed mos publicae confessionis sacramentalis antea in Ecclesia Graeca, dein in Latina in desuetudinem abiit. - Item apud Ecclesiam Graecam primitus constituti fuerunt Sacerdotes Poenitentiarii quorum erat invigilare quoque in executionem poenitentiarum ab ipsis impositarum. - Postea quia poenitentia *sacramentalis* evasit fere semper secreta et remissa, quoad executionem, conscientiae poenitentis, isti Poenitentiarii aboliti fuerunt. - Socrates *V. 19.* Sozomenes *VII. 16.* - Quae a Diaconis et a laicis, in nonnullis antiquioribus documentis dicuntur exceptae confessio-

ribus vero temporibus, nempe *sub saeculo* VI, confessio Sacramentalis publica in desuetudinem abire coepit, et pene proscripta fuit ob scandala inde promanantia.

Quamvis vero civilis societas plene sibi vindicaverit ius animadvertendi in crimina civilia illudque exercuerit ista compescens per proprias poenas suo fini respondentes, nihilominus in disciplina ecclesiastica viguerunt et vigent eodem iure quo antea, publicae poenitentiae luendae a publicis peccatoribus et delinquentibus seu *ratione peccati* in crimine admissi quibus poenitentiis non solutis non est concedendus usus sacramentorum aliorumque iurium spiritualium. Revera iubet *Concil. Trid. Sess. 24. c. 8:* « Apostolus, monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice iniungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet viam. Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis iudicaverit expedire ».

At *iuridica* distinctio fori externi ab interno determinata fuit Iure Decretalium, et eiusdem scientifica distinctio per scholasticos confirmata est, et appositis argumentis comprobata; non secus ac studium legum civilium romanarum fori externi civilis explicavit notionem et iura, et vehementer animos incitavit (1) ut reipublicae civilis iura vindicarentur, ea repetendo

nes et factae absolutiones, pertinent ad confessionem et absolutionem non sacramentalem, sed ad impositionem et relaxationem poenitentiae non *sacramentalis* quoad effectus fori *externi* Cf. Bened. XIV. *De Syn. dioeces. VI. 16.* Inde patet, quanti intersit probe distinguere indolem fori *interni* et *externi* in disciplina antiquiori Ecclesiae.

(1) In hoc magnis animis contendit Dantes Aligherius in celebri libro « *De Monarchia* » *Lib. III. c. 3.* in quo insectatur acerbius De-

ab ipso naturali iure, non ab Ecclesiae auctoritate. - In huius veritatis probationem advertatur, Gratianum in suo *Decreto*, non solum addidisse Canones poenitentiales, sed poenitentias nunquam iuridice distinxisse a poenis vel a censuris, et has omnes inter se, multiplicibus usurpatis vocabulis, miscuisse nec ullam certam disciplinam circa utrumque forum, varias poenas, eorumque usum proponere potuisse.

52. Quamobrem consecutum est in antiquiore disciplina non fieri distinctionem inter crimina *civilia*, *ecclesiastica* et *mixta* adeo ut in omnia crimina Ecclesia sibi vindicaret competentiam, et ius animadvertendi *propter peccatum*, *ratione sacramentali* (1). Hinc si quis, patrato crimine, ad Ecclesiam confugeret publicas poenitentias suscepturus non debebat deturbari a potestate laica nisi fraudis esset suspectus; et qui inciderat in poenas civiles propter crimina non recipiebatur ad communionem sacramentorum nisi publica peracta poenitentia. Qui vero detractabant poenitentias suscipere ab Ecclesia decretas, ad has subeundas cogebantur a civilibus Magistratis. Auc-

cretalistas hos incusans iura civilis principatus repetere ab ipso Rom. Pontifice; ait enim. « Sunt et tertii, quos *Decretalistas* vocant, Theologiae ac Philosophiae cuiuslibet inscii et expertes qui suis Decretalibus (quas profecto venerandas existimo) tota intentione innixi, de illarum praevalentia, credo, sperantes *Imperio* derogant. Revera plures Decretalistae, nescientes distinguere quae a iure divino ecclesiastico, et quae a iure naturali humano derivant, repetenda esse iudicarunt a primatu Rom. Pontificis etiam quae spectant ad constitutionem civilis societatis et *Imperii* ». Huiusmodi placita, pene postremus secutus est Panormitanus († 1453) quem vehementer increpat Lugo *De veritate fidei divinae*, Diser. 19. num. 95 sq.

(1) Ait Morinus, *Op. cit. lib. 1. cap. 9:* « Quamquam enim toto illo tempore nonnullas magni momenti varietates, urgentibus de causis, Episcopi in Ecclesiae disciplinam, quae poenitentiam spectat, induxerint; constantissime tamen iurisdictionem suam in omnia crimina etiam levissima, occulta, et publica, *sacramentali*, ut nunc loquimur, *ratione* exercuerunt ». Huic disciplinae fundamenta iecit *liber II Const. Apostolicarum.*

toritas enim *brachii saecularis* invocabatur in subsidium quoque fori sacramentalis quia distinctio adhuc non invaluerat certa unius ab altero foro.

Quare sub initium saeculi x adversus nonnullos qui autumabant, nihil Ecclesiae competere in eos, civilibus poenis iam expiatos, *Concilium Romanum sub anno 904, can. 12* edicebat: « *Quod omnino irregulariter inolevisse manifestum est. Habeant igitur Episcopi singularum urbium in sua dioecesi liberam potestatem adulteria, et scelera inquirere, ulcisci et iudicare secundum quod Canones censuerunt absque impedimento alicuius. Et quando opus fuerit ad compescendos rebelles et contemptores publicum Placitum convocent* (1) *non ad praeiudicandum sed potius ad ea quae Deo placita sunt et saluti animarum conveniunt, prosequendum* ». Et iam audivimus Innocentium III *in cap. 13. De Iud.,* proclamare, absque criminum distinctione, ad Ecclesiam pertinere « *decernere de peccato* ». Quod cum intelligi debeat *de peccatis publicis,* haec potestas nunquam Ecclesiae abiudicari potest, siquidem eidem intrinsece adhaeret et Trident. Concilium in *sess. 24, cap. 8, De reform.* decrevit, publice peccantes per publicas poenitentias coercendos esse.

Caput I.

DE DIVERIS SPECIEBUS POENARUM ECCLESIASTICARUM.

Summarium. — 53. Remedia poenalia, iure decretalium, distincta sunt 1) in poenitentias, 2) poenas, 3) censuras. — 54. Quanam ratione poenae eccles. crimini sint accomodandae seu de diversis systematibus mensurae poenalis. — 55. Quo sensu nonnullae poenae ec-

(1) Nimirum *expostulent auxilium potestatis saecularis.* Cf. Van-Espen, *Ius. Eccl. univ. Part. III, tit. IV, c. 1, et* Morino *Op. c. L. 7, c. 6.*

cles. dicantur *vindicativae*. — 56. Traduntur notiones et definitiones tum poenitentiae, tum poenae, tum censurae. — 57. Quomodo indulgentiae seu remissiones respondeant antiquis poenitentiis. — 58. De poenarum requisitis quae respiciunt vel *iustitiam*, vel earum *usum* vel *effectus*. — 59. Poena debet esse *iusta*; hinc oportet 1) sit *moralis*, 2) *personalis*, 3) *proportionata* crimini. — 60. Ad legitimum usum exposcitur, poenam 1) esse *accommodatam* moribus 2) *reparabilem* — 61. Quoad *effectus* poena est *emendatrix*, *praeservatrix*, *exemplaris*. — 62. Infligitur vel per *castigationem corporis*, vel per *iuris privationem*. — 63. His poenis secundi generis ecclesia praecipue utitur.

53. Hisce praemissis, dispiciendum est quaenam in foro externo Ecclesiae sint remedia poenalia. Post Decretales Greg. IX apud canonistas invaluit distinctio poenarum, 1) *in poenas* proprie dictas, 2) *poenitentias* 3) et *censuras*, quamvis in Decretatibus plane non decernatur haec formalis vel legalis distinctio. Ita ex. gr. Inn. III, *in cap. 13, cit.*, ait: « .... ad nos pertinet sine dubitatione *censura* (de peccato) quam in quemlibet exercere possumus et debemus.... ». Ubi Pontifex sane loquitur de quocumque genere poenarum. — At ratio adest intrinseca taliter distinguendi inter se poenas. Nam poena in genere iuxta communem sensum est - *malum passionis propter malum actionis a competenti potestate publica statutum* -. Ecclesia vero quia semper studet animarum sanctificationi, malum passionis dirigit non in vindictam criminis sed in primis ad emendationem delinquentis, deinde autem ad auferendum scandalum criminis atque ad deterrendos alios a delinquendo. Verum cum dicatur, Ecclesiam habere nonnullas poenas *vindicativas* et poena generatim soleat definiri « *vindicta criminis* » opportunum est explicare quomodo assumenda sit haec qualitas poenae.

54. Quum poena assumatur uti sanctio legitima legis poenalis, debet adesse proportio inter delictum et poenam. At in hac mensuranda proportione diversa invaluerunt systemata.

Apud criminalistas tres potissimum notantur poenarum mensurae, nempe vel *geometrica*, vel *arithmetica* vel *armonica*. Mensura seu proportio *geometrica*, ea est quae obtinetur non attendendo tantum delicti *gravitatem moralem*, sed etiam delinquentis *conditionem socialem;* quamobrem non eadem poena applicatur delinquenti sive pauperi sive diviti quum eadem poena gravior diviti habeatur quam pauperi quia aerumnis ille patiendis minus est assuetus. — *Arithmetica* proportio, e contra servatur, quum eadem poena irrogatur delicto eiusdem moralis gravitatis sive delinquens pauper sit vel dives, sive ignobilis vel nobilis. — *Armonica* demum nuncupatur proportio quae oritur ex rerum adiunctis et personarum, iudicis arbitrio et prudentia perpensis. — Iamvero in Ecclesia per poenas *latae sententiae* servatur proportio *arithmetica* (1) perfecta; etiam in poenis *fer. sententiae* haec servari debet regula generalis sed aliquando iudici fas est recedere a rigore huius mensurae legalis et indulgere proportioni *armonicae* quam plene sequitur in poenis *arbitrariis*.

55. Suapte natura, apposita poenalis proportio constituitur per malum passionis, malo actionis oppositum et proportio obtinetur si quis privetur his bonis quorum pacificum usum deturbavit per crimen. Unde *lex talionis moralis* est rationi et iustitiae consona quippe est expressio illius aequalitatis quae servari debet inter criminis mensuram seu gravitatem et mensuram seu poenae gravitatem. Quum ex adverso, *lex talionis materialis*, ita expressa: « *Dens pro dente; oculus pro oculo* » adamussim est rationi contraria quia criminis gravitas non ex

(1) Haec habet Smalzgrueber, *De poenis, 2.* « Ut in eo gradu se contineat (poena) in quo malitia delinquentis erat posita, consequenter propositio ista debet esse non *geometrica* sed *arithmetica*, cum enim gravitas poenae debeat correspondere gravitati culpae, non minus in poenarum qualitate observari debet proportio arithmetica et aequalitas rei ad rem, quam in contractibus et ceteris actibus iustitiae commutativae. »

facto materiali pensari debet sed ex quantitate doli; poenae vero mutilationis, in genere, non respondent fini poenarum. — In lege vero *talionis moralis,* quamvis sit propositum, tantum boni auferre delinquenti quantum hic delinquendo deturbavit; at non vult obtineri comparatio *materialis*, sed moralis eo consilio ut poena *sit ordinis instauratio:* hoc sensu poena est *vindicativa,* et per poenam criminum fit *vindicta.* - D. Paulus - *Ad Romanos c. 13* - de hac vindicta ait: « *Si autem malum feceris time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malum agit* ». Sed vindicta ad ordinem socialem, non est confundenda cum vindicta quam Deus assumit, perpendens intimam actorum moralem nequitiam; et hanc punit ad *moralem* ordinem restaurandum; atque hoc ius Deo tantum competit, aienti: « *Mihi vindicta et ego retribuam in tempore* ». Ecclesia quoque non sibi arrogat hanc vindictam in peccatores sed Deo relinquit, curans ut in hac vita Deo convertantur et vivant. Vindictam autem exercet criminum prouti ista eius fini respondet seu quatenus est aliqua ordinis socialis restauratio ut auferatur scandalum atque ut alii a delinquendo deterreantur. Poenae vero quae eiusmodi scopo inserviunt dicuntur, *vindicativae.* Hac ratione in poenis inferendis Ecclesia duplicem persequitur finem, nimirum emendationem rei et restaurationem ordinis socialis, curans unum et alterum obtinere adeo ut si non sequatur rei emendatio, quae maxime Ecclesiae cordi est, saltem scandalum et mali exempli lues arceatur per poenas *vindicativas.* Hoc expresse iubet *cit. cap. 8, de ref. Sess. 24. Concil. Trid.*

56. Modo explicanda est notio, *poenae, censurae, poenitentiae.*

Posito fine cui Ecclesia dirigit remedia poenalia, sequitur triplici in casu in foro externo hisce remediis locum fieri; scilicet 1) quando quis suorum criminum seu publicorum peccatorum poenitens petit ab Ecclesia salutares publicas poeni-

tentias vel has, publica auctoritate inflictas, libenter subdit; tunc habentur *poenitentiae:* 2) quum delinquens quamvis suorum admissorum eum non poeniteat, at non praeseferat animi pervicaciam, unaque sperare fas sit, eum ad meliorem frugem se conversurum fore si a legitima auctoritate de suo officio moneatur et severiori animadversione plectatur, vel si quis iam in eo sit ut in grave labatur delictum nisi se retrahat a quodam non recto semite, tunc adhibentur *censurae* quae exinde dicuntur poenae *medicinales,* quippe quae directius curant vel mederi vulneribus delinquentis, vel efficere ut infirmus in lethale non incidat morbum; 3) denique si non adest in delinquente nec propositum subeundi poenitentias nec spes adsit per censuras revocandi criminosum in officium, eo magis si iam incassum cesserit censurarum usus, Ecclesia, ut saltem consulat aliis fidelibus, recursum habet ad *poenas* quae tendunt ad restaurandum ordinem externum laesum: istae dicuntur *poenae vindicativae* seu poenae *proprie dictae.*

Quocirca omnis poenarum species, quum contineat publicam animadversionem in delinquentem, est *exemplaris* et *praeservatrix* etiam quoad universam communitatem, sed *poenitentiae* et *censurae* sunt *directius* emendatrices; et solummodo *poenae proprie dictae* sunt *directius exemplares* et ordinis socialis *restauratrices,* at *indirectius* deliquentis *emendatrices;* quare dicuntur *vindicativae.*

Haud supervacaneum erit stricte referre cuiusque generis poenarum notionem, per proprias definitiones. Poenitentiae definiri solent. « *Alicuius laboriosi operis frequentatio ab Ecclesia imposita illis qui post delictum vel peccatum admissum, volunt iterum assequi iura quae amiserunt* ». Fit mentio de iuribus amissis et acquirendis coram Ecclesia seu in foro externo, unde poenitentia fori externi discriminatur ab alia fori interni, sive poenitentia fori externi fuerit *sacramentalis* sive non *sacramentalis.* - *Censura* communiter definitur. « *Poena medi-*

cinalis per quam homini baptizato, delinquenti et contumaci per potestatem Ecclesiasticam auferlur usus bonorum spiritualium ». Poena vero prout poenitentiis et censuris opponitur, definitur « *Malum actionis aut privationis a potestate Ecclesiastica fideli delinquenti infligendum ad ordinis socialis restaurationem* ». Revera poenitentiae sunt *malum* passionis voluntarie susceptum; censurae malum privationis inflictae contumaci; poenae malum aut passionis aut privationis inlatae ei qui incorrigibilem se praebet adeo ut, deficiente delinquentis emendati bono exemplo, suppetat exemplaritas competentis poenae ad instaurandum ordinem socialem laesum.

57. Patet poenitentias etsi publicas valde discrepare a conceptu poenae, et censurae. At in istis diutius immorari non debemus, cum fere ubique amplius non frequententur, sed poenitentiae tantum imponuntur privatae et occultae in foro interno sacramentali. Quae tamen, ut definit Tridentinum *in Sess. 24, cit. cap. 8*, sunt non solum salutares ad compescendos malos habitus sed necessariae ad satisfaciendum Deo. Nam remisso seu absoluto peccato et hinc debito aeternae sanctionis propter voluntatem peccatoris in Deum sincere conversam, urget tamen, ad compensandum *malum actionis*, necessitas *mali passionis*, quia patrato crimine vel peccato, statim contrahitur debitum satisfactionis quae orta ex peccato, remanet etiam resoluto peccato. Nimirum exinde non deletur *reatus* culpae seu *factum* culposum patrati criminis; quod per contrarium bonum actum quasi elidi aut compensari debet. Inde confirmatur necessitas poenae vel satisfactionis ex ipso ordine iustitiae in quocumque foro, quae necessitas aeque urget etsi reus videatur sincere emendatus. In hoc statuitur fundamentum Indulgentiarum vel remissionis poenitentiae. Indulgentiis enim vel plenariis vel partialibus locus est, quia reo, pro poenitentia ab eo luenda, attribuuntur, ex potestate clavium, vi communionis sanctorum, merita Christi D. N. et Sanctorum omnium in Ec-

clesiae thesaurum, numquam exhauriendum, collata. Indulgentiae vero in Ecclesia dispensantur, habita ratione veteris disciplinae poenitentiariae; veluti quum Indulgentia septem annorum vel quadraginta dierum conceditur, censetur quis per septem annos aut per quadraginta dies inter poenitentium gradus mansisse ac piis exercitationibus satisfecisse; unde Tit. in Decret. Greg. IX inscribitur « *De poenitentiis et remissionibus* ».

58. Sed antequam in specie, et pro praxi loquamur de poenis et censuris oportet circa earum usum et effectus, in antecessum aliquid explanare quod aeque spectat ad poenas et censuras.

In primis nonnullae conditiones afficiunt abstractam et genericam poenae notionem, scilicet, 1) aliae expostulantes ut haec *iustitiae* respondeat, 2) aliae moderantes eius usum, 3) et aliae eius effectus.

59. Ut poena sit iusta oportet 1) sit *moralis* 2) sit *personalis* 3) et *proportionata* crimini.

Primum, est *moralis* poena, quando punitionis modus nec ad actionem malam pertrahit nec in occasione peccandi constituit.

Praesertim ex secundo capite esset immoralis poena carceris qua fidelis arceretur a quocumque sacramentorum usu, aut personis misceretur vel alterius sexus vel ad malos mores allicientibus.

Secundo debet esse *personalis* ut poena teneat tantum delinquentem, et planum est.

At quaeri potest quomodo probari possit poena publicationis bonorum (*confisca*) qua filii delinquentis plectuntur gravissima poena, quippe isti paternis bonis destituuntur. - Hanc poenam ipsum ius Canonicum statuit, *cap. 19. De haeret. in 6,* (V. 2) et praeterea haereticorum filios prohibuit ab officiis ecclesiasticis; atque *cap, 17, De Sim.* X (V 3) nullam edixit beneficii collationem per simoniam factam, etiam ignorante clerico

instituendo. - Obiectionis solutio continetur in *Reg. 23. De R. I. in 6*, « *Sine culpa, nisi subsit causa, nemo est puniendus* ». Proinde deficiente *culpa* aliquando subest *causa* imponendi talem poenam quae, etsi negative, tamen percellit insontes. Revera publicatio bonorum, poena sane gravissima, in societate rudiori est aliquando necessaria ad penitus convellendam vim et efficaciam, non tantum unius personae delinquentis sed integrae familiae atque non solum in perpetuam criminis detestationem sed praecipue ne paterfamilias faciles haberet imitatores in iis qui patrimonii haeredes, una fiunt paterni erroris sectatores; quamobrem timendum est ne in perpetuum foveantur errores et aemulationes quum hereditaria successione, veluti alantur et amplientur.

Quoad haereticorum filios a beneficiis et officiis ecclesiasticis prohibitos, adest causa suspicionis, ne haeresis veneno infecti sint ob naturalem cum parentibus coniunctionem animorum. Item dicatur de aliis privationibus quibus innocentes afficiuntur occasione alterius delicti. Quod principium aliunde ratum habuit firmavitque ipsa Divina Iustitia, ob culpam Adami, plectens, non sine causa, privatione iustitiae originalis, omnes ab eo originem trahentes. - Verum nemo non videt quam parce huiusmodi poenis utendum sit cum non facile adsit causa puniendi aliquem sine culpa.

Tertio poena debet esse *crimini proportionata*, ut per se patet. - Quia poenae constituuntur universaliter in certa crimina in quibus, pro casibus concretis, variat in delinquente quantitas imputationis; faciliter crimini accomodatur poena si est *divisibilis* seu per varios gradus imponi possit; qualis est carcer tum ratione durationis tum intensitatis. Haec qualitas eminenter elucet in poenis ecclesiasticis et censuris quae vel omnibus aut aliquibus iuribus et bonis privare possunt vel tantum ab eorum usu prohibent. - Verum, in poena etsi legitima, non semper hoc obtineri potest, veluti in extremo supplicio.

60. Requisita *ad legitimum usum* poenae, exposcunt ut 1) sint *accomodatae moribus populi* 2) ut sint *reparabiles*. Nam si poena non respondeat populi moribus, non timetur neque est efficax, cum bona quibus privat parvi fiant in publica aestimatione. - Quando vero poena nullo modo possit reparari restituendo vel compensando ablata, error facilis in humanis iudiciis est nimis timendus et nimis gravis; nam, irreparabili detecto errore, vehemens oritur animorum commotio vel in conspectu civis innocentis, in aevum affecti immerita poena, veluti mutilationis, vel ob recordationem civis iniuste deperditi, scilicet per capitale supplicium. - Unde poena mutilationis toleranda omnino non est; et poena mortis tantummodo locum habere potest inter poenas, quando necessitas publicae tranquillitatis protuendae istam expostulet; executioni vero demandari tunc debet quando evidentia criminis auferat qualecumque erroris periculum.

61. Poenae denique in suis *effectibus* debent esse, *exemplares* ut post patratum crimen alios ab eo patrando magnopere deterreant; *praeservatrices* ante crimen, omnes continendo in officio etiam ob poenae salutarem timorem; et rei *emendatrices* adeo ut delinquentes post poenae luitionem non fiant iustitiae et honestatis osores, sed amatores et sectatores. Iam adnotavimus, pro societate civili, effectus directius quaerendos esse *exemplaritatem* et *praeservationem;* in Ecclesia vero rei *emendatio* est poenae effectus in primis quaerendus, quamvis utraque societas, respective, alios effectus per quamcumque poenam consequi nitatur.

62. Cum poena delinquentem afficiat per *malum passionis*, infligitur vel per castigationem corporis directam vel per iuris privationem. *Corpus* castigatur per mortem, per fustigationem, mutilationem aut aliam huiusmodi afflictationem; *iura* privantur, ademptione aut diminutione vel *status* vel *libertatis* vel *bonorum*. At privatio *libertatis* potest esse etiam poenae corporali coniun-

TUTA, *v. c. adversus facientem, mandantem* (1) *verius non tenet: et ex diverso, statuta adversus mandantem, non tenet facientem: statuta adversus mandantes et facientes non tenet eos qui opem, auxilium praebent; statuta adversus eos qui consilium praebent, non tenet eos qui praestant opem. Eoque minus tenet eos qui non prohibent vel ratum habent; quippe qui revera in delictum non influunt. In quos autem manifeste lata est tenet eos proculdubio, sed post effectum sequutum* (2);

(1) Hic *mandatum* accipimus quatenus est *provocatio* ad aliquod *factum*; nam *mandatum* vi cuius, nomine mandantis, mandatarius negotium contrahit, efficit ut poena teneant tantum *mandantem cuius nomine aliquid* gestum est; etenim *qui per alium facit per se ipsum facere videtur*; utputa qui praedia ecclesiae emit contra leges canononicas, operà procuratoris, ipse poenas subit. Quare mandatum in re criminali habetur *quum committitur alteri criminis executio in exclusivam committentis utilitatem*; habetur vero *consilium* si criminis *utilitas* vergere debet tota ad *executorem*; habetur *societas* quoties utilitas dividitur inter socios criminis, sive sint complices *morales* sive *physicos* - At *mandans* non tenetur si mandatarius vel excesserit fines mandati vel gravius deliquerit, quando hoc a mandante *praevideri non poterat*; *consulens* tenetur si consilium fuit efficax; *socii* criminis vero tenentur iuxta proportionem influxus efficacis praestiti in crimen perficiendum; et quatenus participant *idem factum materiale*, ex circumstantiis *aggravantibus realibus* omnes tenentur. Inquam - *realibus* - nam si circumstantia sit *personalis* seu *afficiat propositum delinquendi unius* vel *alterius socii*, ista non participatur ab aliis. Veluti si plures intendant ad occidendum hominem et alter ex sociis sit isto homini affinis, haec specialis gravitas afficit tantum socium *affinem* non *ceteros*. - Carrara, § *435* in propositum inculcat vehementer hoc principium: *factum materiale potest inter plures complices participari; minime vero intentionem*; iuxta regulam enunciatam in *leg. 53 ff. De furt.* a Paolo aiente « *maleficia voluntas et propositum delinquentis distinguunt.* » - Nempe crimen est factum *externum* et hinc participabile; sed *intentio subiectiva* et *personalis* non est a subiecto ad subiectum prorogabile, neque aliis imputatur.

(2) Nimirum, crimina tunc poenis intelliguntur subiacuisse quum consummata fuerint, prouti late explicavimus; quae regula respicit tum

praeterquam si palam appareat, haec coerceri PER SE e quasi DELICTA SUI GENERIS ».

Sed haec ita generaliter enunciata, si conveniunt poenis *lat. sent.*, non aeque aptantur poenis *fer. sent.*, attenta legis can. intentione. Ad rem haec habet Thesaurus *op. cit. P. I. c. 10* qui satisfacens quaestioni « *An poena l. s. contra committentem aliquod delictum, extendatur contra cooperantes eidem* » docet *cum communi* DD.; « Respondeo, in hoc esse differentiam inter poenas *s. latae*, quia poenae *ferendae s.* in iure statutae contra facientem seu committentem crimen procedunt eodem modo contra cooperantes seu causas minus principales, ut mediatores, auxilium dantes, consentientes, mandantes, aut aliter ope vel auxilio iuvantes, *quotiescumque fuerunt causa proxima delicti ut dicunt Iuristae*, idest *quando efficaciter in talem effectum influxerunt;* tunc enim omnes dicunt puniri poena ordinaria; si autem ipsorum concursus non influxit seu non causavit effectum, *sed remote tantum cooperati sunt*, scilicet quando etiam sine illorum cooperatione eodem modo esset sequutus effectus, tunc dicunt puniendos esse poena minori, id est extraordinaria. » Puto adamussim esse consentaneam menti legis canonum hanc doctrinam; quoniam in poenis *fer. sent.* aliquantisper indulgetur legitimo arbitrio iudicis, eo consilio ut iste poenis eum percellat qui, canonis perpensa magis *intentione* quam *littera*, legem violavit. - Nihilominus si *expresse* poena dicatur ferenda in *patrantem*, in *exequentem* crimen, arbitror poenam non esse extendendam *ultra casum suum*. - Sed haec

reos, tum conreos sive principales sive accessorios. Ita *lex 36 ff. De furtis:* « *Qui alicui* (malum) *consilium dedit v. g. servo fugiendi, tunc incipit teneri, cum servus fugitivus esse coeperit* ». - Quum vero haec crimina complicitatis puniuntur quasi *delicta sui generis*, tunc quia non considerantur uti crimina *accessoria*, sed uti crimina *per se* stantia, incurrunt poenas, etsi crimen principale consummatum non fuerit. Tunc enim non viget regula: accessorium sequitur principale.

conclusio *quoad praxim* non est magni ponderis, quum iudici ecclesiastico liceat in conreos si non *ordinariam*, saltem *extraordinariam* poenam ferre. Cf. Smalz. *tit. De poenis* § *31 seq.* (1).

Dispici debet quaenam delicta coerceantur *per se* et quasi delicta *sui generis*. — Porro haec delicta ita nuncupantur quia distinguuntur a delictis principalibus quibus inserviunt. Utputa

(1) Celebris est apud criminalistas quaestio, an eâdem poenâ omnes complices mulctandi sint, eo quia, uti habet Ulpianus *(leg. 15 ff. ad leg. Corn. de sicariis)*. « *Nil interest occidat quis, an causam mortis praebeat* »; idem sonat lex « *Is qui opem, ff. De furtis.* Et DD. diversimode interpretati sunt has leges et in diversas sententias descenderunt. Schola Italica usque abhorruit, uti docet Gandinus, *De maleficiis,* ab admittenda eadem imputatione quoad omnes complices, sed distinxit varios gradus et species complicitatis. - Schola Gallica secuta principium, *in re criminali, in primis et ante omnia, propositum delinquendi pensandum esse;* (uti vidimus agentes de conatu criminis) docuit omnes complices eadem imputatione et hinc eadem poena dignos habendos esse. Proinde in Cod. poen. Gallico, adhuc *a. 59 seq.* hoc principium sancitur. - Ex adverso, in Cod Ital. hodierno art. 63 pari poena plectitur *mandans et mandatarius* et in genere criminis *auctor* moralis et *conscius* criminis *executor.* - Cf. Carrara, §§ 472, 457. In ceteris dispari poena percelluntur complices *habita ratione maioris* vel *minoris influxus efficacis* in criminis executionem. - In iure Rom. non secus ac in Can. tantummodo in nonnullis gravioribus et atrocioribus criminibus aequali poena mulctati sunt indiscriminatim criminis *auctores* et *omnes complices;* sed hoc quasi *exceptionis ad instar* et in *maiorem* criminis *detestationem.* Ita in *l. 1. l. 4 prol., l. 10 ff. ad L. Iul. maiestatis* et *l. 7 Cod. ad L. Corn. de sicariis* renunciatur quisque poenis obnoxius, *cuius ope, consilio dolo malo factum est,* crimen perpetrari. Uti patet haud dissimili formula verborum in lege canonica percelluntur rei etsi *accessorii* criminum graviorum. Etiam iure Rom. habentur crimina *extraordinaria* et poenae *extraordinariae;* quare ex hoc etiam capite istius systema accedit ad regulas iuris poen. ecclesiastici. — In propositum utiliter cf. Cocceio, *Exercitationes curiosae, V. 2 diss. 30. De socio criminis* - Besier, *De sociis delinquendi,* Utrecht, *1852.* Luden, *De socio delicti generali et speciali. Ienae 1845.* Casse, *De auctoribus delictorum psycologis* - Hauniae - 1835 - Foursac, *De la complicité* - Toulouse 1875.

opus antea praestitum, veluti *auxilium, consilium* ut delictum patraretur, vel postea exhibitum, utputa *defensio, receptatio* ut delinquens impune crimen patrare potuerit, considerari possunt uti delicta *accessoria* quae non percelluntur poenis nisi *crimine principali consummato;* at praeterea ista delicta considerari et puniri valent *per se* quasi *delicta sui generis*, nempe antequam crimen principalius consummetur. Verum nisi in lege expresse edicatur, haec delicta poenis mulctari prouti considerantur *per se* et veluti delicta *sui generis*, non censentur puniri nisi uti *accessoria* seu quum *principalia* delicta consummata fuerint.

43. In specie, dispiciamus quaenam sint haec delicta aliquando habita uti delicta *sui generis*. — *Mandantes, iubentes,* seu illi qui *mandant* aut *iubent* aliquod patrari delictum, utputa clericum percuti, sunt conrei principales non secus ac qui crimen mandatum, iussum exequuntur, nihilominus poena statuta, simpliciter, in *clericorum percussores*, non tenet *mandantes* aut *iubentes,* sed *eos* tantum *de facto percutientes.*

Conrei accessorii sunt, *consilium dantes* quia fovent et adiuvant propositum delinquendi; sed, in re criminali, non comprehenditur quodcumque *consilium* sed illud dumtaxat quod *persuadet et impellit atque instruit consilio ad delinquendum;* arg. *l. 51, ff. De furt.* Quare huiusmodi *consilium* efficere debet ut aliquis moneatur et instruatur ad delinquendum *alias non persuasus neque instructus;* alioquin simplex habetur hortatio aut incitatio quae poenali decreto non comprehenduntur edito in *consilium praebentes.* — Et ratio est quia, iure poenali, *verba accipienda sunt cum effectu* (1), nimirum ita intelligenda sunt ut aliquid exprimant opere perfectum, in subiecta materia. *Consilium* vero, quod ad delictum, non censetur fuisse efficax nisi voluntatem excitaverit atque instruxerit ad delinquendum.

(1) Cf. L. 1 § Haec, *ff. Quod quisque iuris in alterum....* et *cap. 4. De clericis non residentibus,* X (III. 4) et Suarez, *De legibus,* V, *34, 10.*

cta, si carcere detentis corporis afflictio addatur, veluti privatio lucis. - *Status* iura adimuntur vel omnia ex. gr. si quis e statu clericali deiciatur, vel nonnulla nempe interdictione a beneficiis, ab officiis ecclesiasticis. - *Bona* patrimonialia, universa auferuntur *publicatione (confisca)*, vel aliqua ex parte per *mulctas*.

63. Ecclesia a sanguinis effusione abhorret et proinde a poenis sanguinis; ab aliis corporalibus non est omnino aliena adhibitis tamen mitioribus castigationibus sibi propriis; et praeterea ab his abstinet quando moribus fidelium non sint consentaneae, prouti fit apud populos magis excultos. Quocirca ecclesiae poenae praecipue consistunt in ademptione aut diminutione vel *status* vel *libertatis* vel *bonorum*.

Revera adhibet *censuras* nempe *excommunicationem*, *suspensionem*, *interdictum*, quibus fidelem baptizatum, respective et sub diversis respectibus, laicum vel clericum, arcet ab usu iurium omnium vel nonnullorum tantummodo, nempe arcet a bonis communionis seu status christiani, aut communionis seu status clericalis, donec censuratus resipuerit. - Per *poenas* privat vel nonnullis *bonis* per *mulctas;* vel *libertate* privat per *carcerem* mitem et correctivum, uti esset monasterium; privat iuribus *status* clericalis per *privationem* beneficii aut *fructuum* vel per *suspensionem* ab ordinis exercitio vel officii administratione ad certum tempus. - Hac enim ratione inflicta *suspensio* non est *censura* sed poena quippe ad tempus determinatum imposita, resolvitur lapsu temporis, non *absolutione* post rei emendationem aut resipiscentiam, prouti expostulant censurae. - Absolute privat iuribus *status* clericalis per *depositionem* aut *degratationem*. - Aliquando praeterea privat iuridica capacitate aliquorum iurium *status*, scilicet per *inhabilitatem*, *irregularitatem ex delicto, et infamiam iuris*. Inquam *per irregularitatem* EX DELICTO et *infamiam* IURIS, nam irregularitas *ex defectu* est potius impedimentum absque ratione poenae, et *infamia* FACTI promanans naturaliter ex crimine est *potius* indignitas, quam inhabilitas.

§ I. - *De diversis modis ferendi seu constituendi poenas.*

Summarium. — 64. Poena alia est *a iure*, alia *ab homine*. Quae *ab homine* feruntur, comparari solent *praeceptis* prouti haec *legi* opponuntur. Haec sententia, in universum, non videtur vera. — 65. Afferuntur ex iure positivo ordinationes, quoad modum ferendi *praecepta*. — 66. Impugnatur sententia quae tenet haec *praecepta* resolvi resoluto praecipientis iure. Adversa sententia expenditur iuridice et historice. — 67. Quoad historiam affertur Glossae sententia quae examinatur. — 68 De poenis *conventionalibus*. — 69. Poenae a *iure* editae aliae sunt *ferendae* aut *latae sententiae*. — 70. Qua ratione poenae *l. s.* exquirant, pro executione, sententiam *criminis declaratoriam*, toto coelo distinctam a *condemnatoria*. — 71. Ut satisfiat quaestioni; an reus subire debeat poenam *l. s.* ante quamcumque iudicis sententiam, distinguuntur poenae *positivae, negativae, mixtae*. — 72. In *positivis poenis* requiritur sent. *declaratoria*. — 73. In poenis *mixtis*, ex receptis moribus, requiritur sententia *declaratoria criminis*, exceptis *censuris* et *irregularitatibus*. — 74. In poenis pure *negativis* nulla requiritur sententia. — 75. An iudex infligens poenas ordinarias *fer. sent.* possit easdem vel minuere vel augere.

64. Uti crimen non intelligitur sine positivae legis violatione, ita poena sine positiva iussione non constituitur. Hinc primum disserendum est de modis quibus poenae feruntur. Quia vero poenae iam latae vel quoad generalem significationem, vel quoad vim in casu peculiari aliquando expostulant *interpretationem*, proinde regulas postea subiiciemus interpretationis huiusmodi legum.

Tum censurae tum poenae ferri possunt vel *a iure* vel *ab homine*. Feruntur *a iure* seu per modum legis, quando omnibus et perpetuo vetatur aliquid; *ab homine* vero dicuntur ferri quae a principe seu a praelato statuuntur pro aliquo casu peculiari in lege poenali non comprehenso, et hae poenae *arbitrariae* seu *extraordinariae* (scil. a communi iure non latae)

solent ferri in singulum civem sed aliquando etiam, sed raro in omnes subditos feruntur (1). Canonistae passim asserunt poenas *ab homine* ferri ad instar praecepti; et hinc resolvi vel suspendi resoluto vel suspenso iure ferentis, nisi iam fuerint incursae. Cf. Suarez. *De legib. lib. I. cap. 10 et D'Annibale I. 301.* Hinc sequitur, praeceptum seu Episcopi decretum alicui clerico factum v. g. non frequentandi aliquam domum, vel peragendi exercitia spiritualia amplius non vigere a momento quo Episcopi cessat iurisdictio; suspendi vero, si haec dumtaxat suspendatur, *etiam re non integra*, seu etsi iam coeptum sit, decreto obtemperare. Excipiunt tantum casum quo poena iam fuerit plene incursa veluti *excommunicatio*, *suspensio*, *beneficii privatio*. Siquidem poena iam incursa legitimis modis aufertur; nempe vel *absolutione* vel *dispensatione* vel *lapsu temporis* et ita porro.

Quamvis haec doctrina dicatur *communissima* et quasi hodie contradictores non habere, tamen ita generaliter expressam audemus asserere veram non esse et omnino esse reiciendam.

65. Re sane vera ut positivis inhaereamus iuris decretis, in primis advertatur, de *praeceptis* seu de ordinationibus et poenis *ab homine* ferendis, legem dedisse Instructionem S. C. EE. et RR. editam *pro ecclesiasticis curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, die 11 Iunii a. 1880,* ita iubentem: I. « *Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando remediisque utendo canonicis ad praecavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes* ». II. *Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur etc.* ». V. « *Has*

(1) Istae vocari solent *sent. generales* vel *universales*, Layman *De cens. cap. II.* 2. Quaeritur an *a iure* vel *ab homine* dicendae sint.

provisiones praecedere debet summaria facti cognitio quae ab Ordinario notanda est UT AD ULTERIORA *procedere, quatenus opus sit, et certiorem reddere queat Superiorem Auctoritatem in casu legitimi recursus....* VII. PRAECEPTUM *intimatur praevento a Cancellario coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis.* 1) *Actus subsignatur a partibus praesentibus et a praevento quoque si velit,* 2) *Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur* ». Cf. Rota, *Enchirid. Confess. et Iud. Eccles.* Part. II. *Sect. IV. c. 8.*

Hisce positis iuris ordinationibus, quaerimus an huiusmodi praecepta vel poenae vel decreta *ab homine* lata, nempe auctoritate Episcopi, vigeant etiam resoluta vel suspensa Episcopi iurisdictione? Et sane nemo asseret, huiusmodi acta in irritum cedere ob mortem vel translationem Episcopi, vel suspendi, eius suspensa iurisdictione; siquidem haec acta pertinent ad necessarium dioecesis regimen quod nullimode cessare potest, consistens in ordinaria potestate, ad dioecesis gubernationem ordinata, cuius mutatur subiectum sed nunquam deest auctoritas. Haec continuitas regiminis respondet necessitati Ecclesiarum, earumque dignitati, quippe eis praeest non Ioannes, non Antonius, non Paulus sed Episcopus minister illius iurisdictionis quam primus obtinuit Episcopus in illa sede et habebit novissimus (1).

(1) Idem D'Annibale ait *l. cit. in not. 5*: « Aliud iuris est in *sententiis* latis officio iudicis: *sententia iudicis est quaedam particularis lex in quodam particulari facto. (D. Thom. 2. 2. 67. 1.).* » Sed suum officium iudex non exequitur tantum interpretando legem communem in iudiciis, sed etiam in aliis *decretis* aut *praeceptis* quae fert ad publicum regimen dioecesis, etsi ista dirigantur ad singularem fidelem sive clericum sive laicum. Nam quoad externum ordinem societatis bonum unius refluit in integram societatem, seu in bonum commune, et probat Divus Thomas *1. 2. 100. 2.* aiens *ad 1: « Ordo autem ad bonum commune qui pertinet ad legem est*

66. Sed ex dictis statuere debemus, an et quanam ratione negandum sit, *praeceptum resolvi resoluta praecipientis auctoritate.*

1) In primis admittit Suarez *l. c, n. 12,* et alii omnes Doctores, praeceptum ab Episcopo factum singulae personae durare, eius cessante iurisdictione, quotiescumque ipse praecipiat huiusmodi intentione sufficienter expressa et significata; scilicet obligandi *absolute* in certum tempus; nam si omnes lege lata, obligare valet, multo magis suis praeceptis, singulos.

2) Sed quo propius ad nostram quaestionem accedamus, distingui debent praecepta quae fiunt ab Episcopo singulis, quasi pracepta *moralia* et pro *foro interno* a praeceptis quae fiunt pro *foro externo*, denunciata actu solemni aut formali curiae adeo ut apud huius cancellariam praesto sint probationes de facto praecepto et de eius adiunctis. Tunc enim sive Episcopus moriatur sive transferetur sive eius iurisdictio suspendatur praecepta non exinde suam amittunt vim.

Ratio distinctionis inter unum et aliud praeceptorum genus est necessaria; quia Episcopus sane, qua animarum pastor, singulis aliquid praecipere valet quod limites non egrediatur fori interni et boni privati; quodque pendeat ab eius nutu et arbitrio; seu duret *ad eius beneplacitum* uti solet caveri in huiusmodi *praeceptis* ferendis, quamobrem resoluta illius auctoritate, cessat praeceptum et evanescit poena forte adnexa nisi plane iam fuerit incursa. - Sed praeterea Episcopus est iudex ordinarius in foro externo, ad applicandas leges sive disciplinares sive criminales, adhibita certa procedendi ratione pro necessitate publici regiminis (1); et praecepta, sententiae, de-

applicabilis ad singulares fines, et secundum hoc etiam de particularibus quibusdam praecepta dantur ». Nimirum, aliquando *lex* executioni demandatur per *praeceptum* alicui peculiari civi factum. Cf. Suarez *l. c. n. 10.*

(1) Hac de causa cit. Inst. S. C. EE. et RR. iubet praemitti *summariam facti cognitionem* praeceptis a quibus appellari potest.

creta edita hac ratione censenda sunt non perimi morte vel translatione Episcopi praecipientis. Revera in Collectanea Bizzarri afferuntur documenta *pag. 193, 194*, quibus statuitur *praecepta* durare usque ad tempus praefinitum; et si nullum praefiniatur durare *ad annum;* huiusmodi enim decreta utpote *praeventiva* aut respicientia *peculiarem* casum in perpetuum durare non valent. Sed nulla habetur ratio durationis vel cessationis auctoritatis praecipientis. - Scio equidem allata documenta spectare ad civilem principatum Pontificis, sed *ratio decidendi eadem est;* eo magis quia S. C. EE. RR. in cit. Instructione *11 Iunii 1880* de *praeceptis* statuit eo sensu quo in illis documentis accipiuntur.

3) Si quaeratur ratio intima huius conclusionis ista praestatur ab ipso Suarez *l. c. n. 10* qui scite notat, praecepta posse fieri ab Episcopo etiam duratura post eius mortem, hoc vero non censeri fuisse factum, nisi expresse dicatur. Nam in praecipiendo Episcopus videtur uti iis remediis quae pertinent ad specialia temporum et personarum adiuncta et non praesumitur voluisse iniicere haec vincula ultra tempus quo durat eius pastoralis sollicitudo nisi expresse dicat (1). Unde hic Doctor refutat rationem illorum qui arbitrantur praeceptum esse temporaneum, saltem ad vitam praecipientis, quia praeceptum prospicit bono privato, legem vero, suapte natura, esse perpetuam quum consulat bono communi; advertit enim et bonum unius particulare, quoad ordinem socialem, refundi in bonum commune, uti probat D. Thomas *in 1ª 2ªᵉ* 100. 2.; et notat, arbitrio legem ferentis, legem posse condi temporaneam, quales sunt leges seu Regulae Cancellariae; et praeceptum posse edi perpetuum vel saltem

(1) Quo posito principio, Suarez facillime in nostram sententiam pertrahitur, si advertatur praecepta ab Episcopo edita ad externum suae Ecclesiae regimen, iam continere eius voluntatem, et ex aliqua solemnitate actus seu ex publicatione significare illius propositum, hunc actum, suapte natura, excedere limites *personalis exercitii* Episcopalis iurisdictionis.

ultra vitam praecipientis sive respiciat universos subditos sive aliquos aut aliquem tantum. — Verum hanc Episcopi potestatem, condendi praecepta quae vigeant eius resoluta vel suspensa iurisdictione, contendimus Episcopo competere dumtaxat quoad praecepta ordinata pro externo fidelium regimine seu pro *foro externo;* minime autem quoad praecepta imposita pro *foro interno.* Ista enim nullimode vim habere possunt in illud tempus quo amplius non durat potestas praecipientis; siquidem ab huius *arbitrio* et *beneplacito* illa necessario pendent. - Etenim in *foro interno* praecipiens ita se habet erga subditum cui fit praeceptum ut hoc initium et statum capiat a voluntate praecipientis quippe sane hic in suum successorem eam transmittit, qua ipse pollet, auctoritatem et veluti suam personam publicam unde sustinentur et iuridice perdurant omnia antea acta in publicum regimen societatis; sed non ea pertranseunt *praecepta* respicientia bonum peculiare unius vel alterius subditi. - Unde Suarez et D'Annibale et alii omnes DD. intelligendi sunt confirmare nostram thesim quum asserunt Episcopum posse *praecepta* facere quae obligent etiam eo mortuo, vel translato vel suspenso. Nam haec *praecepta* ea sunt quae prospiciunt externo societatis regimini et eam exquirunt conditionem ut conficiantur per aliquod instrumentum, quocirca de illius existentia et vi suppetat probatio. Et haec est doctrina quam nos defendimus (1).

(1) Doctores quaerunt an haec praecepta personae cohaereant, uti *umbra corpori* et hinc eam sequantur ubique locorum, nempe extra territorium praecipientis. - Suarez, communiori sententia, *affirmat.* (*De Censur. V. 5-18.*); D'Annibale sequitur sententiam *negantem,* esti minus communem, quae admittit praecepta obligare tantum in territorio praecipientis et affert has rationes (I-249) « Quia *ratio generalis (legis)* vel *particularis (praecepti)* non variat *iurisdictionem*; deinde quia potestas *quae non continetur in toto,* id est in potestate ferendi leges in parte contineri absurdum videtur ». Et istam sententiam et allatas rationes omnimode probamus, et advertimus exinde clarius confirmari conclusio-

ı decreta seu acta quae ab Episcopo eduntur
ılem suae Curiae, ita rogatum ut probationis non
ıtum, etiam e vivis sublato praecipiente, per-
ırunt praecipientis voluntatem, huiusmodi prae-
ısse etiam resoluta praecipientis auctoritate.

storiam sententiae, quam refutamus, rem ita refert Fagnanus *in cap. A nobis De sent. excommunic.* respondens quaestioni an praecepta expirent morte praecipientis; et ait *n. 50:* « Quoad secundam partem dubia est quaestio; an licentia vel praeceptum expiret per mortem concedentis vel praecipientis quam tractant D. D. in Clem. *fin. de elect.* et *communiter recipitur opinio negativa.* Quae est Card. *in 5 quaest:* Sed quia res est controversa et multi aliter sentiunt, ideo quod pertinet ad hanc quaestionem videtur vera distinctio Glossae *2. hic:* nam aut Capitulum sede vacante procedit per modum statuti; et tunc etiam si statutum imponat poenam pro futuro delicto non expirat sede plena.... Aut capitulum procedit per modum sententiae vel interdicti qui est casus noster et tunc praeceptum expirat per mortem praecipientis: adest TEXTUS EXPRESSUS *in l. fin. ff. de poenis.* Haec distinctio in effectu est Glossae magnae *hic;* cuius haec sunt verba: Quid si moriatur vel transferatur ad aliam Ecclesiam qui tulit illam sententiam; numquid tenet post mortem vel recessum, ut qui contra faciant sint excommunicati? Videtur quod sic, *quia scripta Episcoporum anathematizant etiam post mortem et facere*

nem a nobis propositam, nimirum *praecepta* non minus ac *leges* posse durare etiam resoluta praecipientis iurisdictione; et ratio est, *quia unus* et *idem est fons* tum *legis* tum *praecepti;* seu illa iurisdictio quae est ordinata ad *externum regimen* fidelium et est *territorialis.* - Aliud vero dicendum est de *praeceptis* ordinatis ad *forum internum*; et ista sequuntur personam ubique locorum et expirant si cessat praecipientis iurisdictio. - Proinde haec distinctio inter unum et alterum genus praeceptorum est necessaria, et, ni fallor, est *unica ratio decidendi* propositas quaestiones.

possunt, ut qui contrafaciat, puniatur: 3 quaest. 4, nullus etc. - Argum. contra: Dicit lex quod interdictum non durat ultra iurisdictionem interdicentis, *l. ult. ff. de poen. etc.* ».

Ex quo textu plura deducenda sunt magni ponderis.

1) Tempore editarum Collectionum Decretalium seu epocha classica iuris canonici, *communiter recipiebatur opinio negans huiusmodi Episcopi decreta vel praecepta expirare eius morte.:* quam communem sententiam recolit etiam Glossa aiens: *scripta Episcoporum anathematizant etiam post mortem;* quod effatum adamussim exprimit veram sententiam tunc vigentem in foro ecclesiastico, nempe Episcopi decreta seu praecepta scripta seu aequivalenti modo, ab eius curia edita, pro foro externo lata, quamvis unum singularem fidelem respiciant, durare etiam resoluta praecipientis auctoritate.

2) Sed tam vulgari et sapienti effato Glossa opponit: *Dicit lex,* nempe romana, *ff. ult. De poenis;* cui sententiae innixa Glossa confirmat distinctionem non multopridem introductam (1), *inter legem*, et *praeceptum* seu *decretum* quadam peculiari causa vel cuidam peculiari civi denunciatum. Textus celebris romanae legis *ult. ff. De poen.* ita se habet: « *Imperator Antoninus Aurelio Atiliano rescripsit: Praeses ultra administrationis suae tempus interdicere alicui, arte sua uti, non potest* ». Exinde inolevit distinctio apud Glossam et dein apud Canonistas *inter legem* et *interdictum* seu *praeceptum* particulare, quae distinctio adeo urgeri coepit ut, nulla facta distinctione, praeceptis vis tribueretur tantummodo ad tempus quo vigeret praecipientis auctoritas. Sed hoc principium ita

(1) Revera D. Thomas *in 1, 2, art. 90 q. 108,* disserens de legibus prouti sunt externi regiminis media numquam distinguit legem a praecepto; imo leges positivas vocat *praecepta* et distinguit praecepta IUDICIALIA seu ordinata ad externam gubernationem, a praeceptis *moralibus* quae non iubentur aliquo positivo iure vel divino vel humano: *cf. l. c. q. 104.*

absolute conceptum pessumdat Episcoporum auctoritatem et pervertit Ecclesiarum regimen, uti docuimus.

3) Nos non inficiamur eam distinctionem *legis* a *praecepto*, quippe praeceptum aliquando fit, actu privato et veluti pro foro interno, atque ad alicuius tantummodo bonum privatum; et hoc sensu istud non viget, cessante praecipientis auctoritate, sed omnino negamus *praeceptum, decretum* seu *interdictum* editum ea ratione qua explicavimus, ad externum Ecclesiae regimen spectans, expirare, resoluta praecipientis iurisdictione (1).

4) Praeterea advertimus comparari non posse Praesidis Romani auctoritatem cum Episcoporum iurisdictione, *quos posuit Sp. Sanctus regere Ecclesiam Dei.* - Praeses Romanus erat tantum *executor, administrator*; Episcopus est *legislator* quoque, atque dioecesim habet suo regimini concreditam non ad certum tempus, sed usque ad extremum vitae spiritum. Quare alienum est a quacumque ratione iuridica ab uno munere ad aliud argumentari, quum ista munia pertineant ad ius publicum societatis et nemo sane auderet a iure publico, tam vario tam implexo reipublicae romanae inferre ius publicum societatis religiosae christianae, potissimum in eo quod attinet ad potestatem Episcoporum a Sp. Sancto constitutorum. - Quocirca regula Lucii III in celebri *cap. 1. De nov. op. nunciatione* X. (V. 32) nempe ius canonicum *Principum constitutionibus adiuvari* seu suppleri, omni procul dubio pertinet ad *ius privatum*, minime ad *ius publicum* (2).

(1) Iterum innuere praestat, quippe maximi ponderis est quaestio, Reiffest. *De const.* n. 43 sq., et Auctores ab eo citatos, asserentes, absque *limitatione, praeceptum expirare morte praecipientis*, intelligendos esse de praeceptis latis pro foro interno. Alia praecepta edita pro *foro externo* recensent inter sententias et decreta *iudicialia* et haec aiunt esse perpetua *ad instar legis:* cf. D'Annibale I, 305. not. 5. Sed non bene, nam *ordo iudicialis*, per se, non mutat naturam praecepti quod semper est particulare.

(2) Quae in sententia Cl. D'Annibale magis displicent haec sunt ;

68. Praeterea memorandae sunt poenae *conventionales;* eae nempe quae oriuntur ex aliqua conventione *expressa* vel *tacita. Expressa* est conventio poenalis in contractibus, veluti in *transactione,* in *compromisso* quotiescumque *poena* statuitur ab eo subeunda qui rem praestare nolit, sive in transactione sive in compromisso per arbitros constitutam. Expressa quoque conventio subest in votis poenalibus, et planum est. Ex *tacita* conventione oritur poena quando subauditur quasi contractus, utputa qui legatum acceptat ea conditione conditum ut legatarius nisi praestet debito tempore, et modo rem legatam, poenae nomine, aliquid solvat vel faciat. Legatarius enim legatum acceptans ex tacita conventione spondet se poenam subiturum nisi congrue obligationi legatae satisfaciat, *arg. l. unic. Cod. De his quae poenae nomine.*

Quaeritur an poenis conventionalibus accensendae sint nonnullae privationes a lege praescriptae iis qui aliquod opus non praestant; veluti ex lege *Trid. Sess. 25 cap. 12 De Ref.*, amittit distributiones quotidianas canonicus qui choro non intersit; ex *cap. 14 De elect. in 6.* (I. 6.) parochiale beneficium obtinens, qui intra annum non ascendat ad ordinem presbyteratus, privatur beneficio; et ex *C. Trid. Sess. 23 cap. 2 De Ref.* qui intra sex menses a suscepto Episcopatu non recipit consecrationem, a gradu Episcopali deiicitur. Iamvero quaeritur an

(I, 249) ait enim: « *Alterum hoc est, quod praeceptum cessat resoluto quoque modo, etiam re integra, iure praecipientis* ». *Et in not. 9, advertit: Et eo suspenso* suspenditur. Vel si is, cui praeceptum impositum fuit, subditus, v. c. mutato domicilio, esse desiit... Dixi *etiam re non integra;* utputa si iam coeperas obtemperare (v. c. si iussus vacare per mensem exercitiis spiritualibus, iam coeperas eis operam dare); quia sicut nemo potest praeceptum ferre eo tempore quo non habet potestatem, ita *nec in id tempus, in quo eam non amplius sit habiturus* (Suarez *De cens. III. 4, 12*). - Et in *not. 11* docet « Itaque si ordinarius iusserit v. c. concubinam extrudere, sub poena excommunicationis, intra mensem, eo infra mensem translato, mortuo etc. excommunicatio cessat ».

hae poenae sint conventionales, siquidem subaudiunt pactionem ab eo initam qui suscipiens officium spopondit onera servare; et D'Annibale (I. 301 not. 9), opinatur, huiusmodi poenas esse conventionales, sed melius placet sententia Suarez *De leg. V c. 8, n. 8*, probantis has privationes esse poenas a quacumque conventione disiunctas adeo ut his teneantur qui has ignorant, et ii etiam qui officium susceperint ante huiusmodi leges promulgatas.

69. Poena vel *a iure* vel ab *homine* lata subdividitur in poenam *fer. sententiae* et *lat. sententiae.* Poenae *fer. sententiae* seu inferendae per sententiam iudicis *condemnatoriam* non attingunt delinquentem nisi post sententiam iudicis decernentis in criminosum appositam poenam; poenae vero *latae sententiae*, admisso crimine, statim, vi sua, delinquentem tenent. Modus ordinarius est ut poena sit *ferendae sententiae*, et in dubio praesumi debet, poenam esse *ferendae* sententiae: Suarez - *cum communi - l. c. cap. 6, n. 2.* Nam cum in patiendo consistat poena seu importet malum passionis publica auctoritate inflictum ob malum actionis, convenit magis ut in casu singulari poena applicetur delinquenti per officium publici magistratus. Nihilominus aliquando legislator ecclesiasticus, ad efficaciorem criminis praeventionem et repressionem, iubet, *ipso facto* seu statim crimine admisso, reum poena teneri, ne delinquat cum spe effugiendi iudicis animadversionem. Et huiusmodi poenae quas ipsa lex, sine ministerio iudicis, infert in delinquentes statim ac deliquerint, ita sunt propriae iuris canonici ut potestas civilis iisdem ferendis quasi sit impar (1). Nam ius canonicum in poenis decernendis,

(1) Inquam *quasi sit impar;* quia non negamus facultatem condendi leges *lat. sent.* potestati laicae, *absolute;* nam in *cap. 19 De haereticis in 6,* (V. 2) affertur huiusmodi legum exemplum; et hanc facultatem expresse vindicant societati civili Suarez et plures Doctores ab eo cit. *l. cit.*, cap. 7, n. 6, contradicente Soto *De iust. lib. I, q. VI, art. 6.* Sed haec potestas est veluti *extraordinaria* seu exercenda dumtaxat quando leges sint efficaciores, hac ratione, latae; seu quando mores populi sint inidonei iudiciis criminalibus legitimo modo exercendis.

in primis, saluti animarum consulere satagit; quare, uti iam explicavimus, eius praescriptiones pro foro externo editae pertingere conantur ad forum internum. Proindeque istud non admodum indulget fictionibus iuris seu praesumptionibus iuxta effatum « *nemo praesumitur reus nisi probetur* » sed, studet enixius ut reus sui criminis conscius etsi occulti, pro gravioribus criminibus, poenas luere debeat antequam iustitia humana eum percellere valuerit: huc spectant poenae *latae sententiae* (1). Verum, quippe graviores poenae, non habendae sunt uti *latae sententiae* nisi hoc clare exprimatur.

Easdem vero sedulo distinguere a poenis *f. s.* maxime interest; siquidem utriusque poenarum generis diversi sunt effectus. Canonistae autem non sunt concordes in statuendis criteriis quibus una species poenarum ab alia certe secernatur. Placet, prae aliis doctoribus, cl. D'Annibale doctrina qui rem, in propositum, ita conficit (I. 303). Advertit, poenas per legislatorem decerni; per iudicem infligi, per reum subiri: hoc in genere. In specie, quando ius can. constituit poenas *l. s.* tunc legislator assumit etiam partes iudicis infligentis, absque alio iudicis ministerio, poenas delinquenti in ipso puncto consummati criminis. Unde hoc fluit criterium; eas poenas esse *l. s.* quas ita decernit lex in delinquentem, *ut ipsa non provocet officium iudicis ad poenam infligendam, sed ipsum alloquatur delinquentem quem monet, eum iam esse certa poena mulctatum.* Exinde si decernatur, v. g. *sit excommunicatus; sit suspensus;* vel *ipso iure, ipso facto sit excommunicatus;* vel *sciat (reus) se esse excommunicatum;* vel *suspendimus, excommunicavimus,*

(1) Suarez in suo tractatu - *De legibus* - videtur non bene perspexisse necessariam differentiam intercedentem inter legem civilem et ecclesiasticam, in pluribus; et hic defectus, in re nostra, parit conclusionem, sane non veram, nimirum potestatem condendi poenas *lat. sent.*, per se, aeque competere societati civili et Ecclesiae; quare melius ratiocinatus est Soto *l. cit.* qui huiusmodi facultatem pene abiudicavit auctoritati civili.

tunc apertum est, poenas esse *l. s.*; quia ipsa lex et decernit et poenam reo infligit. - E contra si statuat lex, *suspendatur, excommunicetur;* aliisque utatur huiusmodi formulis quibus iudex iubetur poenam infligere, tunc poena habenda est *f. s.* Quia vero versamur in odiosis, in dubio benignior sententia tenenda est, nimirum poenam non *l. s.* sed *f. s.* esse. Rem latius, sed forsan non clarius exponunt, Suarez, *De Censuris, III, 3-6.;* idemque *De Legibus Lib. V, 6, 26.* - Berardi. *Ius Can. Univ. Diss. III. « De reis per censuras coercendis » in L. V.*

70. Nihilo secius advertatur, etiam in criminibus mulctatis poena ipso iure incurrenda, intervenire sententiam iudicis non *condemnatoriam* ut in casu *poenae f. sent.*, sed *declaratoriam* poenae iam incursae. Quamvis enim poena *l. s.* teneat ipso facto delinquentem criminis sibi conscium, tamen interest societatis ut ipsa certior fiat officio iudicis, illum civem poenam incurrisse, eumque sciat, certis iuribus, in poenam privatum esse. Verum toto coelo differunt inter se *condemnatoria sententia* et *declaratoria;* cum effectus sententiae condemnatoriae incipiant a die qua haec legitime profertur ita ut si sententia sit nulla etiam ob formae defectum, nulla incurratur poena; e contra in sententia declaratoria, poena *l. s.* tenet a die patrati criminis, adeo ut eius valor et effectus tantummodo declarentur, unde vis huiusmodi sententiae retrotrahitur ad diem admissi criminis. Quare si sententia *declaratoria* ex aliquo defectu formae nulla sit, non habentur effectus sententiae *declaratoriae*, sed poena in sua vi permanet et viget, quando aliunde illud crimen patratum sit, atque *ipso facto* poenae illatio secuta sit, ex ipso decreto legis.

Ad sententiam *declaratoriam* quod spectat, maxime interest inquirere, an et quando ista necessario interponenda sit. Nam haec obiicitur quaestio: quando poena est *l. s.* et quis sibi conscius est de crimine admisso cui talis poena adnexa est, nec

adhuc iudicis sententia declaratoria pronunciata est, vel forte, quia crimen est occultum, pronunciari non potest, cogitur forsan delinquens statim post admissum crimen, sese poenae submittere? Quaestio pluribus implicata est difficultatibus et apud Doctores contrariis definita conclusionibus, uti videre est apud *Thesau., op. cit. P. I, c. 5, et 28, sq. et* Suarez, *De Legibus, Lib. V, c. 5, sq.* Ratio dubitandi potior est, quia quamvis huiusmodi poenae incurri debeant *ipso facto*, tamen quum omnis poena *in patiendo*, non *in faciendo* consistat (1), videtur alienum a iure quod delinquens poenam pati debeat quam ipsemet in se exequatur.

71. Cui quaestioni ut satisfiat distingui cum primis debet *poena positiva* a *poena negativa*. Poena *positiva* ea est quae effectum physicum seu passionem secumfert, quae obtineri non potest sine actione hominis, quaeque proinde a lege fieri non potest, sed obtinenda est ministerio hominis; et hae poenae, sunt *carcer*, *exilium*, *mulcta* et alia huiusmodi. E contra est *poena negativa* quae secumfert *effectum moralem* seu privationem iuris, et haec absque facto nostro vel alterius demandatur executioni; huius generis sunt inhabilitas ad beneficia acquirenda; ademptio vocis activae et passivae; ius enim, de se cum sit aliquid spirituale conceditur et adimitur, etiam simplici ministerio legis. Verum quia iura habent aliquando admixtam vel officii administrationem vel bonorum possessionem, et fructuum perceptionem coniunctam, prouti fit in beneficiis ecclesiasticis, hinc sequitur nonnullas poenas esse *mixtas*, quippe revera consistunt in privatione *iuris*, at secumferunt aliquod factum, saltem omissionis. Ita privatio tituli beneficialis, secumtrahit amissionem vel ablationem rerum beneficialium; et privatio vocis activae et ipsa inhabilitas ad officia acquisita non sortitur executionem sine actu omissionis publico coram socie-

(1) Nimirum poenae proprie dictae; nam in patiendo et in faciendo consistunt tantum *poenitentiae*, quum voluntarie suscipiuntur et perficiuntur.

tate. - Ast in hisce aliisque casibus simplex habetur poena privationis si ius non *sit quaesitum;* veluti si beneficium nondum sit possessum.

72. Porro si poena est *positiva*, convenit apud omnes DD. poenam non tenere reum antequam iudex per sententiam *declaratoriam* decreverit, delinquentem revera certum crimen patrasse et poenam appositam incurrisse, quamvis poena sit *latae sententiae*, *ipso facto incurrenda.* Siquidem lex nimis dura esset et moraliter impossibilis quae cogeret reum ad ponendum actum suipsius vindicativum, quando poena, suapte natura, reo aliquid *pati* solummodo imperat. Quocirca lex iubens talem poenam de se duriorem, et nimis difficilem, sane lex esset nullius valoris.

Sed quomodo conciliantur verba legis adeo expressa, cum hoc principio quod ipsam legem destruere videtur? Multiplici animadversione huic difficultati respondendum est. Cum primis *a*) reponatur huiusmodi leges ita usu receptas fuisse, ut contrariis moribus aliqua ex parte in desuetudinem abierint : ratio consuetudinis, inferius melius explicabitur. *b*) Revera in iure can. poenae positivae latae huiusmodi duriori sententia perpaucae usque habitae sunt. - Iure Decretalium unus aut alter casus refertur poenae positivae *l. sent. - Ex cap. 1 De homic. in 6.* (V. 12.) mandans per *assassinos* aliquem interfici, plectitur praeter excommunicationem et alias *poenas,* etiam poena publicationis bonorum, *ipso facto*, incurrenda. Quare eius bona fisco addicebantur, statim ac crimen patratum fuisset. Tamen cavent postrema decreti verba: « Et postquam *probabilibus constiterit argumentis*, aliquem scelus tam exacrabile commisisse, nullatenus *alia excommunicationis,* vel *depositionis seu diffidationis*, (nempe publicationis bonorum) *sententia* requiretur ». Et clarius *in cap. 19 De haeret. in 6* (V. 2). « Cum secundum leges civiles, nefarias, naturae contrarias, incestas nuptias contrahentes, eo ipso, suarum dominium rerum perdant.... bona haeretico-

rum.... *ipso iure* de fratrum nostrorum consilio decernimus confiscata. *Confiscatione tamen* huiusmodi executio, vel bonorum suorum occupatio fieri non debet per principales; aut alios dominos temporales (iuxta Gregorii Papae Praedecessoris nostri declarationem) antequam per Episcopum loci aut aliam personam ecclesiasticam quae super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata ». Quae cautelae praecipue huc spectant, ut delinquens coram societate non habeatur hisce gravioribus poenis mulctatus antequam publice constet de eius crimine. At coram societate modus ordinarius quo factum constet, est iudicis sententia *declaratoria* si excipiatur casus criminis notorii, casus sane perrarus. Proinde consuetudine seu experientia duce constitutum est, ad auferendas dubietates tum quoad delinquentem tum quoad societatem, necessariam esse sententiam *declaratoriam* quae uti notat *Thesaurus. Op. cit. P. I. cap. 5 Resp. III,* non est declaratoria *poenae* sed *criminis.* Quamobrem non est inutilis poenae iam *latae* sententia; quia huius effectus non perpenditur a momento *declarati criminis* sed a momento *patrati criminis.* Quapropter iudex, post crimen declaratum, exigit ut delinquens poenae obtemperet. Quo pacto evitatur dubietas ex parte *facti* et *durities* ex parte executionis poenae, quae a iudice executioni demandatur, retroacto effectu poenae ad momentum criminis admissi. Ita consuetudo legem temperavit et interpretata est quoad poenas positivas. Cf. Suarez, *l. cit. L. V cap. 5* et Lugo *De iust. D. 37. 134.*

73. At quaestio gravior est de poenis *negativis mixtis.* Nam de poenis *negativis* qualis est, *inhabilitas, irregularitas,* nec non *censura,* concordant Doctores, et mores populi non contradicunt, has poenas incurri *ipso facto,* ministerio legis seu ante quamcumque sententiam *declaratoriam.* - In iure can. poenae *negativae mixtae* communes sunt et solent infligi *ipso facto incurrendae, et aliquando ante quamcumque iudicis sententiam declaratoriam.* At quaeritur utrum huiusmodi poenae teneant

in foro conscientiae et executioni demandari debeant a delinquente ante iudicis sententiam *declarantem*, crimen fuisse patratum et hinc ipso facto, poenam fuisse commissam, ex imperio legis. - Haec quaestio est maxime practica quia ius positivum quo vivimus, huiusmodi poenas non raro infert. Nam in *Concil. Trid. Sess. 24, cap. 18,* in examinatores Synodales ita decernitur: « Caveantque ne quidquam prorsus occasione huius examinis nec ante nec post accipiant; alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a quo absolvi nequeant nisi dimissis beneficiis quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia, in posterum, inhabiles reddantur ». In eodem Concilio *Sess. 22, c. 11*, contra patronos Ecclesiarum bona usurpantes statuitur. « Quod si eiusdem Ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus, ultra praedictas poenas, *eo ipso* privatus existat ». In celebri vero *Extrav. « Ambitiosae ». Inter Extrav. com. - De rebus Eccl. non alienandis* - adversus beneficiarios Episcopo inferiores, alienantes sui beneficii bona statuitur, ut suis beneficiis - « *ipso facto* privati existant, illaque *absque declaratione aliqua* vacare censeantur etc. ». Haec relata sint exempli causa, nec non quo melius pateat ratio has leges interpretandi.

In primis advertatur, sane iuri canonico integrum esse huiusmodi inferre poenas etsi secumferentes aliquem effectum *positivum;* siquidem poenali lege fas est, adimere titulum vel ius cui adnectuntur bona temporalia vel exercitium aliorum iurium. Qui enim titulo destituitur vel iure, iam obligatione adstringitur ut ab iis abstineat vel ab iis se abdicet illi titulo vel iure adnexis; et planum est.

Veluti cui adimitur titulus beneficii, facultas adimitur peragendi officia beneficii et reditus percipiendi. Cf. Suarez et Soto *l. l. c. c.* et in hoc concordant DD. - Nam statim ac crimen etsi occultum patratum est, poenam meretur. Praeterea hoc convenit iuri can. quippe per poenas, in primis, contendit

coercere et corrigere iniquum propositum delinquentis, unde maior in societate religiosa promanare solet ordinis restauratio, videlicet abs emendatione rei. - Ex adverso civilis societas poenis obtinere nititur, principalius, ordinis socialis externi restaurationem; proinde *latae sententiae* poenas non convenit decernere potestati civili quae, pro scopo, non habet ordinem moralem internum, sed socialem tueri externum ordinem; quare in iure romano nullum habes exemplum harum poenarum, uti notat Soto *l. c*, nisi forsan excipias *l. l. ult. C. ad L. Iul. maiest., et 29 ff. De iure fisci* (1).

In hodiernis codicibus poenalibus apud civiles nationes poenae *ita latae* non inveniuntur; de iure veteri Hispano aliquis casus refertur a Suarez *l. cit. L. 5, c. VII, n. 6*, at moribus, uti videtur, non receptus. - E contra, in iure can. ob intimam connexionem qua iunguntur forum externum et forum internum, uti docuimus, plane huiusmodi leges eius disciplinae accomodatae sunt; quae tamen antiquitus magis efficaces et frequentius in usu fuerunt, quia minus rigorose distinguebatur ratio fori interni a ratione fori externi et in *poenis* maxime exquirebatur effectus *poenitentiae*. - Hodie vero etiam in societate catholica apud nos mores et disciplina effecerunt, ut diversis legibus unum et aliud forum regatur (2). Hisce positis modo explicanda est disciplina hodierna.

(1) Quae leges, maxime haec postrema, non satis aperte innuunt effectum poenae illatae *ipso facto*; sed decernunt poenam ad momentum patrati criminis retrahi, quamvis ille qui hodie convincitur de crimine iam mortuus sit. Hoc expresse iubet lex ult. C. Ad L. Iul.; lex vero 29. De iure fisci ff., dicit « *Eius qui delatorem corrumpit, conditio ea est, ut pro convicto habeatur* », nimirum etsi tenues sunt probationes, applicantur poenae in eum qui delatorem corrumpit.

(2) Proinde iam pridem persentita fuit necessitas coercendi numerum pene infinitum poenarum l. s. uti passim lamentatur Bened. XIV in suis operibus: huic necessitati, quoad censuras l. s. satisfecit const. *Apost. Sedis*.

1) Porro ex receptis moribus et ex communi DD. sententia quam explanat Suarez *l. c. cap. VIII*, poenae *l. s.* editae sub clausula, *ipso facto* incurrendae, quando res est de *poenis negativis mixtis*, exquirunt, ad plenam executionem poenae, sententiam *declaratoriam* criminis; cuius sententiae vis est, poenae effectus retrotrahi ad momentum patrati criminis.

2) Nihilominus certum est, censuras et irregularitates incurri *ipso facto* ante iudicis sententiam *declaratoriam* etsi occulta semper maneant facta criminosa: haec doctrina est certa, non solum quia communis apud Doctores sed maxime quia eidem concinit praxis universalis et constans.

3) Poenas vero leviores, veluti ieiunium, recitationem precum, et alias quae iudicis sententia irrogari non possint vel non expediat, utputa amissionem iuris petendi debitum ex parte coniugis incestuosi, vel irrogari non solent, veluti amissionem iuris sepulturae, quam demortuus aliquando pati debet, huiusmodi poenas, certum est, plenum habere effectum absque sententia iudicis declaratoria: cf. Suarez, *l. c. VI, 11 sq.*

4) Praeterea quoad has poenas *negativas mixtas* adverti debet, Ecclesiam potestatem habere easdem irrogandi et aliquando irrogare sub hac clausula incurrendas, *ipso iure et ante quamcumque iudicis sententiam declaratoriam.* Iamvero quotiescumque haec clausula adiiciatur, quia verba legis otiosa esse non debent, ut probat Suarez *l. cit.* huiusmodi lex censenda est vim habere adimendi ius aut officium, etsi nulla intersit iudicis sententia *declaratoria.* - Sed supponimus huiusmodi legem esse receptam et non derogatam per consuetudinem contrariam quo ad hanc partem, nimirum quoad modum executionis. - Atqui, ait De Lugo, *De Iust. 37, 134 durissima esset et ad nihil aliud quam ad illaqueandas animas* valeret haec lex iubens ipsum reum, ut in se ipsum exequeretur poenas aliquam secumferentes actionem seu effectum physicum passionis, qualis est ademptio rei possessae vel quasi possessae, veluti beneficii aut iuris patronatus.

Exinde moribus lex ita recepta est ut nulla requireretur *poenae* inflictio aut declaratio, sed *criminis* expostularetur comprobatio seu declaratio, uti notat Thesaurus; quamobrem supervacanea, non sunt verba legis quae iubent, nulla declarata poena, crimen tantummodo comprobandum esse. Usu vero receptas non fuisse in omni rigore poenas hac severiore ratione latas, praecipue desumitur ex contrariis Doctorum opinionibus; quare in dubio mitior sententia tenenda est, praecipue in poenalibus. Cf. D'Annibale (I. 309). Hoc principio reflexo resolvuntur quaestiones quae obiiciuntur ex testibus allatis et ex aliis id genus. - Nihilominus difficultatem facit poena lata in examinatores synodales simoniacos. - Sed attenda est specialis ratio sub qua imposita est beneficiorum amissio. His enim imposita est uti conditio dimissio beneficiorum pro obtinenda absolutione a vitio simoniae. Quare ab ipsis satisfaciendum est conditioni amissionis beneficii non directe in poenam sed ad obtinendam absolutionem. Unde non agitur de privatione sed de obligatione ad beneficia dimittenda. Suarez. *l. c. VIII, 13.*

74. Poenae vero pure *negativae* seu inhabilitantes, privantes nempe non iure iam quaesito sed capacitate iuridica ad iura acquirenda, nec non poenae irritantes, tum ex intentione legis, tum ex natura harum poenarum aestimandae sunt suum producere effectum *ipso facto* ante quamcumque iudicis sententiam declaratoriam: pro praxi haec teneantur praecepta D' Annibale *l. c.* « De his quae acquirendi capacitatem adimunt non satis convenit, nam quidam tenent nulla indigere sententia iudicis declaratoria; alii contra putant: mihi prior sententia videtur *verior* (a qua in foro externo vix recedimus aut ne vix quidem): posterior *tuta* in foro conscientiae. Et idem de poenis irritantibus quoque tenendum puto ». Nempe pro foro externo quando iudex sive aestimare debeat effectus harum poenarum sive per sententiam declarare easdem fuisse commissas, intentioni legis inhaereat iudicando poenae effectus a momento crimi-

nis admissi. In foro vero conscientiae, stante legis dubietate, an nimirum requiratur iudicis sententia declaratoria, quis *tuto* eamdem expectare potest antequam se uti poena mulctatum gerat. In quod propositum praeterea animadvertatur :

1) Certum esse in poenis etiam pure negativis, etsi agatur de censuris et irregularitatibus quando crimen est occultum et quis exequens poenam deberet infamiae sese exponere, neminem cogi ad poenam subeundam; quum praevaleat ius naturale praecipiens « *nemo tenetur prodere seipsum* ».

2) In casu vero quo quis revera vel beneficii titulo privatus fuerit vel inhabilis ad beneficia aliquod obtinuerit beneficium et exinde suum officium, nemine contradicente aut scandalum patiente, exercuerit, advertatur tunc acta sanari per suppletam iurisdictionem ab Ecclesia, *ob titulum putativum et errorem communem*, ex celeb. lege - Barbarius - *ff. De Off. Praet.; cf. Thesaur. P. I, c. 28.* Cf. *Vol. I, n. 352.*

3) Demum in conscientia quis *tuto* in his conditionibus versari potest quando crimen non est publicum nec adest scandalum, siquidem *nemo tenetur prodere seipsum;* sibi tamen quis consulere valet recurrendo uti exposuimus, ad S. Poenitentiariam vel pro dispensanda inhabilitate vel pro sanando titulo. Cf. *Vol. II, n. 270.*

§ 2. *De ratione interpretandi leges poenales.*

Summarium. — 75. Principia quae moderantur legum poenalium interpretationem et applicationem. — 76. Quaenam leges dicendae sint favorabiles, quaenam odiosae. — 77. An legi poenali aliquando conveniat vis *retroactiva.* — 78. Quomodo admittenda sit interpretatio *declarativa*, et *restrictiva.* — 79. An *extensiva* admitti possit.

75. Quum iudex quaestiones dirimit criminales, prae oculis haec principia habeat oportet. In primis - *nulla poena sine lege* - ex *l. 19, ff. De verb. obl.;* quare si legis textus expresse

poenam non decernat vel in *dubio iuris,* ex verbis legis ambiguis, poenam inferre iudici non fas est. Cf. Thesaurus, *op. cit. P. I. c. 16.*

In *dubio facti*, nempe si dubitetur an crimen patratum sit et an fuerit consummatum, poena edicenda non est; nam *poena ex dubio delicto non oritur* (1): Suarez. *De cens. L. X. Sect. 6, n. 5.;* et *lex 5, ff. De poen.* monet « *satius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem condemnari* ». Quare iudex quod ad poenas *l. sent.* sive in *dubio iuris,* sive in *dubio facti* non valet edere sententiam *criminis declaratoriam* ad effectum denuntiandi aliquem poenis mulctatum (2). - In poenis *fer. sent.* docet Thesaurus *l. cit.* iudicem non posse infligere poenam *ordinariam;* sed, si casus ferat, et pro sua potestate. poenam *extraordinariam* seu *arbitrariam* feret, quando nempe aliqua subsit culpa coercenda. - Principium est summae aequitatis quae in foro usque praedicatur: *In dubiis pro reo.*

Locus est *dubio facti* quum necessariis adhibitis inquisitionibus, an et quale extiterit factum, declarari non potest. Item non est locus *dubio iuris* nisi postquam explorato sensu legis

(1) Unde regula enunciata in *c. c. 12, 18. De homic.* X (V. 12) vi cuius dubitans an admiserit homicidium perinde se gerere debet ac si irregularitatem contraxisset, quia - *in dubiis semitam eligere debeamus tutiorem – (ex cit. cap. 12),* viget pro hoc casu omnino *taxativo* et *exceptionali* qui nullimode in exemplum trahi potest. - Quare patet absque ulla prorsus ratione, DD. principium invocasse - *in dubiis tutior pars est eligenda* - desumptum ex hisce capitibus ad confingenda systemata moralia et iuridica *tutiorismi.* - Ceterum in casu *individuo* homicidii *dubii*, quod ad irregularitatem, non deest ratio cur invaluerit exceptio; ex homicidio enim etsi dubio, tanta derivat inhonestas et infamia in homine ut arceri debeat a sacris functionibus.

(2) De dubio vel *iuris* vel *facti,* an commissae sint censurae aut irregularitates est quid specialius animadvertendum, quod praestabimus infra in apposito tractatu: cf. *Thesaurus l. c. Resp. II.*

tum ex commentariis interpretum, tum ex regulis communibus interpretationis, dubium perseverat. Regulae communes hae sunt; ex *l. 198, ff. De reg. iur.* « *In poenalibus causis benignius interpretandum est* »; et ex *49 reg. iuris in 6*: « *In poenis est benignior interpretatio facienda* - adeo ut in - *interpretatione legum poenae potius molliendae sint quam exasperandae* » *ex l. 42*, *ff. de poenis.* Et clarius *Reg. Iur. 15, in 6:* « *Odia restringi, favores convenit ampliari* ». Inde, quia mitiores sunt poenae *f. sent. quam l. sent.*, in dubio tenendum est non *l.* sed *f. s.* esse.

76. Quae principia expostulant, ut aliam veluti praeiudicialem solvamus quaestionem; nimirum an leges poenales omnes dicendae sint *odiosae,* quum plures aliae leges sint *favorabiles.* - Ratio obstare videtur, quominus leges poenales dicamus *odiosas* quippe quae consulunt bono reipublicae et singulorum civium. - Ex adverso omnes leges viderentur dicendae esse odiosae cum coerceant libertatem. - Suarez, *De legibus V*, *cap. II*, fuse disserit de hac quaestione et profunde pro more suo; sed nimiis interiectis distinctionibus et subdistinctionibus et rationibus dubitandi quae magnopere implicant ipsam Doctoris sententiam. Haec plenissime probanda est, quod ad rem nostram, quum asserit poenas dicendas esse favorabiles vel odiosas ex intrinseca ipsarum *materia;* et concludit *l. c. n. 10.* « Plures numerari solent modi aut quasi species legum odiosarum; tres autem vel quatuor videntur esse praecipuae; videlicet; *lex poenalis, lex tributum aut onus imponens*, *lex irritans* factum quod prohibet vel directe vel indirecte, seu consequenter lex exorbitans a iure antiquo, vel a communi iure aut illi derogans vel limitans vel corrigens illud et a fortiori lex posterior priorem abrogans... aliae vero leges omnes quae huiusmodi non sunt, inter favorabiles computantur ». Legem poenalem dicendam esse odiosam, probatur ex ratione poenae quae *malùm* est, quamvis ordinata ad *bonum* sociale. Unde *materia intrinseca* legis poenalis est

quid odiosum, quippe, in primis, infert alicuius boni privationem; *odia vero oportet restringi*, clamat, ipsa ratio naturalis. - Verum poenae etsi severiores (1) ordinantur *in bonum* societatis, quocirca si legislator dicat certam legem poenalem frui *favore iuris*, hoc decretum non est alienum a natura legis poenalis et hinc in foro applicanda est huiusmodi lex quasi favorabilis nempe ob *bonum* universae societatis; prouti ex consuetudine et maxime ex communi DD. interpretatione factum est *de excommunicatione Canonis;* tunc in poenalibus etiam latior admittitur interpretatio.

Ex regula communi D'Annibale (I, 304, not. 5) haec deducit: « Itaque poenae v. g. statutae adversus simoniacos, vel bigamos, coercendae sunt ad reos simoniae iuris divini, et ad bigamos veros. Interdicta *parochia*, parochiam accipere debemus ecclesiam parochialem, non territorium. Suspensionibus *in male ordinatos* non subiacent Episcopi, quippe non ordinari sed *consecrari* dicuntur: et censura qua ex *C. I. De sent. et re iud.* irretitur is qui exercet ordinem (sacrum), non tenet qui illum exercet in ipsa ordinis susceptione, quia exercitium huiusmodi quasi pars ordinationis intelligitur ».

77. Aliquam facessunt difficultatem postrema verba relati textus Suarez; nempe est odiosa « *lex exorbitans a iure antiquo vel a communi iure aut illi derogans, vel limitans aut corrigens illud et a fortiori lex posterior priorem abrogans* ». Et haec verba plura miscent neque satis sunt perspicua. Ad rem nostram potior quaestio haec est: si lex exorbitans a iure communi poenali sit mitior vetere lege; si lex derogans aut abrogans, respective, derogatâ vel abrogatâ sit mitior, debentne istae haberi uti *odiosae* et strictae interpretationis, in dubio an poenam

(1) Huc pertinet doctrina explicata a Suarez, *l. cit. n. 6;* qua probat legem poenalem semper, sub certo aspectu, haberi favorabilem; et aliquando, ex adiunctis, habendam esse magis *favorabilem* quam *odiosam.*

relaxent vel mitigent? Utputa, ius Decretalium vel ius Tridentinum, quamdam decernebant poenam usque ad nostros dies vigentem quam relaxavit Const. *Apost. Sedis* vel recens Const. *Officiorum;* si aliquod exoriatur dubium, arbitror benigne interpretandam esse posteriorem legem adeo ut deroget vel abroget veterem etsi severiorem. Veluti si posterior lex statuat poenam *f. s.* intelligitur abrogata vetus lex quae de eodem delicto statuebat aliam poenam, ut ecce poenam *l. s.*, quia nimis grave est *aliquem ob idem crimen pluribus legibus reum fieri; l. 14 ff. De accusat.*; et *cap. 4*, § *1 De iudiciis.* X (II. 1). Sed loquimur de legibus quae ab eadem potestate promanant, quia secus lex iuris communis cumulatur cum lege poenali iuris particularis. Cf. *Thesaurus, P. I. c. XII.* - Ad haec, si quis crimen patravit quando nondum publicata erat posterior lex; et poena ei debeat infligi, nova lege iam evulgata mitiore, poena mitior applicanda esset (1). Ex adverso, si severior sit recens lex, applicanda est mitior antiqua; *odia enim convenit restringi.* Non secus si mutetur lex *praescriptionis,* brevius exquirens tempus ad rescindendam actionem poenalem vel actionem iudicati seu poenam ipsam, delinquens tempore veteris legis iure merito sibi invocat benigniorem legem praescriptionis. - Hoc sensu lex poenalis habet *vim retroactivam,* quod est singulare in hisce legibus. (Cf. Carrara, § 756 seq.).

78. Modus vero *legitimus* quo odia restringuntur, habetur in ratione faciendi interpretationem. Nam si opus sit interpretatione *declarativa,* verba legis *stricte* intelliguntur ideoque quan-

(1) Exinde *suspensio* quae *cap. ult.* § *ult. De claud. desp.* ferenda est in parochum qui interfuit mat. clandestino, et *excom. l. s. - Clem. I. De privil.* - adversus Regulares comminata, censenda est sublata a Concil. Trid. *Sess. 24, De ref. mat. cap. 1,* quum iusserit, Parochos et Regulares taliter delinquentes, compescendos esse arbitrio Ordinarii. Suarez, *De cens. XII, 4, 13.* Exinde in poenalibus urgenda non est regula: *leges posteriores ad priores trahendae sunt - ex l. 26, De legibus.*

tum patitur proprietas verborum, ad strictiorem sensum redigantur. - *Extensiva* vero interpretatio in poenalibus seu in odiosis non admittitur (1), unde valet principium : *poenae non excedunt proprium casum*. Quare probanda non est sententia Reiffenstuel, *in tit. 2, Lib. I, n. 429*, neque Suarez, *De legibus VI. 4* qui aiunt ob *identitatem rationis* fieri locum extensioni legis poenalis. Verum Suarez loquitur de *extensione comprehensiva* ex identitate rationis; sed porro haec loquendi ratio, etsi veritatem comprehendat ex intentione Doctoris, est vehementer incongrua quia *extensio comprehensiva* vix intelligi potest. Etenim in *comprehensis* seu in *contentis*, ut loquuntur, nulla fit extensio, sed simplex declaratio quia - *in toto partem non est dubium contineri* - *ex reg. 80, Iur. in 6.* - Et sane *ratio legis est anima legis*, ait Reiffenstuel, nihilominus *ratio legis non est lex* (2); « *imo* (ait Suarez, *l. c. cap. 5, n. 5*) *nec proxima virtus legis, sed haec est voluntas legislatoris* ».

79. Demum est locus *restrictivae interpretationi*, ad evitandam iniustitiam seu iniquitatem, vel absurditatem in ipsa lege. Nimirum quando, uti loquuntur scholae, ratio legis satis

(1) Nam in favorabilibus datur interpretatio extensiva in *aequiperatis*, in *correlativis*, in *contentis*. Suarez, *De cens. II, 5, 2.*

(2) Revera irregularitati et denunciationi sunt obnoxii Sacerdotes, ad *turpia* sollicitantes, quia *pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro medicina venenum porrigunt* (Ben. XIV, *Sacram. Poenit.*), sed istis poenis non subiacent sollecitantes ad furta, ad mendacia, ad simoniam et planum est. Non possumus enim divinare mentem legislatorum aliquando reconditam, quare crimina non semel plectuntur non quia sunt *graviora*, sed quia *perniciosiora* vel *frequentiora*; et legislator quod voluit expressit quod noluit tacuit. Sed expressa censeri debent quae nisi comprehendantur sequeretur absurdum vel iniustitia; ita quum haereticus fiat irregularis, nemo dicet effugere irregularitatem apostatam; et peridicula erat impertretatio quae excommunicationem olim latam *in Clem. I, De Sepul.* adversus sepelientes excommunicatos aliosque publicos peccatores in loco sacro, restringebat ad solos vespillones. Suarez, *De cens. 35, 4, 16.*

cessat, non tantum *negative* sed *contrarie*, lex vim, in illo casu, habere non potest. Ratio enim legis non est lex, et lex viget quamvis amplius non videatur respondere rationi quae movit legislatorem; sed quotiescumque ex legis observantia malum sequatur, ratio legis cessat *ex ratione contrariorum;* quia legislator malum intendere non poterat, quaecumque fuerit ratio quae legislatori legem iubere persuasit; et planum est.

Praeterea aliquando fit restrictio ex *subiecta materia,* vel per comparationem *ad aliam legem.* - De restrictione ex *subiecta materia* exemplum praebuit lex *adigere* ff. *De iure pat.* ubi prohibetur patronus quominus libertum iureiurando cogat ne uxorem ducat; et nihilominus dicitur inferius, non peccaturum eum qui tale iuramentum exigeret a liberto *eunucho.* Hic enim filios procreare non valet. - Ex *comparatione* ad aliam legem, fit restrictio vel ex aliqua generali regula iuris; vel ex lege expressa. - 1) Ex regula iuris; utputa *ex reg. 81 Iur. in 6 « In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset in specie verosimiliter concessurus ».* Unde statuere possumus, in *generali* prohibîtione, vel praecepto non venire ea quae Princeps non esset *in specie* prohibiturus vel praecepturus. Ipse princeps non semel exprimit in lege aliquam restrictionem; unde 2) ex lege expressa aliquando fiunt restrictiones, veluti ex lege *cap. 4 De s. excomm. in 6* (V, 11) qua edictum fuit, *Episcopos et alios Superiores Praelatos non comprehendi in lege ferente censuras* (1) *nisi nominatim exprimantur.* - Nemo non videt facile esse cognoscere legis restrictiones inductas ex lege expressa in comparationem ad *aliam legem;* (Suarez, *l. c.* 7), sed esse difficile et periculosum cognoscere ex comparatione cum quadam generali regula iuris.

(1) In dicto capite expresse fit mentio de censura *suspensionis* et *interdicti;* et nos suo loco docebimus, Pontificis decretum nullimode se referre ad censuram *excommunicationis.*

TITULUS III.

DE CENSURIS.

Huc referat. tit. 39, X, lib. V. tit. 11. in 6, lib. V. In Clem. tit. 10.

Summarium. — 80. Antiquiore iure nomen *censurae* omnigenas poenas comprehendit. Iure novo comprehendit *excommunicationem, suspensionem, interdictum.* — 81. Ratio *censurarum* apprime congruit disciplinae eccles.; sed nomen ipsumque institutum derivatur a moribus Romanorum. — 82. Quomodo factum sit, ut antiquiore disciplina qualiscumque poena in aliquali *excommunicatione* consisteret. — 83. Explicatur ius novum. — 84. Distinctio inter censuratos *vitandos* et *toleratos* inducta a Martino V. — 85. A quibus abstinere debeat censuratus et quaenam valide ponere sit capax. — 86. Quomodo censura sortiatur executionem et an suspendatur, saltem *per appellationem.* Exinde explicatur necessitas *monitionis canonicae.* Suspensio et interdictum si iam sint incursa, suspendi valent decreto iudicis, non vero excommunicatio. — 87. De censura, vel *iusta,* vel *iniusta, irrita* et *invalida.* 88. De effectibus censurae nullae in foro *interno,* sed validae in foro *externo.* De censura sub conditione lata (*remissive*). — 89. An et quomodo prohibitio quae per *censuram* ferri solet, ferri valeat quasi poena non *medicinalis* sed *vindicativa.*

80. Iure Decretalium nempe iure novo systema poenale ecclesiasticum novam nactum est formam, aeque accommodatam magis evolutae constitutioni societatis religiosae; quare coepit *iuridice,* et *doctrinaliter* melius definiri et distingui omnis poenarum species, et natura. Et hoc factum est etiam opera Commentatorum et iurisprudentiae forensis, nec non studio Doctorum Scholasticorum. - Hoc iam innuimus, explicantes distinctionem serius inductam *iuridice* et *doctrinaliter* circa rationem fori interni et externi. Inde accidit ut termini dein usurpati

in foro et scholis, veluti taxativa distinctio utriusque fori, in fontibus *iuris novi* non reperiantur; sed apud Doctores primo adinveniantur. Item in Decretalibus non fit expressa distinctio diversorum poenarum generum sed passim nomine *censurae* comprehenduntur diversae poenae; sed ea aetate, magis in dies perficiebantur notiones iuridicae. Revera Innocentius III qui anno 1200 *in c. 13* - X *De iudiciis* - (II, 1) nomen *censurae* assumpserat pro quacumque poena, idem Pont. vim censurae expressius distinxit *in cap. 20, De Verb. signif. (anno 1214),* ita respondens, sciscitanti *censurae* Ecclesiasticae valorem « *Quaerenti quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi cum huiusmodi clausulam in nostris litteris apponimus, respondemus quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi, ut iudex discretus rerum et personarum circumstantiis indagatis, ferat quam magis viderit expedire* ». At responsio Pontificis non aperte innuit quomodo *censurae* distinguantur a *poenis*, et morem exprimit antiquae disciplinae. Ab hodierna enim disciplina est omnino alienum quod alicui comminemur censurae *poenam* indiscriminatim, sed sedulo distincta decernuntur aut *suspensio*, aut *interdictum*, aut *excommunicatio,* quippe censura habetur uti genus abstractum et in usu veniunt tantum tres species censurarum quas innuit Innocentius III, *in cit. cap.*

81. At nos, antequam de speciebus disseramus, aliquid in genere innuendum est. Si rem a sua origine repetamus, comperimus, nomen censurae et indolem Ecclesiam mutuatam esse a Romana Republica cuius in gremio quamvis atrocibus exagitata insectationibus adoleverit, nihilo secius eius iuridicam prudentiam non erubuit imitari, uti Lucius III fatetur *cap. I. De nov. op. nunc.* X (V, 32). Apud Romanos, Censores constituti erant qui publica auctoritate mores civium exprobrabant et inurebant *notam ignominiae;* et praeterea nobiles viros equites et senatores, e *suo gradu* deicebant si forte aliquid admisis-

sent gravioris reprehensionis dignum. *Cf. Cic. De Leg. III, 3, 7,* et pro Cluent. *42; Liv. IV, 8, 2* (1).

Hoc institutum, iam a prima aetate, examussim quadrare visum est in constitutionem Ecclesiae quae sedulo sua sociali externa auctoritate curam gerit de singulis fidelibus, et reorum satagit obtinere emendationem. Ecclesia suum fecit systema *censurae* seu sollicitae animadversionis in delinquentes ut resipiscerent. (2). In pervicaces censurae contemptores, ne sua impietate ordinem socialem penitus perverterent, animadvertit eos eiciendo a fidelium communione et a iurium religiosae societatis partecipatione. In hoc etiam secuta est sapientiam romanam. Re quidem vera Romani in tantam gloriam devenerunt vigilanter custodientes ut iura Romanae civitatis tantum iis communicarentur qui opera, probitate, ingenio patriam iuvare poterant. Unde pauci sed probi gloriabantur romana civitate; reliquos, Romani vel in servitutem redigebant, vel sibi adiungebant aliquo iure coloniario, uti Latinos vel alio foedere uti pere-

(1) Censores instituti sunt a. 311 Reipublicae, et praeerant potissimum *censui* populi *conficiendo:* hinc dicti Censores et exinde de ordinibus civium curam habuerunt ne dignitas ordinis vel coetus indignis moribus dehonestaretur et exercebant *iudicium,* seu *animadversionem,* seu *arbitrium de moribus.* Cf. Cic. *De Rep. IV, 6.* Etiam in Ecclesia fideles cum aliis communionem habentes, in quemdam censum adscribebantur; quorum nomina legebantur in publicis conventibus, et illi expungebantur ab huiusmodi censu qui excommunicabantur. Libri census dicebantur *diptici* seu *canones* et recensebantur fideles tum vivi tum demortui in osculo Christi.-Canones qui adhuc in Missa supersunt, sunt huius disciplinae vestigium. Cf. Sermondi Iacobi egregium opus *Historia poenit. publicae. Venetiis 1728,* et Duchesne *Origine du culte chrétien* - chap. xv.

(2) Historici referunt, rempublicam Venetorum pressius inhaesisse vestigiis Romanorum in suis primordiis maxime per constitutam et rigorose exercitam *publicam censuram;* et Macchiavelli *Discorsi - Tito Livio - lib. 1.* et alii, veluti Sayrus *Thes. I. 1. 2,* exinde repetunt in primis, Venetae Reipublicae fortunam, et gloriae imperiique magnitudinem.

grinos dediticios: cf. Gellium, *Lib. I, 13. Lib. III, 56.* Ita Ecclesia doctrinis Apostolorum et experientia edocta, enixius contendit ut, a suo exordio, Ipsa maxime morum integritate et sanctitate eniteret, et late splendesceret ad sibi infidelium animos conciliandos. Quapropter sollicita admodum fuit ne Christiano nomine quis gloriaretur, neque communione iurium Christianorum quis frueretur nisi bonis moribus et bona fama praestaret. Proinde remedia coercitiva quibus mali fideles plectebantur, comprehensa sunt in *excommunicatione;* non secus ac maxima fuit sollicitudo in admittendis novis fidelibus qui nonnisi praemisso longo probationis experimento inter fideles seu in fidelium communionem admittebantur (1). Hoc modo excommunicatio habita est veluti *genus* omnium poenarum quae variae fuerunt in suis *speciebus;* quippe tot concepti sunt excommunicationis modi quot communionis christianae considerati sunt gradus, tum quoad participationem sacramentorum et sacramentalium tum quoad administrationem sacramentorum sacrorumque officiorum.

82. Hanc partem Ecclesiasticae disciplinae scite et docte ita evolvit Cl. Berardi, *Com. in Ius. Ecc. V. II. P. II, dis. 3, cap. 5,* aiens, *circa medium.* « Iura omnia quae sunt in Ecclesia dicuntur concessa iis qui sunt in communione, singulorum gradui et conditioni competente. Multiplex autem communio est, alia *laica*, alia *clericalis*, alia *peregrina*, (seu *civilis*); item clericalis in tot species distinguitur quot sunt ordines et gradus clericorum;

(1) Catechumenatus ordinario *ad duos annos* protrahebatur; seu dummodo probatis moribus praestaret Catechumenus. Catechumeni in tres classes dividebantur; seu *auditores* dicebantur ii qui in rebus fidei praeambulis erudiebantur, pro quibus librum exaravit D. Augustinus - *De Catechizandis rudibus;* - sed isti sacris mysteriis nullam partem habere poterant. *Prostrati* erant qui nonnullis precibus liturgicis intererant; sed non sacris mysteriis, quibus iam incipientibus fiebat *Missa Catechumenorum,* nempe hi dimittebantur. Proximiores baptismati qui *consistentes* aut *competentes* dicebantur, erudiebantur etiam in mysteriis fidei, quae ipsis adhuc celata fuerant *ob disciplinam arcani.* Cf. Duchesne, *op. cit.*

et communio laica olim distinguebatur in tot species quot erant stationes laicorum in Ecclesia, idest *expiatorum* et *poenitentium*, qui iterum dividebantur in *consistentes, substratos, audientes*, ac *flentes* sive *lugentes*. Item et sunt et erant quaedam bona universis communia, uti preces, sacramentorum susceptio, praesentia ad Sacrificium, conventus, sepultura: alia et sunt et erant singularia Episcopis.... Quicumque igitur apud veteres aut ab omnibus hisce iuribus, aut ab uno tantum, vel a pluribus repellebatur, generali vocabulo *excommunicatus* dicebatur. quasi positus extra illam communionem quae suo gradui competebat, sive integram amisisset, sive tantum partem illius ». Inde patet, praesertim in veteribus documentis excommunicationem et alia vocabula his similia, non semper exprimere censuram et certam speciem censurae sed aliquando *censuram*, aliquando *poenam*, et non semel *poenitentiam*.

83. Nunc *excommunicatio* distinguitur non modo a *poenis* proprie dictis sed etiam a duabus aliis censurae speciebus, nempe a *suspensione* et *interdicto*. Siquidem excommunicatio proprie dicta eicit foras a communione fidelium, quatenus hi societatem constituunt sub Ecclesiae potestate, et hinc per consequens prohibet ab omnibus bonis dispensationis *internae* et *externae* Ecclesiae concessis, seu non solum arcet ab usu sacramentorum, sacramentalium, et prohibet ab exercitio ecclesiasticorum officiorum, a partecipatione functionum sacrarum aliorumque iurium et privilegiorum, quamobrem excommunicatus est inhabilis gratiis Pontificiis obtinendis (quocirca in rescriptis addi solet absolutio a censuris); sed etiam repellit ab *externa* communione *Sanctorum* seu a participatione fructuum, et expiationum ex Sacrificio Missae, ex publicis Ecclesiae precibus, ex Indulgentiis; haec enim omnia a Ch. D. concessa sunt Ecclesiae admninistrationi. - Verum excommunicatio non potest nos privare *interna* communione SANCTORUM innixa Baptismati quo facti sumus membra capitis Christi, unde characterem gerimus indelebilem et

virtutes habemus infusas ex fonte baptismali; et excommunicatus sive per sacramenta sive extra sacramenta gratiam Christi sanctificantem acquirere valet aliaque charismata (1). E concra *suspensio*, relinquens communionem christianam, interdicit tantum *clericos* et *directe* vel a nonnullis iuribus vel ab omnibus status clericalis; *interdictum* vero removet fideles, indiscriminatim, sive *clericos* sive *laicos* a partecipatione quorumdam bonorum ecclesiasticorum. Proinde differentia est essentialis inter excommunicationem et alias censuras, cum excommunicatio abscindat fidelem a communione aliorum et hinc privet omnibus huius communionis iuribus *active* et *passive*; suspensio et interdictum non eiciunt foras a communione sed directe tantum. prohibent ab usu quorumdam bonorum. *Suspensio* vero prohibet ab usu *activo* rerum sacrarum; nempe prohibet qua *ministros*; *interdictum* ab usu passivo prohibet, seu qua, *participes*.

Excommunicatio quae ab *omnibus* arcet *active* et *passive*, aliis censuris est longe gravior; et est quarumcumque poenarum gravissima. Verum iam antiquiore disciplina habebantur *minores* seu *partiales excommunicationes* et erant diversi gradus poenitentium (2). Iure novo conservata est *minor excom-*

(1) Pro excommunicato *(vit.)* sub gravi, prohibetur *publicas* haberi preces, sed non vetantur preces quae a fideli privatim habeantur pro excommunicato ut resipiscat. Item excommunicatus arcetur a sacramentis, sed si petat sacramentum poenitentiae ut Deo et Ecclesiae reconcilietur non respuitur, sed praemissa absolutione a censura per competentem sacerdotem impertienda, postea absolvitur a peccatis.

(2) Quatuor erant poenitentium gradus, et primus erat *flentium*, qui induti habitibus poenitentiae ante fores Ecclesiae morabantur, implorantes fidelium preces in Ecclesiam ingredientium. Secundus erat *audientium* qui admittebantur in parte Ecclesiae inferiore dicta *nartece* et admittebantur tantum ad audiendas omelias et lectiones S. Scrip.: inde *audientes* dicti. Cum fiebat *Missa Cathecumenorum* seu quum hi dimittebantur, etiam isti exire iubebantur. Plures annos, poenitentes inter *audientes* morari debebant, postea admittebantur inter *substratos*. Hi, missis *audientibus*, posterneban-

municatio quae prohibet tantum a sacris functionibus et a Sacramentis; et ista contrahitur ob crimen habitae communicationis cum excommunicato; *arg. can. 24, caus. XI, q. 3, cap. 2, De except., X,* (II. 25), *cap. 10. De cler. excom. X* (V. 39).

84. Antiquitus seu ante Const. « *Ad evitanda* » Martini V omnes censurati, qui uti censura notati a populo certe cognoscebantur sive *de facto* sive ex *sententia iudicis*, erant *vitandi*. Censura enim, seu remotio *poenalis* a partecipatione alicuius boni, vel omnium bonorum cuiusdam societatis est quid *relativum;* nimirum tenet per se tum illum qui removetur tum alios qui cum illo in utendo certo iure partem haberent. Unde quisque fidelis cum excommunicato nullam omnino communionem habere poterat. - A clerico suspenso autem recipi nullimode poterant vel sacramenta vel aliarum rerum dispensationes a quibus, respective, ille fuerat prohibitus. - Demum quisque fidelis interdictus, sive laicus sive clericus, ab his abstinere debet a quibus expresse arcetur per censuram interdicti. Suspensus enim et interdictus, *quatenus sunt vitandi,* ita sunt prohibiti *respective* ab usu *activo* aut *passivo* aliquorum iurium, ut hisce censuratis nullam operam dare possint fideles ad usum obtinendum iurium prohibitorum; siquidem censerentur violationi legis cooperari. Quocirca dumtaxat excommunicatio est perfecta abscissio a societate fidelium;

tur proni et vicissim genuflectebant, dum Episcopus et fideles super ipsos preces fundebant. Dein ab Ecclesia mittebantur, et remanebat ultimus gradus poenitentium seu *consistentium* qui stantes intererant omnibus sacris mysteriis, sed arcebantur a *communione* SSmae Eucharistiae et ab oblationibus. Antiquiores Basilicae appositis constabant partibus ut locus fieret gradibus *poenitentium* et *catechumenorum*. Cf. Sirmondi *Historia poenit. pub. Opp. Tom. IV.* Venetiis, 1728. Armellini, *Le chiese di Roma.* - Nihilominus eruditi probant, uti Duchesne, *Origines du culte Chrétien Cap. XV,* hanc disciplinam de certis quatuor gradibus poenitentium tantum in Eccles. Orientali obtinuisse, neque ubicubi. In Ecclesia Latina poenitentia publica frequentata diu fuit, sed minori severitate.

quum suspensio et interdictum non arceant a communione, sed ab exercitio vel totius ministerii sacerdotalis, vel alicuius partis; aut a partecipatione et usu huiusmodi bonorum. Quamobrem excommunicatio secumtulit pene exilium ab ipso consortio fidelium etiam *in humanis*, quia in homine, societatem quod spectat, scindi non potest conditio hominis a qualitate christiani: at hic censurarum usus non semper publicis moribus receptus fuit; et, progressu aetatum, non amplius respondit populorum (1) ingenio.

Quare Const. « *Ad evitanda* » Martini V effecti sunt vitandi tantum ii qui censura essent notati *ex sententia lata nominatim ac denunciata specialiter et expresse.* - *Lata* autem dicitur sententia quando a iudice competente fertur servatis regulis procedurae: et plectit aliquem vel sub eius nomine vel alia aequipollenti demostratione significatum, seu *nominatim*; *denunciatur* vero quum in loco publico editur sententia eo consilio ut omnes taliter censuratum *evitent.* Quocirca quousque haec sententia non est *lata* et *denunciata* vel in locis in quibus ignoratur, quis non censetur censuratus *vitandus* quamvis sit notorius. Ceteri omnes, qui huiusmodi sententia non denunciantur, censurati sunt *tolerati.* Sed Martinus V sollicite cavit, se exinde censuratos *nolle in aliquo relaxari nec eis quomodolibet suffragari.* Quocirca ex hac Const. censurati *tolerati* nullum ius adepti sunt, sed fidelibus facta est facultas utendi communione, opera vel ministerio censuratorum etiam *in divinis*, veluti petendo sacramenta vel in ceteris eos habendo quasi non censuratos. Exinde tolerati nullum ius habent utendi bonis

(1) Inde, per se, seu remoto scandalo, non est prohibitum audire Missam Sacerdotis *suspensi vitandi*; sed nefas est ei Missam inservire; quia *a communione* Sacerdotis suspensi non arcemur. Excommunicatio, quippe arcet a communione etiam *in humanis*, parit effectus *exilii*; et hoc recognovit ius publicum civile, etiam tempore Conc. Trid., *arg. cap. 19 de ref. sess. 25.*

spiritualibus sed solummodo fideles eorum communione vel opera uti, vel ipsis inservire possunt; ex. gr. a censuratis possunt peti sacramenta, etiam nulla ex necessitate vel utilitate. Verum quia *censurae* sunt poenae *medicinales*, etiam excommunicatis vitandis non prohibetur usus sacramenti *poenitentiae*, et sacri Viatici in articulo mortis.

85. Quia *vitandis* censuratis omnino prohibetur usus quorumdam iurium quae exercere, respective, isti non possunt nec in aliorum fidelium utilitatem, dempto casu gravissimae necessitatis, cum ab iis omnibus prohibeantur quae subsunt *externae* administrationi Ecclesiae, sequitur:

1) Ipsos tamen valide ea ponere quae ex sacramentali *charactere* consistunt, seu valide recipere et administrare sacramenta.

2) Invalide autem ponere *actus iurisdictionis* ecclesiasticae, quos valide *tolerati* exercent.

3) Ea quae sunt naturalis iuris certe *a vitandis* valide fiunt. Ea quae *civilis iuris*, hodie etiam valide fiunt; quandoquidem civilis auctoritas censuratis hodie non aufert iuridicam capacitatem actuum et munerum civilium; quod olim fiebat; quamobrem excommunicati testamentum condere non valebant et alia id genus civibus competentia.

86. Ex dictis patet, censuras esse poenas vel pure *negativas* vel *negativas mixtas*, at semper incurri *ipso facto*, etiam ante iudicis sententiam *declaratoriam*, quando sint *latae sententiae*.

Quatenus censura est *poena medicinalis* nonnulla habet propria, iuxta decretum *cap. 1, De sententia excom. in 6* (II, 11), nempe « *Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerat, non contemnat, caute provideat iudex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit et medentis* ». Bonifacius VIII in *cap. 13, eiusdem*

tit. in 6, ait, in genere, quae de excommunicatione statuta fuerunt, intelligi edicta fuisse etiam de *suspensione* et *interdicto.*

Iamvero 1) censura est *gravis poena,* decernenda in graviora crimina seu cum subsit culpa letalis (1); at censura cum sit *medicinalis* non *privat* bonis sed tantum *usu* bonorum;

2) praeterea privat *usu* non in perpetuum sed in tempus indeterminatum, donec censuratus resipuerit, seu quousque a spirituali morbo convaluerit, et excommunicatio, aliis censuris longe gravior, *ad tempus* ferri nullimode potest; *suspensio* et *interdictum* aliquando feruntur *in tempus determinatum*, sed tunc sunt *poenae proprie dictae.*

3) Quia quaeque censura est poena gravior sed *medicinalis,* speciali sollicitudine applicatur criminosis qui non censurantur nisi antea constet ipsos *contempsisse* censuram seu laesisse legem vel praeceptum, nihili facientes comminatam censuram: contemni autem non potest nisi quod cognoscitur; unde a contemptu censurae, criminosi censura puniendi, dicuntur *contumaces.*

4) Quaerunt DD., uti videre est apud Suarez, *De cens. III, 8, 4,* an plecti valeat censuris *ab homine* crimen iam patratum; et ratio dubitandi est, quia videtur non posse dici *contumax* ille qui *contemnere* non valuit censuram quae non fuerat lata (nempe a *iure* vel ab *homine*) tempore patrati criminis. Nihilominus vera sententia est quae distinguit inter crimen *continuum* seu habens *tractum successivum;* et crimen omnino *transactum* seu nullimode *continuum.* Nam crimen omnino

(1) Notat Suarez IV, 4, 2, censuram *leviorem* seu quae prohibet ab usu iuris non gravioris momenti posse infligi etiam ob culpam *venialem.* Haec conclusio non videtur falsa, sed casus sane non est *practicus*, saltem quoad hodiernas conditiones societatis christianae, in qua *censurae* a publica auctoritate *caute* imponi debent et ob *graves* culpas. Quare non videretur probanda agendi ratio Episcopi qui, ob non gravem culpam, clericum *suspensione* mulctaret.

transactum veluti blasphemia vel adulterium, censuris non plectuntur *ab homine* quum delinquens in iis patrandis censuram contemnere non potuerit quippe nondum latam. Crimen vero *continuum* veluti concubinatus vel furtum rei ecclesiasticae subiici potest censuris *ab homine* quae incurruntur utputa a concubinario, a fure nisi intra certum tempus, respective, cessent a malo habitu, vel a detentione rei alienae. Cf. Suarez, *l. cit.* n. 6.

5) Talis cognitio censurae, ad constituendos contumaces inducitur per *canonicam monitionem* censurae, quae monitio, quasi *in ius citatio* est edita vel *a iure* vel *ab homine*, siquidem decretum censurae incurrendae denunciatur vel ex *ipso ministerio* legis, vel a *iudice*.

6) Inquam *« a iure vel ab homine »*; nam *a iure* seu ex officio legis fidelis monetur quando constituitur et promulgatur aliqua lex sub poena *latae sententiae* in transgressores; tunc *lex interpellat pro homine*, iuxta adagium. - Duobus casibus habetur monitio *ab homine* nempe *a iudice*, sc. *a)* quando aliquid praecipitur vel fieri prohibetur sub poena censurae *ferendae sententiae*, quam iudex, antequam eam exequatur, revocat in mentem illius qui vult a delinquendo deterreri, vel removeri a delicto *continuo*, salutari poenae terrore. Tunc iudex non ipse edit legem, sed applicat, praemonens transgressorem ut a contumacia abstineat; *b)* quando censura *fer. sent.* est *ab homine*, seu a *iudice* qui sua auctoritate aliquid fieri iubet aut fieri vetat, comminata censura *infligenda* in contemnentem huiusmodi decretum. Quamobrem iudex monet ne punire cogatur, tum in uno tum in altero casu.

7) Verum DD. inquirunt an in censuris *l. s.* sufficiat illa generalis iuris *monitio* quae in ipsa lege continetur aliquid edicente sub poena censurae *ipso facto* incurrendae. Siquidem ad incurrendam censuram non sufficit cognoscere legem aliquid iubentem, sed necesse est scire expresse censurae commina-

tionem in transgressores; secus non intelligitur *contumacia*, cfr. *D'Annibale P. I. n. 329, not. 27.* - Cui quaestioni ut plene satisfiat haec advertantur. Cum primis certum est, in censuris *l. s.* ipsam legem interpellare seu *monere*, adeo ut, ipso crimine admisso, transgressor qui censuram cognoscens huiusmodi legem violaverit, statim censura innodetur. - Verum quia istas leges accidit ignorari, hinc nihil prohibet quo minus superior subditum vel subditos in periculo versantes violandi huiusmodi legem poenalem moneat de sententia iam lata, quam incurrent *ipso facto*, crimine consummato. Tamen etiamsi monitio praecesserit, ad constituendum nempe transgressorem contumacem, nihilo secius censurae *l. s.* non irrogantur *ab homine;* sed *a iure.* Quod sedulo adverti debet, ut recte discriminetur *officium* iudicis in censuris *l. s.* et in aliis *f. s.* - Nam in censuris *f. s.*, seu applicandis *abs iudice*, ipse iudex has *irrogat* sua auctoritate; e contra in censuris *l. s.*, iudex aut monet ne incurrantur, nempe crimine nondum admisso; aut *declarat* iam incursas esse, crimine admisso. Quando ipse iudex irrogat censuras, dicitur proferre sententiam *condemnatoriam;* quando declarat censuras iam incursas fuisse, sententiam edit *declaratoriam.*

8) Quamvis sententia *declaratoria* solummodo *declaret* seu dicat quid factum sit, tamen non est supervacanea. *Primo* quia huiusmodi censura incurritur etiam per facta occulta vel fere occulta quae si postea deveniant ad publicam notitiam, non censenda sunt ordinario sufficienter probata nisi iudex per sententiam declarat, ea revera patrata fuisse. Censura enim secumferens effectus iuridicos tam graves constare debet coram societate per media iuridica, excepto casu *notorietatis;* nam *in notoriis nulla probatio. Secundo* quia censurae non incurruntur, nisi et contumacia et alia requisita extiterint necessaria censurae subeundae. Proinde ad praecavendas dubietates et anxietates tum in censurato tum in aliis fidelibus, bonum est

per diligentem iudicialem inquisitionem declarare, in facto, ea omnia adiuncta habita fuisse quibus efficitur, *censuram incursam* reapse fuisse. En vis et intentio *declaratoriae* sententiae, quae proinde supponit processum iudicialem eo ordinatum ut appareat censuram fuisse commissam; quem processum, data opera, suo loco explicabimus in parte *speciali*.

9) Censura quae est poena *negativa*, ex *positiva* legis *voluntate* statim ac irrogatur incurritur, absque ullo ministerio executionis; edicitur enim in *cap. 53 « De appellationibus »* X (II, 28) « .... *cum executionem excommunicatio secum trahat* .... ». Inquam, *statim ac irrogatur*, quocirca si censura est *latae sententiae*, nempe vel *a iure*, vel *ab homine*, incurritur, ministerio legis, crimine admisso; si est *fer. sent.* incurritur quando iudex eam irrogat per sententiam condemnatoriam, quin ullus alius executionis actus requiratur. Tantummodo ut censura sortiatur omnes effectus iuridicos aliquando debet *declarari*, quo fit ut fideles aliquem uti censuratum, proindeque certis iuribus privatum aut inhabilem, publice cognoscant. - Sententia vero *declaratoria* sequitur etiam censurae irrogationem *ab homine* factam, quotiescumque dubium esse potest an quis incurrerit censuram in ipsum a iudice inflictam. - Praeterea sententia declaratoria distingui debet a *denunciatione* censurati ut fiat *vitandus;* quae denunciatio aliquando eo spectat ut censuratus, a fidelibus cognitus, publicae reprobationi obiiciatur.

10) Verum consequentia magni ponderis in hoc propositum est, quod si appelletur ab irrogatione censurae, appellatio habet effectum *devolutivum* (1), non effectum *suspensivum* quia *executionem excommunicatio secum trahit*. Inquam, *ab irrogatione;* nam *a comminatione* censurae *ab homine,* appellatur in *suspensivo;* agitur enim de *decreta* censura non de censura iam *incursa*. Item sententia *declaratoria,* quatenus haec edi-

(1) Cf. Vol. *1, 625*.

cendo factum plene fuisse consummatum, parit effectus iuridicos, suspenditur per appellationem; neque exinde fit praeiudicium incursae censurae, quia sententiae declaratoriae, appellatione confirmatae, effectus retrotrahuntur ad diem commissae censurae. *Glossa in cap. Cupientes, De elect. in 6, et Barbosa, in cap. 13, De appell. n. 5.*

11) Demum excommunicatio iam incursa non valet suspendi in suo effectu ad certum tempus vel in aliquem eventum; prouti communi sententia asserunt DD.: cf. Sayrus, *Thesaurus cas. consc. L. I, cap. 2 n. 4.* - Suspenduntur autem tum *suspensio* tum *interdictum*. Ratio discriminis est quia excommunicatio, gravissima poena, ferri debet quum gravissima et probata subsit causa; et istâ semel commissa vel absolvitur vel integra perseverat. - Suspensio autem vel interdictum sunt leviores censurae et aliquando feruntur non qua *censurae* sed qua *poenae*; unde non est incongruum huiusmodi remedia poenalia etiam ad tempus suspendi. Exinde enim non timendum est inconveniens, penitus arcendum a sententia excommunicationis quae leviter ferri posset, ea de causa quia, re melius perpensa, suspendi quoque posset (1). Cf. Suarez, *VI. 4.*

87. Censura sive *ab homine* sive *a iure* feratur ut plenum sortiatur effectum nonnullis conditionibus satisfacere debet. - In primis prae oculis habendum est gravissimum monitum Concil. Trid. *Sess. 23, cap. 3, De ref.;* nimirum, parcius uten-

(1) Rom. Pontifex qui est superior iure communi valet suspendere etiam vim *excommunicationis;* et hoc praestat in rescriptis in quibus suspendit vim excommunicationis ad effectum, utputa, obtinendi beneficii collationem. At Episcopus in conferendis beneficiis hoc iubere non potest; et *caput Postulasti. - De Cler. excomm. minis.* - intelligendum est, decernere beneficii collationem factam ab Episcopo cuidam clerico excommunicato esse nullam, sed postea fieri validam quum, absoluto clerico, Episcopus intendat removere impedimentum obstans effectui collationis. Suarez *l. c. n. 9.*

dum esse censuris ne obsoletae vilescant et magis perniciem quam salutem animarum pariant. Cf. Bened. XIV, *De Syn. L. 10. cap. 2.*

Praeterea sive a *iure* sive ab *homine* edantur, in iis ferendis tria semper requiruntur: 1) *iurisdictio* sive in *legislatore* sive in *iudice*, 2) *sufficiens causa* 3) *et congrua ratio procedendi.*

1) De necessitate iurisdictionis seu competentiae res exploratissimi iuris est, quae si deficiat, ex generali regula iuris per legem *Barbarius* - sanatur quum adest error communis. Cf. Vol. I, n. 352. - Quia censurae pertinent ad forum externum, ita pro iisdem ferendis requiritur iurisdictio fori externi. Quinam vero hac potiantur, explicatur in tractatu *de personis.*

2) *Quoad causae sufficientis requisitum* haec advertantur. Quoniam poena, utpote sanctio *legis* vel *decreti* habetur veluti *accessorium*, quum lex vel decretum quodam laborent defectu substantiali, unde aut *iniustitiae* aut *irrationabilitatis*, id est nullitatis, arguantur, etiam uti nulla seu irrita habenda est sententia censurae. Defectus causae *substantialis* vero inesse potest, vel quia servatus non fuit ordo iuridicus et legalis in ferenda ipsa lege, vel quia non adest in subiecta materia illa gravitas culpae correspondens ecclesiasticae censurae. - Quae culpa proportionate gravis esse debet coniuncta cum ea ordinis socialis deordinatione, quam restaurare intendunt leges poenales exterioris fori.

Sed quid iuris si lex sit *iusta* quoad iussionem; nimirum vel aliquid faciendi, vel abstinendi a certo actu, sed iussio versetur circa materiam non gravis ponderis adeo ut laesio huiusmodi legis vix aut ne vix quidem constituat gravem culpam; et nihilominus lex comminetur poenam gravis censurae in transgressores? (1). Iamvero quia lex habet duas partes, sustinetur quoad

(1) Inquam *gravis censurae;* nam in hypothesi levioris censurae vidimus supra in *not. pag. 132* quid sentiendum sit.

vim praecepti, sed non quoad poenam comminatam. Cf. Suarez *Disp. IV, Sect. 6. n. 9, seq.* Verum dum dubitatur an sententia censurae fuerit iusta, et facta diligenti inquisitione dubium haud leve perseverat, sententiae parendum est; quia possidet *valor* actus (1).

3) Ex modo procedendi potest derivari nullitas sententiae quotiescumque spernantur processus regulae substantiales, veluti *monitiones*. At hic processus expostulatur in censuris latis seu inflictis *ab homine*, uti explicavimus.

Hactenus explicavimus causas nullitatis seu iniustitiae, sed quia inter extrema consistit medium, ita fingi potest media hypothesis, quatenus sententia censurae nec sit absolute *iusta*, nec absolute *iniusta*, sed aliquo laboret defectu non substantiali. - Exinde patet, censuram validam dicendam esse, quotiescumque salva sit *obiective* proportio inter gravitatem poenae et culpae gravitatem, quamvis sententia sive *intrinsece* sive *extrinsece* aliquo afficiatur defectu. *Intrinsece* veluti si sententia lata sit ex *odio* in personam transgressoris; qui tamen revera graviter deliquit; *extrinsece*, si aliqua procedendi regula pessumdata sit, at non substantialis. Cf. D'Annibale, I. 311, not. 61. - 334 not. 33.

88. Sed gravior est quaestio de effectibus censurae quae nulla est in foro *interno* seu iuxta *veritatem*; sed valida habetur in *foro externo*, seu iuxta *praesumptionem iuris*. - Casus est de quadam censura lata in eum qui reus creditur et in foro externo reus evincitur cuiusdam criminis; sed falso. Quamobrem sive censura sit a *iure* sive sit abs *iudice*, hunc hominem, reipsa, non tenet quippe insontem; et censura necessario subaudit gravem culpam seu mortale peccatum. - Quum vero

(1) At non undequaque probanda videtur sententia Suaresii *l. c. n. 13* qui autumat in universum. « *De nulla censura vel excom. lata per legem aut praeceptum obligans sub mortali peccato, auderem dicere nullam esse* ».

in foro externo aestimetur reus et hinc censuratus, si censuram spernat, aliis poenis compescitur, et grave infert scandalum ob gravem inobedientiae actum in Ecclesiam. Huc spectat celebris sententia Gregorii Papae - *Homil. 26*, relata a Grat. *caus. 11, q. 3 can. 1;* nempe: « *Sententia Pastoris, sive iusta sive iniusta fuerit, timenda est* », nimirum quoad forum externum, etsi *iniusta*, ne grave fiat scandalum. Quocirca, remoto scandalo, quis se habere potest, quasi non censuratum, quin ullam incurrat irregularitatem non observando censuram. - Praeterea, quippe poenae revera locus non est, censura nulla in foro *interno*, dicenda est neque adimere clerico iurisdictionem, neque *excommunicatum* reddere incapacem beneficiis vel officiis ecclesiasticis recipiendis; iuxta sententiam longe probabiliorem quam fuse explicat Suarez, *Disp. IV. 7-26.* - At in foro *externo* apposita acta uti nulla habentur; veluti nullius valoris habentur beneficiorum collationes; quamobrem irrita ista acta declarantur et alteri vel beneficium vel officium confertur. - Quare definiri debet an huiusmodi decreta, collationes, provisiones dicenda sint plene valere vel potius irrita esse. - Porro in hac lucta, quia censurae cum primis spectant ad *forum externum*, et expedit reipublicae firma et rata haberi quae legitime decernuntur ab auctoritate sociali, in hac lucta praevalet ordinatio fori externi et exigente bono pubblico, rescinduntur acta aliunde valida, et rata habentur ea, quae sola inspecta veritate, irrita essent. Cf. Suarez, *l. c. n. 27.*

Denique censura etiam ferri valet *sub conditione*, et tunc censura suas exerit vires, purificata conditione; et hoc posse fieri indubitati iuris est. Dubitationi fit locus quando superior sententiam edit censurae *sub conditione*; et interim qui hoc decreto praevenitur, desinit esse subditus illius qui censuram tulit vel alia ratione se subtrahere intendit ab imperio iudicis. Sed de his disseremus agentes de subiecto *activo* censurarum.

89. Gravis est quaestio an censurae ferri possint ut poenae *vindicativae*, seu, directius, non in medelam sed in vindictam criminis. - DD. plurimum adlaborant in hanc inquisitionem in exponendis textibus, potissimum excerptis a Decreto Gratiani, veluti in c. c. *Raptores* et *Eos qui rapiunt - Caus. 36, q. 2. - Si quis Episcopus - Caus. 27. q. 1; et - Tanta - Dist. 86.* et - *Duo sunt - Dist. 96.* - Quum vero hae leges pertineant ad antiquam disciplinam qua nomen censurae indiscriminatim usurpabatur pro quolibet poenarum genere, patet in iure *positivo* magis quam in rei natura fundandam esse quaestionis solutionem. In novo Decretalium iure expressa decisio non reperitur quamvis species pressius distinctae sint poenarum et in novissimo iure Concil. Trid. illud distincte iubetur, *parcius censuris utendum esse.* - Equidem censurae quippe suapte natura privant usu *iurium seu bonorum spiritualium*, ferendae sunt in medelam, et hinc sub ea conditione ut absolvatur reus statim ac a sua contumacia resipuerit. - Quare alienum est a natura censurarum, has ferri in determinatum tempus, uti alienum esset ab officio medici, aegroto certum et impraeteribile tempus praefigere quo medicinis utatur. - Revera celebris est obiectio (1) Bolgenii impetentis usum censurarum, idcirco quia dum poenarum ecclesiasticarum est, rei, in primis, curare emendationem, per censuram ei subtrahitur pabulum spirituale unde vita christiana alitur et perficitur.

Porro aliquid veritatis in hoc errore, prouti in ceteris erroribus, continetur, nimirum, rerum spiritualium usum prohibendum esse eo consilio ut transgressor abstinens, in poenam, a cibo spirituali, huius acuetur desiderium et suae culpae, quo citius, eum pudeat, quae talem ac tantam secumtulit privationem. - Quocirca censurae, in genere, irrogari non debent in vin-

(1) Passim urget huiusmodi animadversionem in op. *Dei limiti della petestà ecclesiastica e civile.*

dictam criminum, in certum tempus; bene vero in tempus indeterminatum, quousque reus resipuerit. - Sed inquam - in genere -; nam excommunicatio, omni procul dubio, nunquam ferri potest ut poena; sed *suspensio* et *interdictum*, et hoc parcius, feruntur uti poenae vendicativae in determinatum tempus, sed *breve*. - Ratio discriminis est, quia *suspensio* et *interdictum* non eiiciunt a communione fidelium neque omnibus et omnimode privant subsidiis spiritualibus, unde *gravi ex causa*, etiam indolem induere possunt poenae vindicativae. Cf. Suarez, IV. *5. 29.* - Facilior autem est causa infligendi ad instar poenae vindicativae has privationes, quum prohibetur usus iuris quoque temporalis, veluti cum suspenditur ab *officio* et *beneficio*.

Canones qui obiiciuntur nullam facessunt difficultatem consideranti, antiquiore disciplina nomine censurae vel excommunicationis comprehendi omne poenarum genus; et excommunicationes plures fuisse partiales; quas nunc suspensiones vel interdicta vel vetita poenalia appellamus.

Demum adverti debet, et hoc maxime interest advertere, censuram proprie haberi cum *usus* prohibetur *iurium spiritualium*; poenam proprie dictam, ex adverso, *cum usus* vel *proprietas* aufertur rerum temporalium. Quare non intelligitur censura, nisi qua est spiritus medela; seu iuxta propositum D. Pauli, I *ad Corinth. 5: « Ut spiritus eius salvus fiat in die Domini »*.

§ 1. - *Potiores regulae quoad potestatem ferendi censuras et harum vim seu quoad subiectum activum, earumque subiectum passivum.*

Summarium. — 90. Quinam in genere potestatem habeat ferendi censuras. — 91. Utrum eadem auctoritate et eodem effectu hae ferantur *a iure*, vel *ab homine*. — 92. De excommunicatione seu de censura quae fertur per *sententiam universalem*. — 93. Censurae ferendae sunt *in subditos*. — 94. Censurae ratihabitione non convalescunt. — 95. An iudex recusatus, exceptione suspicionis, in causa qua recusatur, censuras ferre valeat. — 96. De potestate Vic. Gen. - De iudice delegato. — 97. De censura sub metu lata.

90. Censurae poenae sunt *ad forum externum*, suapte vi, spectantes, quare istas ferre valent, qui iurisdictione pollent in foro externo; sive ordinaria, sive extraordinaria seu delegata.

91. Ad regendum populum fidelem, censurae feruntur vel per modum *legis*, seu a *iure*, nempe condito statuto pro universa societate; vel feruntur in casu peculiari adversus certas personas et tunc feruntur a *iudice* seu ab *homine*, uti dici solet. - Inter utrumque censurarum genus hoc interest discrimen, nimirum censuras a *iure* ferri tantum ab eo posse qui potestate pollet ferendi leges seu auctoritate legifera; ab *homine* feruntur, nempe a iudice sive *ordinario* sive *delegato* ad effectum applicandi certam legem aut praecavendi aliquod malum sive in *iudicio* sive *extra iudicium*. Quamobrem Vic. Generalis vel Archidiaconus, et iudices delegati censuras ferunt ab *homine*, non *a iure* et planum est. - Hoc verum est, ordinario iure, etiam quoad *iudices delegatos*, seu excepto casu quo Rom. Pont. illos constituat cum potestate ferendi leges.

92. Quaeritur an sententiae censurarum quae *universales* dici solent, censendae sint a *iure* vel ab *homine*. - Ut puta, Episcopus excommunicationem in eos fert, qui certam ephemeridem

legant (1). Nonnullis DD. hae censurae videntur a *iure* dicendae, quia tenent omnes subditos; aliis videntur ab *homine*, quia pro casu peculiari feruntur. - Ut quaestionem *practice* resolvamus, definiendum est an hae sententiae *perpetuae* sint, vel an potius resolvantur iure ferentis. Quocirca quaestio est magni ponderis, etiam *quod ad praxim*.

Atqui ad rem sunt revocanda quae explicavimus agentes de hac fundamentali distinctione poenarum quae vel ab *homine* vel a *iure* sunt. Cf. supra n. 50 seq. - Diximus nobis non probari sententiam, quamvis *communissimam* (2), quae tenet poenas vel censuras, ab *homine* seu ab *iudice* latas resolvi aut suspendi, resoluto aut suspenso, quacumque de ratione, iure ferentis. Ne actum agere videamur, hic non iterum expendemus rationes iam explicatas, unde conclusimus, poenas ab *homine* latas in *foro externo*, seu ad externum societatis reginem vim non amittere, resoluto vel suspenso iure ferentis, dummodo non constet vel ex dictis ferentis vel evidenter ex subiecta materia, ferentis intentionem esse, poenam ferre omnino temporaneam, pendentem a *suo beneplacito*. - Sed obiter advertimus, Suarez, *III. 5, 12*, fateri adversam doctrinam *non contineri expresse in iure positivo, fundari autem in nonnullis principiis eius*. Et principia invocantur, *odia esse restringenda*, *favores ampliandos* - *mandatum expirare morte mandantis, re adhuc integra* - *demum expedire Reipublicae leges esse stabiles* et *perpetuas*, *mandata seu praecepta iudicis respicere actualem gubernationem*. Ast certe ad rem non faciunt haec principia;

1) quia hic non agimus de lege interpretanda, sed de pote-

(1) Hinc non puto verum esse quod asserit D'Annibale *I. 301, not. 8*; *has sententias fere ubique obsolevisse*. Equidem alia de causa hodie feruntur, non prouti olim ad obtinendam rerum deperditarum exhibitionem, aut ad fures detegendos, sed ad alios effectus.

(2) Hanc ita appellant, Layman, *De cens. cap. II, 2:* Suarez, *III, 4, 9:* S. Alphons. *VII, 6.* etc.

state ferendi leges et haec sane odiosa nullimode dici potest, neque, utpote ordinaria, maxime in Episcopis, limitibus constringenda est, nisi expresse hoc edictum sit;

2) quia mandatum ad *negotia* vel *ad lites*, comparari, *ad aequalitatem* non potest *cum officio publicae potestatis;*

3) quia mandata seu praecepta iudicis respicientia actualem gubernationem non videntur ita pendere a *persona* iudicis, ut indolem repetant et limites suae necessitatis, etsi actualis, a *personali* iudicis existentia.

Proinde *sententiae* universales verius dicendae sunt censurae *a iure*, sed quia arbitramur censuras quoque *ab homine* ordinario esse perpetuas seu excedere limites *personalis* existentiae iudicis haec distinctio parum ad *praxim* spectat, ex sententia nostra (1). - An vero iudex ferre valeat, pro potestate qua pollet, huiusmodi censuras, quaestio *facti* est et *iuris*. - *Facti* quia in concreto spectanda est potestas qua iudex pollet; *iuris* quia huiusmodi facultas abiudicanda videtur iudici qui tantum habeat potestatem *iudicialem* aut *executivam*.

93. Censura autem ferri non potest nisi in subditum. Quocirca, quid iuris si iudex aliquid praecipiat sub poena excommunicationis, apposita nimirum conditione, transgressorem commissurum hanc censuram nisi certa ratione praecepto obtemperet; et interea ille cui praeceptum factum fuit, desinit esse subditus vel ingrediendo Ordinem regularem vel alio transferendo domicilium?

Iamvero ad solutionem quaestionis plurimum refert distinguere; an censura sit *f. s.* aut *l. s.* - Explorati enim iuris est, censuras *ab homine*, esse aut *l.* aut *f. s.*

Si iudex dicat: nisi hoc facies, te suspendam, censura ab

(1) Iure merito D'Annibale (I, 301) advertit, sententias *universales* medium tenere locum inter censuras *a iure* et censuras *ab homine*, quippe istae aliquid *proprium* habent; sed nobis videntur contineri sub genere censurae *a iure*.

homine est *f. s.;* et qui pendente die aut conditione desinit esse subditus, effugit vim praecepti. Suarez. *III. 5, 2 sq.* Si vero iudex decernat; nisi hoc facias, eris excommunicatus seu suspensus, quia sententia iam *lata est,* quamvis suspensa in sua executione, pendente conditione, tenet transgressorem, etsi *quoad cetera* subditus esse desierit. Nam hanc sententiam quod spectat, is effugere non valet iudicis auctoritatem; nempe re non integra, siquidem ubi incoeptum est iudicium ibi finiri debet. Intelligitur iudicium iam incoeptum et prope finitum quum iudex sententiam iam tulerit censurae, etsi aliqua conditione suspensam; huiusmodi enim sententiae praemittitur cognitio iudicialis ad tramites appositi processus. Cf. Suarez, *l. c.;* D'Annibale, *I, 333.*

Censurae autem *a iure,* quippe instar legis sunt, non tenent singulum subditum quousque crimen fuerit consummatum, ut puta quousque conditio impleta fuerit, si poena sub aliqua conditione lata fuerit. Quare si quis ante crimen perfecte consummatum mutet domicilium, censuram effugiet. Cf. Suarez *l. c. n. 3.*

94. Quum vero sententia executionem nondum est nacta, appellatione impetiri valet, et hinc suspendi, quousque iudex appellationis ediderit iudicii definitionem. - Utrum, quando censura est ab *homine* sed *f. s.,* suspendatur appellatione iurisdictio iudicis qui amplius exequi non valeat comminatam censuram, *vide infra, n. 122.*

Quotiescumque iudex censuram ferat in hominem non sibi subditum sententia certe nullius est valoris; sed quaeritur an iudex proprius valeat ratihabitione sanare defectum et ratam efficere et firmam sententiam antea nullam. Verum quia iudex sive *ordinarius,* sive *delegatus* non potest nomine alterius censuram ferre nisi ei legitime *mandata* fuerit iurisdictio, pronum est inferre, alterum non valere huiusmodi sententiam ratam habere: illud enim ratihabitione firmare possumus quod nostro nomine gestum est. Sayrus, *op. cit. I, 5, 20, 21.*

95. Modus legitimus quo iudicis suspenditur iurisdictio est

exceptio suspicionis, unde iudex, quippe suspectus, a iudicando prohibetur (1) et impar redditur cuicumque decreto in litigantes ferendo, proindeque censurae edicendae. Sayrus, *I, 5, 40.*

Haec autem iurisdictionis suspensio intelligenda est tantum in illam causam in cuius agitationem incidit exceptio suspicionis, atque exceptione rite comprobata; et planum est.

96. Vicario Generali et iudici delegato sive ad certam causam sive ad universitatem causarum, utpote praeditis iurisdictione in *foro externo* haud dubium est competere potestatem ferendi censuram sed non *absolutam* neque in *eadem mensura.* Non *absolutam,* quia Vic. Generalis et iudex delegatus quum non polleant potestate legifera censuras statuere non possunt *a iure* seu condendo statutum; ferunt *ab homine* vel ad urgendam executionem sui decreti iudicialis vel extraiudicialis vel ad legem comunem applicandam. Neque in *eadem mensura* hoc utrisque competit. Nam iudex delegatus ad certam causam, quin specialis fiat mentio, ferre potest suspensionem et interdictum pro efficaci suae iurisdictionis exercitio, non vero excommunicationem, nisi specialiter detur potestas, *arg. c. c. 5, 11, De off. iud. del. X,* (I, 29) (2). Et in genere a concessa potestate ferendi suspensionem et interdictum non descendit auctoritas ferendi excommunicationem. At Vicarius Generalis, si hoc expostulet exercitium suae iurisdictionis, ferre valet etiam excommunicationem; quod comperti iuris est. Verum iudici prae oculis usque sit monitum Concil. Trid. *Sess. 23, c. 3, De ref. et cap. 48, De sent. excom. X,* (V. 39), sc. censuris parcius utendum.

97. Demum quaeritur an valeat censura quam iudex fert metu gravi iniusto coactus. - Communis sententia tenet, cen-

(1) Cf. Vol. I, 545.

(2) Uti patet, loquimur de iudice delegato, cuius officium, ex iure communi, explicatur in tit. *De off. et pot. iud. deleg.* - Sed Papa valet cuidam delegare etiam potestatem *legiferam;* et huiusmodi iudici tunc competere potest, censuras quoque ferre a *iure.*

suram valere, *quia coacta voluntas est semper voluntas*, et nulla positiva lege cavetur, sententias huiusmodi evadere irritas quando aliunde *ex subiecta materia* censurae sententia sustineatur. Suarez, *I. 3, 6*. Verum uti actus tali metu positi sunt validi sed *actione metus* rescinduntur, ita ratio urget relaxandi quamprimum per absolutionem vinculum censurae hac praepostera ratione inflictae. - Ex adverso absolutio sub metu gravi iniusto impertita nulla est, prouti iubet expresse lex *cap. unic. De his quae vi met. in 6,* (I, 21). Nec mirum est, legem consuluisse casui absolutionis metu extortae, minime vero casui censurae inflictae; lex enim cavet quae facile evenire solent, quaeque magis timenda sunt.

§ 2. *De subiecto passivo censurarum.*

Summarium. — 98. Censura fertur in fideles baptizatos. Infideles veluti Iudaei excluduntur a communione *civili*. In mortuos feruntur *excommunicationes*, improprie, seu ad restaurationem publici ordinis. Quare absolvantur. — 99. Censurae *a iure* latae nisi expresse dicant, non comprehendunt *impuberes* et sententiâ *suspensionis* et *interdicti* (seu excepta excommunicatione) non comprehenduntur Episcopi nisi expresse edicatur — 100. An incurrat censuras qui metu compulsus deliquit. — 101. Qua ratione censurae ferendae sunt in *personam certam*. — 102. Possitne quis pluribus censuris, etiam eiusdem specei, innodari.

98. Censuris quatenus sunt poenae *spirituales*, subiecti esse possunt,

1) solum Christi fideles seu iuribus spiritualibus utentes: unde in *c. c. 13 et 14. De Iudaeis X*, (V, 6) *et 12 et 18. De usuris X*, (V, 19) contra Iudaeos non infligitur censura *spiritualis*, sed *civilis*, eosdem excludens a bonis civilis communionis;

2) qua sunt *poenae*, non feruntur in non subditos et in exemptos. - At in criminalibus ratione *delicti* quis etiam sortitur

forum, ne possit impune delinqui. Verum quoniam delictum non concipitur nisi quis violet legem poenalem qua ipse tenetur, hinc peregrinus, vagus, laedens legem particularem dioecesis in qua est peregrinus, vagus, non committit crimen. Quamobrem hi externe violantes legem naturalem, veluti calumniando, non possunt cohiberi poenis peculiaribus loci statutis in calumniatores, at coercentur officio iudicis nempe *ab homine*, extraordinaria aliqua poena; veluti censura *ab homine*, si monitiones praemissae sint, uti par est. Multo magis iudex *declarare* potest vagum, peregrinum incurrisse censuram latam a iure communi (1).

3) « Et quia in odiosis versamur, (ait D'Annibale, I, § 325), quae latae sunt in populum, clerum non tenent, (2); et contra, non tenent populum quae latae sunt in clerum: latae in clericos non tenent regulares; latae in regulares, tenent eos tantum qui vota solemnia nuncupaverint ».

(1) Unde Suarez, *V, 5, 10,* non videtur recte opinari, violantes statutum dioecesis non suae sive *vagos* sive *peregrinos* poenas incurrere appositas; ait enim hoc expostulare necessitatem publicae tranquillitatis *(14)*. Verum, est alienum a regulis iuris, quem subesse legi illius, cuius non est subditus. Incommodo autem quod lamentatur Suarez occurrit lex statuens forum *ratione delicti*, commissi in legem vel communem vel naturalem. Item apud Suarez et alios canonistas est arbitraria distinctio, in *sententiam* censurae *universalem* et censuram ex *statuto*, ut concludant hanc tenere *advenas* seu *peregrinos* et *vagos*, illam tantum subditos seu *incolas*. Haec distinctio nulli iuris textui, nulli rationi, innititur. Cf. Layman, *IV, 5;* Covarruvias, in Const. *Alma. P. I,* § *10, n. 9.*

(2) Sc. Regulares qui proprie clerici non sunt, veluti eremitae, sed gaudent privilegiis clericalibus, recensentur in *clero*. Quid iuris si censura feratur in *clericos;* comprehenduntur isti Regulares? Affirmat Fagnanus: *in cap. 16, De sent. excom;* negat Reiffest. *Lib. III, tit. 1, n. 19.* Quia *in odiosis* versamur, Regulares qui *tonsuram* receperunt tantum *clericorum* significatione comprehenduntur. Cf. Suarez, *XXVIII, 2, 9,* et D'Annibale, I, 102, not. 6. Quare Regulares qui tonsuram non receperunt *in odiosis* veniunt nomine *Regularium*, non *clericorum*.

4) Non tantum delinquens iudici subditus esse debet quando in illum poenis animadvertit, sed ipsum delictum nisi patretur in iudicis territorio, eius effugit competentiam. Veluti clericus si extra dioecesim legem violet cui adnexa est censura tum in sua tum in dioecesi in qua delinquit, censuram non committit, quam non potest urgere iudex proprius, quia *extra territorium ius dicenti non paretur impune;* non iudex alterius dioecesis, quia ei non est subditus. - Crimen vero inchoatum quod consummatur quando transgressor iam excessit territorio sui iudicis; vel crimen ab absente quamtumvis longinquo patratum quod tamen nocet in propria dioecesi, subest iudici ordinario huius loci. Ex hoc capite, absens a loco sui beneficii incurrit poenas speciales latas in sua dioecesi adversus non residentes, quamvis interim moretur in dioecesi aliena.

5) Quia sunt *medicinales censurae*, non possunt infligi in corpus morale, quia crimina patrantur a personis physicis non a moralibus, *iuridice* existentibus, *arg. c. c. 49, De sent. ex. X,* (V, 29) *et 5, 16 eiusd tit. in 6* (V, 11). Verum corpora moralia supponuntur suspensionibus, interdictis; tunc enim habentur verae privationes poenales, non censurae proprio sensu quibus amplius non tenetur qui desinat esse illius corporis membrum. At nullum dubium quod omnes aut nonnulli, qua singuli, censuris subiici possunt. Cf. De Luca, *Adnotat. Conc. Trid. disc. 43, n. 21.*

6) Excommunicationes vel anathemata quibus in publicam detestationem etiam *mortui* aliquando percelluntur non sunt censurae, nec verae poenae, quae non concipiuntur subiecto iam extincto, sed restaurationes ordinis laesi in publicum salutare exemplum.

99. Quippe poenae gravissimae, censurae *a iure* latae, *sive f. sive l. s., impuberes* non intelliguntur percellere seu nisi expresse isti comprehendantur; *ex c. c. 1 et 2. - De delict. puer. X,* (V, 23) *et 60, De sent. excom. X,* (V, 29). Ex capite

vero *4*, *De sent. excom. in 6* (V, 11) decernitur non subiici censuris a iure latis, Episcopos et S. R. E. Cardinales, nisi expressis verbis in decreto conprehensi fuerint, *excepta excommunicatione*, seu nisi *suspensio* et *interdictum* nominatim in Cardinales et Episcopos sint lata ut eosdem teneant delinquentes. Cavet enim cit. cap. « *Periculosum est Episcopis et eorum Superioribus propter executionem Pontificalis officii quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto* ». Excommunicatio autem infligitur ob crimina tam enormia ut ipsum Praelatorum officium nullam mereatur exceptionem. Nomine enim Episcoporum, veniunt etiam *Praelati Superiores*, seu qui alicui Ecclesiae episcopali iurisdictione praesunt (1).

100. Qui metu compulsus legem violat aliquid praecipientem aut vetantem sub poena censurae, ab hac excusatur dumtaxat si metus talis fuerit qui excuset a lege positiva: poena enim est quid accessorium sequens naturam legis; consistente lege positiva, eius transgressor poenam committit. Sed hanc effugit, si lex positiva aliquid prohibeat intrinsece malum, puta fornicationem, et tam gravis urserit metus excusans a lege humana; quamvis culpa supersit violatae naturalis legis. Suarez, *IV, 3, 12*.

101. Subiectum vero censurae esse non potest nisi *persona certa*, eo sensu quo iudex nullam ferret censurae sententiam in unum tantum ex pluribus delinquentibus sibi nullimode cognitum; quum diceret: *ex decem furibus unum excommunico*. Si alias determinet dicens eum excommunico qui, recensitis omnibus, quinto *numero* distinguetur, excommunicatio irrita

(1) Quoad impuberes duplex casus exceptionis exprimitur: 1° si in monasteria monialium ingressi fuerint; 2° si clericos graviter percusserint; ex Concil. Trid. *Sess. 25, c. 5. De Reg.*; et *c. c. 1. 40 De sent. excom X.* (V. 39). Sed hodie quia in const. *Apost. Sedis* tantum memoratur primus casus sub *n. 6* inter excom. simpliciter Papae reservatas, dicendus est alter casus abolitus fuisse. D'Annibale *(I. 325 not. 11)*.

non est, nisi aliunde sit tam iniusta ut nullimode, ex adiunctis, sustineri valeat (1).

102. Demum minime abhorret a conceptu censurae, aliquem ligari pluribus censuris vel eiusdem speciei, veluti excommunicationibus; vel diversae speciei, veluti excommunicatione, suspensione, et interdicto. Nam hae constituunt vincula poenalia et nihil prohibet quominus aliquis non uno tantum vinculo sed pluribus vinculis vel eiusdem generis aut speciei et eodem tempore constringatur. Ut puta clericus qui crimen patravit, idemque iteravit in pluribus dioecesibus, a singulis harum civitatum

(1) De potestate Episcoporum in Regulares quoad censuras ferendas haec docet Cl. Bucceroni - *Commentarii* - *De Censuris. Edit. 5ª*, n. 11 - « Regulares licet exempti si delinquant circa ea in quibus vi Canonum et Constitutionum subiiciuntur Episcoporum iurisdictioni, censuris Episcopalibus ligari possunt. Praecipui casus in quibus exempti quoque regulares Episcopis subiciuntur enumerat S. Alphonsus, *Homo Apost. Tract. 20, n. 75. 77.* Cf. Ferraris v. Regulares. n. 2. - Ex communi autem sententia Episcopi quoad haec non ordinaria sed delegata a Sed. Apost. potestate procedunt. Attamen idem S. Doctor haec habet « In religiosos exemptos sive privilegiatos (specialiori nempe exemptionis privilegio) ut Mendicantes et Iesuitas nequit Episcopus ferre censuras etiamsi procedat tamquam delegatus apostolicus » quamvis aliis poenis puniri ab eodem possint.... Huic vero *specialioris* exemptionis privilegio unico tantum casu expresse derogavit Greg. XV - C. *Inscrutabili* Non. Feb. 1622, § 6, si nempe « in alienis Ecclesiis aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia et in Ecclesiis suis aut suorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint ». Verum Innocentius X Brev. - *Cum sicut accepimus* 14 Mai, 1653, alium, *declarando* cit. Const. *Inscrutabili*, addidit casum confessionum audiendarum. Dub. IV 2ae seriei: « An Episcopus possit cum censuris procedere contra regulares exemptos si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis aut praedicatione verbi Dei et hoc an vigore Con. Trid. vel per quem canonem? Resp. posse procedere non quidem in vim Conc. Trid. sed in vim Const. Gregorii XV. *Inscrutabili Dei Providentia* - Tertius etiam est casus, si nempe audeant imagines ab Episcopo non probatas, publico cultui exponere, ex C. *Sacramenta* Urb. VIII. 15 *Martii 1642* ».

Praelatis totidem excommunicationibus plecti valet, vel ab uno censura suspensionis, ab altero altera censura ligari potest.

Inde consequitur posse resolvi unum vinculum poenale altero non resoluto; siquidem si alter Praelatus absolvat, alter absolvere detrectet, censuratus censuris subiicitur quousque omnes qui censuram tulerint absolvere intenderint. - Et in hoc DD. plane concordant: cf. Suarez, *V, 2, 4.* - Hic praeterea quaerit an ob idem crimen continuatum, *crescenti contumacia*, possit quis a iudice pluribus censuris eiusdem speciei plecti; nempe pluribus excommunicationibus; atque respondet, *absolute* hanc potestatem iudici non deesse, sed usum huius facultatis esse alienum a moribus Ecclesiae; et recte sane. - Quando autem idem crimen repetatur vel gravi admodum contumacia augeatur, repetitum crimen repetitis excommunicationibus plecti valet; vel idem crimen pluribus speciebus censurarum. Tunc cessante contumacia idem iudex tot impertire absolutiones debet quot fuerunt sententiae vel una intendat oportet absolutione, omnes auferre censuras (1). Sayrus, *I, 10. 1, seq.*

(1) De crimine *continuo* seu *continuato* aliquid tetigimus supra *num 22.* - Sed advertere praestat sub multiplici aspectu considerari posse crimen *continuum.* In primis dicitur *continuum* quatenus habet *tractum successivum* et distinguitur a crimine *instantaneo*; et in hoc nulla adest difficultas. Sed difficile est distinguere notionem criminis *continui* quatenus constat vel pluribus actibus ordinatis ad crimen consummandum ; vel quum in consummando crimine plures leges aut plura iura violantur. In codicibus iuris *poenal. positivi* hae hypotheses non perpenduntur, quia relinquitur iurisconsultis et iudicibus aestimare an in casu concreto unum vel plura crimina et quaenam patrata sint. Inter Glossatores de hoc disseruit Baldus *Cons. 48, lib. 3.* - Carrara docte et profonde disserit de hisce quaestionibus; § *510 seq.* - Cf. Ortolan, *Eléments de droit pénal,* n. 743; Vander Does, *De crimine repetito,* Traiecti ad Rhenum, 1826; Savigny *De concursu delictorum formali.* - In genere videntur posse constitui hae regulae. Siquidem crimen cum constituatur per propositum delinquendi et per actum alicuius legis poenalis laesivum; 1) proinde quando pluries repe-

titur propositum delinquendi et pluries laeditur etiam *eadem lex poen.*, plura habentur crimina; 2) quando unico proposito, et unica actione laeduntur plures leges poenales plura habentur crimina excepto casu quo una actio criminosa alteri inservit uti medium (seu conatus), fini (seu crimini consummato). 3) Ex adverso unum habetur crimen, quamvis aliquando continuatum, quando una tantum lex poen. violatur ex unico proposito delinquendi, quamquam plura concurrerint acta vel etiam plura iura fuerint violata.

Caput. I.

DE POENARUM DISPENSATIONIBUS ET ABSOLUTIONIBUS.

Summarium. — 103. Differt absolutio a dispensatione; quia absolutio est *actus iustitiae*; dispensatio *actus gratiae*. — 104. Quare, denegata iniuste absolutione, praesto est *appellatio*, denegata inclementer dispensatione, patet tantum *recursus*. — 105. Unde absolvere possunt ii omnes, qui in externo aut in interno foro vel ordinariam vel delegatam habent iurisdictionem nisi expresse prohibeantur ob censurarum *reservationem;* sed dispensare non valent, nisi expresse concedatur, ii qui legis latore sunt inferiores. — 106. Sed convenit dispensatio et absolutio in eo, quia concedi valent vel in *foro externo* vel *in interno.* — 107. Qui dispensare potest in *foro interno* tantum, non valide dispensat pro *foro externo.* Quomodo intelligamus, absolvi aut dispensari tantum quoad *forum internum.* — 108. Dispensatio diversimode impertitur ac absolutio. An haec *absenti* concedi valeat.

103. Explicata generica notione tum poenae tum censurae praestat aliquid dicere de modo quo solvuntur vincula poenalia. Atqui haec solvuntur vel *absolutione* vel *dispensatione;* et hae in pluribus discrepant, conveniunt in nonnullis. Cui disquisitioni expediendae prae oculis usque habenda est diversa ratio poenarum; nimirum censuras infligi eo consilio ut reus resipiscat et istae quo citius solvantur, e contra poenas reum tenere, suapte natura, aut in perpetuum aut in praefinitum tempus. Unde censurae expostulant suapte vi, *absolutionem;* poenae non exquirunt sed patiuntur *dispensationem;* quam ob rem *absolutio* est secundum intentionem legis, et istam impertiri competit, vel in interno vel in externo foro, cuique habenti *potestatem* iurisdictionis nisi prohibeatur expresse; *dispensatio* autem est contra legem, quippe legem poenalem infringit; proindeque dispensatio ab eo datur, ordinario iure, qui legi

derogare valet. Quocirca toto coelo inter se differunt, *absolutio* et *dispensatio;* namque *absolutio est actus iustitiae, dispensatio est actus gratiae;* quare absolutio est *favorabilis; dispensatio* est stricti iuris et non extenditur ultra expressa: cf. Suarez. *De Cens. D. 41, sect. 1, n. 4.*

104. Alia essentialis differentiae ratio est, absolutionem denegari non posse censuratis poenitentibus, eamdem petentibus, cum suapte natura censura provocet ad absolutionem qua iniuste denegata exurgit ius appellandi ad superiorem pro absolutione obtinenda. - E contra dispensationi obtinendae nullum adest ius comparatum, solummodo aequitas vel charitas et pastoralis sollicitudo aliquando consulunt, dispensationem denegandam non esse; sed a conceptu dispensationis omnino abhorret ius provocandi ad superiorem ob denegatam dispensationem. Quando vero dispensatio est debita ex charitate vel ex iustitia, ut quando adest gravis necessitas publica aut privata, tunc patet *recursus* ad superiorem ob denegatam ab inferiore dispensationem. At ratio recursus est extraordinaria neque exoritur a natura dispensationis *intrinseca*, sed ex adiunctis rerum *extrinsecis;* cf. *Thesaurum P. I, c. 20.*

105. Inde explicatur tertia differentia; scilicet potestatem *absolvendi* a censuris omnibus competere qui potestate polleant vel in foro interno vel in foro externo; dummodo contraria non obstet prohibitio; *dispensandi* vero potestatem non competere, iure ordinario, nisi legis latori eiusque successori, et delegato; nam in lege non dispensat nisi ipse legis lator aut huius Superior, neque alius quam successor aut delegatus in eadem potestate (1).

(1) Reservatio continet, naturâ suâ, *alicuius casus gravioris avocationem ad cognitionem seu iudicium superioris.* - Reservantur tum peccata tum censurae; et quia censura non incurritur nisi ob grave peccatum, exinde reservatâ censurâ, etiam peccatum reservatum intelligitur adeo ut duae distinguantur reservationes; altera censurae, peccati altera. Suarez, *De Poenit.* XXIX, 2, 8. - *Casus* Papae reservati (etenim appellantur *casus*

Unde censurae *a iure*, *latae sententiae*, non sunt reservatae nisi lege statuatur. Ex adverso poenae sunt reservatae, seu exemptae ab inferiorum dispensatione, nisi expresse contrarium edicatur. Consequentia practica est, facultatem *absolvendi* a censuris *a iure l. s.* contineri in generali mandato iurisdictionis, minime vero facultatem *dispensandi* a poenis, quia in mandato generali veniunt ea quae sunt iuris communis seu iustitiae, non autem quae sunt gratiae, seu exorbitant a iure communi. Barbosa in *c. Nuper - n. 11. De sent. excom.*, Sbrozzius, *De Off. Vic. Lib. 2. q. 179.* Inquam - *a censuris a iure* -; nam

sive censurae sive peccata reservata; ita Concil. Trid. *Sess. 14 - De Poenit. cap. 7. in fine et Sess. 24, cap. 12 De ref.)* si unum vel alterum demas, sunt reservati ratione censurae seu ob adnexam censuram reservatam. Non item quoad *casus* reservatos Ordinariis, iure dioecesano: isti enim sibi reservare solent casus nulla adiecta censura. - Quando haec adnectatur, quaesitum est quaenam esset principalior an reservatio a *censuris*, vel a *peccatis*; et in *casibus papalibus* concors est DD. sententia, principalem esse censurae reservationem; unde *practica* consequentia est, *excusare* a *peccati reservatione quidquid a censura excuset.* - In casibus quos sibi reservant Ordinarii, non ita constans est doctrina canonistarum; imo sententia communior affirmat, utramque reservationem esse aeque principalem, quamobrem peccatum habetur reservatum etsi adnexa censura non incurratur: sed magis probabilis est sententia quae in hoc exaequat hos casus casibus papalibus; eadem enim adest ratio. - Verum ex diverso fonte promanant potestas absolvendi peccata; et facultas censuras absolvendi. Nam potestas absolvendi peccata cohaeret ordini sacerdotali; sed non *potest* exerceri nisi dentur *subditi* in quos exerceatur; potestas vero censuras absolvendi, per se, cohaeret potestati iurisdictionis; at in *concreto* absolvere ei competit qui censuram intulit, seu ligavit, a quo repetenda est et *clericis* quoque concedi valet seu iis qui tonsurâ tantum insigniti sint. - Censurae per se spectant ad *forum externum*; verum etiam absolvuntur in *foro interno*, ne earum occasione detrimentum capiat salus animarum. - Quare absolvuntur vel in *foro sacramentali* vel in *foro conscientiae*; sed haec absolutio non est *sacramentalis* et data in foro interno, per se, non prodest in *foro externo*, in quo absolutio confertur sub certis solemnitatibus et publice constare debet.

a censuris *ab homine* absolvit *a*) qui censuram tulit; *b*) eius Superior *c*) eius Successor *d*) alius, ab horum aliquo, delegatus. Cf. Suarez XXIX, 2; Schmalzgrueber *De sent. excomm. 85 seq.* Nam illius est solvere cuius est ligare. Et quum iudex, sua auctoritate, infert censuram in particularem subditum, negotium ita facit suum ut alius, nisi Superior, in idem negotium manus apponere non valeat. Eo magis quia censurae percellunt *contumacem*, seu spernentem auctoritatem iudicis. - Quando vero censura est *a iure*, legis lator non intendit sibi reservare absolutionem nisi expresse edicat; arg. cap. *Nuper 29. De sent. excomm. X* (V, 39).

106. *Dispensatio* vero et *absolutio* in nonnullis conveniunt. Possunt enim impertiri tum pro foro *externo* tum pro *interno;* sed inter *dispensationem* et *absolutionem* in uno vel altero foro concessas, maxime interest. In quod propositum iuvat referre quae explicat D'Annibale (I. 25). « Hoc forum in *externum* et *internum* diducitur: externum in quo iura, negocia sive temporalia sive spiritualia seu reip. christianae, seu singulorum exercentur, geruntur; *internum* in quo negocia, iura versantur, quae conscientiae singulorum intersunt. Internum iterum, vel *sacramentale* vel *conscientiae.* Ad forum sacramentale pertinent peccata; ad forum conscientiae cetera omnia, quae ad salutem cuiusque spiritualem pertinent. Est et forum *poenitentiae;* hoc nonnullis est forum sacramentale; aliis conscientiae forum, quod magis puto, quippe est favorabilius. - In *foro* externo *nihil est nisi quod apparet;* in interno regulariter creditur asserenti pro se et contra se, nisi aliud appareat manifeste. » Quamobrem quae gesta sunt in foro interno, allegari non possunt in foro externo in quo proceditur iuxta *acta* et *probata.* - Nihilominus quia dispensationes aut absolutiones concessae in foro interno resolvunt vincula poenalia, si aliquando concedatur afferri documentum et invicte probetur absolutionem aut dispensationem intercessisse, tunc effectus fori interni

protrahitur ad forum externum; sed hoc *regulariter* non fit. - Siquidem *externe* seu coram republica christiana non sat est huiusmodi iura seu facta asserere sed probari debent per acta authentica, suapte natura ordinata in forum *externum*. - Sub isto respectu distinctum fuit officium Poenitentiariae ab officio Datariae (*cf. vol. II n.* 265). Unde non semel lucta habetur inter unum et alterum forum, seu inter conscientiam et imperium externae potestatis: veluti si nulla sit sententia censurae quae firma et rata habetur in foro externo; uti Innocent. III *in cap. 13. De rest. spol.* X (II. 13.) aperte significat. Praevalet autem auctoritas fori externi in his quae ab eadem ordinantur in gubernationem populi christiani; scilicet privatio beneficii aut officii decreta intuitu censurae quae tamen nulla est in foro interno et inde consequentes collationes beneficiorum et officiorum plenum habent valorem; secus enim pessumderetur externa societatis gubernatio. Cf. *Thesaur. P. I, cap. 22.*

107. Proinde ille qui habet potestatem absolvendi vel dispensandi pro foro interno tantum, non valide absolvit et dispensat pro foro externo. Unde dispensatio et absolutio concessa pro foro conscientiae tantum, non suffragatur pro foro externo seu contentioso; quare iudex poterit procedere contra reum ad poenas ac si dispensatus vel absolutus non fuisset. Sanchez, *De matr. VIII, 34, 29.*

Iamvero ipsa dispensandi vel absolvendi facultas quod ad forum internum aliquando conceditur pro *actu* confessionis et tunc extra sacramentalem confessionem non valet; si concedatur pro foro animae seu conscientiae tunc impertitur in foro interno etiam extra confessionem. Revera *Thesaurus op. cit. cap. 22* agitat quaestionem, utrum qui habet facultatem dispensandi vel absolvendi *pro foro conscientiae,* absolvere et dispensare valide possit extra confessionem sacramentalem; et allatis duabus contrariis sententiis, concludit probabilem et tutam esse sententiam, quae tenet valere huiusmodi dispensationem

aut absolutionem datam extra confessionem sacramentalem. Monet vero idem D. in commissionibus S. Poenitentiariae clausulam, ut plurimum, apponi « *in ipso actu sacramentali confessionis tantum nec aliter nec alio modo* » et tunc, vi huius clausulae, dispensationem aut absolutionem exequendam non esse extra sacramentum confessionis. - Praeterea, in Iubilaeo, dispensandum et absolvendum est tantum in actu s. confessionis; ita expresse iussit Benedictus XIV Const. *Inter praeteritas*, § 63; ubi, ait Pontifex, se voluisse e medio tollere quaestionem hactenus agitatam inter D. D.; et in propositum, clausulam adhiberi, nempe, dispensationem aut absolutionem EXTRA ACTUM SACRAMENTALIS CONFESSIONIS, non esse concedendam (1). Advertatur quod absolutio vel dispensatio *pro foro externo* valide concessa valet etiam *pro foro interno*, nam in interno foro semper veritas attenditur. Cf. Thesaur. *l. c.* -.

108. Quando dispensatur vel absolvitur pro foro externo

(1) *Thesaurus l. cit.* quaerit etiam ,an si constet in foro externo de tali dispensatione vel absolutione concessa in foro interno et constet, utputa per *schedulam confessarii*, an iudex rationem habere debeat huiusmodi probationis admittens, etiam pro foro externo, effectus huius dispensationis aut absolutionis. - Et advertit, omnes D. D. in hoc convenire, nempe Ordinarium posse, *si velit cum taliter absoluto benigne agere et acceptare illam absolutionem ut suffragetur etiam pro foro externo et repellere Promotorem Fiscalem.* - Sed, ex legitima causa, Ordinarius *posset* aut *deberet* nihili facere absolutionem aut dispensationem concessam tantum pro foro interno. Inquam - *posset* -, nimirum, quando iudicet expedire, ad reparandum scandalum, exigere ut publice absolutio vel dispensatio concedatur adhibitis solemnitatibus praescriptis pro foro externo. Imo - *deberet* - quotiescumque quis absolutus in foro conscientiae debitam satisfactionem parti laesae non dedit et pars expostulat sibi congruam dari satisfactionem. Tunc iudex edicere debet, reum declarare censura aut quocumque alio vinculo poenali innodatum *in foro externo* quousque non satisfecerit et deinde absolutus vel dispensatus fuerit. Ita pluries decisum fuit a S. Rota Rom.; inter alias, vide *Decis. 659 part. 2 nov. collect. Farinae, apud Thesaur. l. cit.*

dari potest *absenti* per literas, per nuncium, per procuratorem; quum autem dispensatur vel absolvitur in foro interno tunc ordinarie *praesenti* dari debet. Equidem si absolutio, aut dispensatio concedi debeant in foro *sacramentali* non potest dari nisi praesenti, sed quaerunt DD. an si absolvatur vel dispensetur in foro tantum *conscientiae* seu extra confessionem possit dari absolutio, dispensatio, etiam absenti, saltem aliqua de causa. Puto affirmativam sententiam veram esse quia clausula « *pro foro conscientiae* » tendit ad determinandos effectus dispensationis et absolutionis pro foro interno; non vero determinat modum: Suarez et Sanchez hanc tenent sententiam uti videre est apud *Thesaurum* « *De Poenis* » l. cit. *Tertia*. - Haec est sententia tuta pro praxi et frequentari potest iusta de causa, praesertim pro dispensationibus quae minus redolent indolem absolutionis sacramentalis a peccatis; nam in absolutione impertienda censurarum, maxime pensantur dispositiones voluntatis absolvendi; non ita haec aestimantur in dispensandis legibus.

§ 1. *Cuinam competat dispensare vel absolvere.*

Sommarium. — 109. In primis distingui debent poenae vel a *iure* vel ab *homine* latae. — 110. Quinam dispenset vel absolvat in poenis a *iure*. — 111. Quomodo dicantur *ab homine latae* ad effectum dispensationis. — 112. Explicantur concessiones factae a iure communi Ordinariis locorum tum quoad poenas dispensandas, tum quoad censuras reservatas Rom. Pont. dispensandas. — 113. Qui dispensare vel absolvere potest, vel ab una poena, quin aliam, dispensat, absolvit, vel omnes dispensare vel absolvere competens est. — 114. Poenae lapsu certi temporis resolvuntur; an censurae semper indigeant absolutione. — 115. De absolutione sub poena seu conditione *reincidentiae*. — 116. Haec conditio quoad dispensationes ne intelligi quidem potest. An dispensatio valeat revocari. — 117. De suspensione poenarum.

109. Habita ratione originis legum poenalium, poenae distinguuntur in poenas a *iure*, et *poenas ab homine*. Poenae

a iure eae dicuntur quae feruntur per modum legis communis seu statuti; quae vero eduntur per specialem mandatum iudicis seu per specialem sententiam, dicuntur *ab homine*. - Ius autem dispensandi vel absolvendi quod attinet, poenae a *iure* sed *ferendae sententiae* in sua executione pendent a speciali sententia *hominis* seu *iudicis;* quamobrem illud principium *illius est solvere cuius est ligare*, efficit ut poenae taliter a iudice irrogatae per sententiam *condemnatoriam*, *praevia iudiciali cognitione,* non dumtaxat pendente iudiciali processu sed etiam postea quam sententia plenam nec amplius controversam habuerit executionem, ab eo qui legavit *legitimam* solutionem repetere debeant, quando ista dari queat, prouti ordinario iure contingit in censuris. - Haec animadversio, ni fallor, est maximi ponderis, at apud canonistas parum aut nihil explicata est; quod non mediocrem confusionem et obscuritatem parit. Porro poenae *a iure* sive *l. s.* sive *f. s.* quoad earum constitutionem sunt omnes aeque *a iure* ad instar legis; sed poenae *f. s.* quoad executionem fiunt poenae *ab homine* ob sententiam iudicis *condemnatoriam.* Quare absolutionem quod attinet, poenae a *iure f. s.* comparantur poenis *ab homine.* Cf. *c. 29. De sent. excom.*

110. Poenae a *iure*, si *proprie poenae* sunt, non censurae, non dispensantur nisi ab earum latore et a successore, ab eius Superiore et a delegato. - Censurae nisi expresse sint reservatae, absolutionem recipiunt sive in foro externo sive in interno a quocumque qui vel in utroque vel in altero tantum competentiam habet.

111. Poenae *latae ab homine,* quoad rem nostram, duplici sub aspectu dispiciendae sunt. - Aliae proprie et omnino feruntur *ab homine*, nempe vel per aliquod iussum speciale aut praeceptum vel per specialem sententiam, quotiescumque iudex ordinarius aut delegatus, ut puta, clericum, auctoritate sua, suspendit sive infligendo poenam proprie dictam, sive censuram ob inobedientiam oppositam illius iussui vel praecepto, veluti fre-

quentandi certas scholas. Talis suspensio non potest dispensari aut absolvi nisi a latore huius poenae, ab eius Superiore atque a latoris successore vel delegato.

Inquam — *dispensari aut absolvi* —, etenim si suspensio irrogata est ad modum *poenae,* dispensatur; si ad modum *censurae*, absolvitur. Et hoc est commune poenis huiusmodi editis *ab homine*, ut has dispensare vel absolvere spectet ad eum qui easdem tulit. Item commune est istis decretis poenalibus ut *appellatione* impetantur; sed in hoc aliquid speciale est censuris, quippe hae simul ac sunt in reum irrogatae *secum trahunt executionem (arg. cap. 12 De sent. excomm.);* dum e contra ceterae poenae per appellationem prohibentur *ab executione* atque admittunt appellationis effectum tum *suspensivum* tum *devolutivum.*

Re sane vera, si ab sententia censurae interponatur appellatio, haec non *suspendit* censurae iam latae excutionem sed tantum *devolvit* rei cognitionem ad Superiorem, puta ad Metropolitanum qui, utpote iudex appellationis in appellantem iurisdictionem sortitur, et per se, *valide*, censuram absolvere potest sed non *licite*, nisi sententia censurae pateat esse minus iusta; et hanc absolvere detrectaverit censurae lator, cui a iudice appellationis semper deferendum est, seu eo magis quando sententia probatur iusta. Si vero *evidenter iniusta* evincatur, tunc iudex appellationis, inaudito iudice inferiore, absolvere potest; et planum est, arg. *cap. Venerabilis,* § *ult. in 6* (V. 11).

Aliae poenarum sententiae feruntur *ab homine* et hae sunt quae a *iure* eduntur, sed sunt *ferendae sententiae* seu *ab homine* infligendae in singulos casus. - Istae sententiae habent aliquid speciale; quia poena constituitur per legem communem, sed applicatur per *specialem sententiam condemnatoriam.* - In poenis proprie dictis quae *dispensatione* tolluntur, *nulla* adest difficultas, quia istae cum nullam per se expostulent relaxationem, eas dispensare pertinet ad supremum Principem et, in

genere, ad legis latorem vel ad iudices inferiores, si eis committatur ex Principis indulto.

Res difficultate implicatur, quando res est de censuris. Hae exposcunt quam citius absolvi; quia, feruntur ad frangendam delinquentis *contumaciam* seu ut resipiscat. Hac de causa censurae a *iure* latae *ipso facto* committendae, nisi reserventur expresse, possunt absolvi in *foro externo* ab Episcopo et ab alio etiam inferiore habente potestatem ordinariam vel delegatam; et in foro interno a confessario approbato. - Quando vero censurae feruntur ab *homine* viget principium, *illius est absolvere cuius est ligare.* Ratio iuridica est, quia quando censura fertur per *sententiam specialem condemnatoriam*, praemittitur cognitio iudicialis, quae incohatur per admonitiones, uti innuimus. - Iamvero interciperetur ordo iurisdictionum si alius iudex in dioecesi inferior vel iudex alterius dioecesis hanc censuram absolveret, excepto casu legitimae appellationis. - Duo autem adsunt sedulo notanda quoad censuras a *iure* sed *sententiae ferendae;* et censuras *ab homine.*

1). Censurae *fer. sent.* seu quae expostulant sententiam condemnatoriam specialem *ab homine latam* sunt reservatae, quoad absolutionem, iudici (1) condemnanti aut iudici appellationis adeo ut iudex huic negotio alienus, absolvere censuram non valeat *ne intercipiatur ordo iurisdictionum.* Quare si postquam sententia condemnationis pertransierit *in rem iudicatam*, ipse censuratus mutet domicilium seu fiat subditus alterius Episcopi, quamvis haec poena sit a iure, eamdem absolvere iste non potest, sed absolvit qui condemnavit nisi expresse absolutio sit reservata Rom. Pontifici, quod praecipi non solet. At si haec statuta sit reservatio, ipse iudex qui condemnavit, etsi sententia censurae pertransierit in rem iudicatam, absol-

(1) Iure quo utimur iste iudex est semper Episcopus, cum causae criminales reservatae sint a Concil. Trid. Episcopis.

vere non valet. Cf. *c. c. De for. comp. X* (II, 2). et *29 De sent. ex. X* (V, 39); et Sayrus, *Lib II, c. 20, n. 4.* - Hae regulae continentur in *cit. cap. 29, De sent. excom.;* in quo agitur de quodam excommunicato qui excommunicationem contraxerat *communicando in crimine criminoso cum excommunicato;* seu eidem praestando opem, auxilium ad illud perficiendum, unde iste fuerat excommunicatus. Proinde crimen edicit Pontifex: « *Cum talis communicet crimini et participet criminoso ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnavit, ab eo vel eius superiore merito delicti hunc erit absolutio requirenda; cum facientem et consentientem par poena constringat* ». Quamobrem, hac maxime de causa, absolutio petenda est a iudice irrogante censuram quia censurae illatio subaudit necessario *contumaciam,* seu spretum in auctoritatem iudicis; et censuratus non habetur absolutione dignus nisi istam petat ab eo *in quem contumacia deliquit eique satisfaciat.* - Hoc apprime adverti debet, quippe intimam reddit rationem reservationis omnium censurarum *ab homine.*

Praeterea inde facile intelligitur, quare ipsae censurae *l. s.* nemini reservatae absolvi possunt *in foro quoque interno,* scilicet a quocumque approbato confessario, quousque reductae non sint *ad forum contentiosum.* Ad rem, hoc tradit principium D'Annibale: (I, 335) « Et quamvis censurae sint poenae fori exterioris, nihilominus absolutio in foro quoque conscientiae dari potest, *quamdiu ad externum deductae non fuerint* », *arg. cit. cap. 29, De sent. excom.;* cf. Benedictus XIV, *De Syn. Dioeces., lib. IX, 4,* ubi dilucide explicat haec principia disserens de absolutione ab haeresi.

2) Sententia vero proprius *ab homine* dicitur, quum non est *a iure ferend. s.;* ast a iudice ipso, sua auctoritate, editur sententia particularis censurae vel praeceptum cui sanctio adnectitur censurae. Tunc *a fortiori* haec non absolvitur nisi ab

eius auctore et successore in eodem munere, nec per se esse potest *reservata* Papae, nisi hic, ob praecellentem potestatem, absolutionem impertire sibi expresse reservet, modis supra explicatis.

Hinc *a fortiori*, certum est quoad hanc censuram, ut censuratus, etsi desit esse subditus censurantis, tamen ab eo tantum non ab alio iudice ordinario absolvi potest; et hoc explorati iuris est, quia in hac censura non tantum decretum condemnationis, sed ipsum vinculum poenae repetendum est omnino ab auctoritate censurantis. Haec dicta sunt *arg. c. c. 29. 48. De sent. excom. X* (V, 39); *7. h. t. in 6* (V, 11) *et 8. De off. ord. X* (I, 31). Sed apud canonistas, veluti Suarez, Layman, Pirhing, Reiffenstuel, Sayrum, Schmalzg. *l. l. c. c.* res valde obscure tractatur, quia tantum enunciatur distinctio inter censuras latas vel *a iure*, vel ab *hom.*; et dicitur censuras *ab homine* semper reservatas esse; censuras *a iure*, tantum si expresse edicatur. Sed censurae *fer. sent.* uti vidimus patiuntur reservationem provenientem ab ordine iudiciali; quod sedulo adverti debet. - Censurae quae *a iure* edicantur infligendae, sed relinquuntur determinandae *arbitrio* iudicis, quum irrogatae sunt, dici debent et aestimari omnimode quasi censurae *ab homine;* siquidem recensentur inter poenas *arbitrarias*.

112. Quoad poenas proprie dictas, seu dispensandas et quoad censuras reservatas absolvendas, speciales facultates factae sunt Ordinariis ex indulgentia iuris communis. - Iure Decretalium:

1) Concessa fuit Praelatis, episcopali iurisdictione praeditis, facultas absolvendi et dispensandi poenas commissas ob adulterium et crimina hisce minora, seu mitioribus poenis mulctata; *ex cap. 4 De iud. X* (II, 1). Inde sequitur, Episcopum posse dispensare super adulterio, furto, sacrilegio, periurio, falso testimonio, non autem super haeresi, simonia, homicidio, et similibus. Cf. *Thesaurum, l. c. cap. 23. Dic. IV.* - Suarez, *XXIX l. 21*, Sayr. *VII, 11, 15.*

2) Concilium Trid. *Sess. 24. cap. 6, De ref.* haec concessit: « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta irregularitate orta ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare ». Haec facultas dispensandi pertinet ad poenas seu ad irregularitates et ad suspensiones modo poenarum inflictas ex ipso legis ministerio, ob crimina *occulta* sive materialiter sive formaliter (1), quae proinde comprobata non sunt per sententiam iudicialem, nec ad populi notitiam pervenerunt per introductam instantiam iudicialem; aut aliunde per notorietatem extraiudicialem. - Sed deductio *ad forum contentiosum* impedit exercitium huius concessionis, etsi instantia iudicialis sit occulta; quia iudex, iure praeventionis, negotium praeoccupavit. Dein prosequitur Conc. Trid. *l. c.* « *et in quibuscumque* CASIBUS OCCULTIS *etiam Sedi Apostolicae reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua, per seipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum,* IN FORO CONSCIENTIAE, *gratis absolvere* ». In hac secunda parte conces-

(1) Huic facultati dispensandi apposita est conditio - *exceptis deductis ad forum contentiosum* - quae conditio eo spectat ne ordo iudiciorum et iurisdictiones perturbentur iuxta ea supra explicata *n. 111.* - Alia conditio - scilicet hanc facultatem versari circa delicta *occulta* vel casus *occultos* (prouti infra), eo spectat ut vitentur scandala. Nam quando res est *publica* seu *notoria* in dispensatione vel absolutione plura sunt attendenda. Occultum dicitur *materialiter* quando factum latet; et *formaliter* quando factum notum est, sed ignoratur aut *culpa* aut *poena* facto cohaerens. - Acris est controversia inter DD. an occultum *formaliter* ex ignorantia *iuris* sufficiat ad legitimum usum huiusmodi facultatis. *Thesaurus P. I., c. 21;* et Benedictus XIV, *Inst. Eccl. 87 n. 42. 48.* autumant ex ignorantia *iuris* factum non haberi occultum quia ignorantia iuris nominem excusat. - De Iustis, *De disp. mat. I. 8. 169* et alii ab eo citati, veluti Navarrus, contra putant - Pro praxi, stante dubio, videtur invocandum principium, nempe dispensationem utpote contra legem, *strictam* habere interpretationem; absolutionem, quippe secundum legem,

sionis Concilium decernit de absolutionibus et hinc loquitur *de casibus* censurarum *reservatis* (1), quum in censuris non habeatur reservatio nisi expresse fiat, non secus ac in peccatis. Absolutionis concessio tamen facta est *pro casibus occultis* absolvendis in *foro conscientiae* tantum. - Animadvertatur, Concilium determinare *forum conscientiae* seu internum, non poenitentiae seu *sacramentale*, unde licitum est absolvere etiam extra forum sacramentale. - Alia conditio posita est, absolvendi nempe sibi *subditos in dioecesi sua*. - Subiecti seu Episcopi subditi intelliguntur qui domicilium et quasi domicilium (2) habent et etiam vagi, ne omnino careant beneficio legis et regiminis pastoralis ecclesiastici; non item peregrini, excepto casu absolutionis censurae datae in *foro sacramentali*, vi prorogatae competentiae. Additur « *in dioecesi sua* » quia absolutio a censuris *regulariter*, uti iam exposuimus, debet dari *praesenti*, non per litteras; sed

latam recipere. - Unde esset abstinendum a dispensando impedimento criminis quia ignoratur vis huius impedimenti mat., ex adverso non videretur deneganda *absolutio*, quamvis crimen sit *formaliter* occultum, ob vulgo ignoratam censurae *poenam*. - Praeterea, quod olim fuit *publicum*, progressu temporis, fieri potest *occultum*, si facti memoria obliterata sit; et hoc exquirit *longum tempus*. Item factum *occultum* esse oportet in loco ubi dispensatio vel absolutio impertitur, quamvis alibi sit *publicum*, dummodo fama non sit facile perventura - Item si res deducta sit ad forum contentiosum, et reus vel definitive absolvatur, vel tantum absolvatur *ab instantia*, seu edicatur, modo non *esse locum instantiae*, crimen deinceps censetur occultum, quamvis *falsa instrumenta* vel *falsi testes* intercesserint. - Denique an factum *occultum* sit vel non, est quaestio *facti*, non *iuris* et posita est in aestimatione boni viri; adeo ut quod pauci et prudentes sciunt, aestimari possit quod nemo sciat. Cf. Benedictus XIV. *Inst. 87. n. n. 40. 45.*

(1) Nimirum facultates concessae pro *casibus occultis* spectant ad absolutiones, et istae facultates absolvendi spectant vel ad peccata *reservata* vel ad censuras *reservatas*. De his tantum nos agemus.

(2) Nam *origo* efficit ut quis sit subditus dumtaxat pro ordinibus suscipiendis. Cf. *Thesaurus P. I. c. 21.*

maxime ne nimis pateret indultum concessionis, et lex nimis relaxaretur. - Cum vero canon non exprimat an in dioecesi *sua* versari debeat absolvendus vel absolutus, recte cl. D'Annibale interpretatur, sufficere si alteruter in ea degat (I, 346). Demum decernitur, Episcopum per se ipsum aut per *Vicarium* SPECIALITER *delegandum* absolvere posse; quia dum facultas dispensandi *generaliter* delegari potest, puta omnibus dioecesis parochis; e contra facultas absolvendi *speciali* personae demandari debet, unde illud *specialiter* non refertur ad casus, *speciali modo*, singulos delegandos, sed ad personam *specialem* hac potestate muniendam. Ratio differentiae est, quia absolutio a censuris peculiarem exigit sollicitudinem ad medendum delinquentium vulneribus. Cf. Fagnanum *in cap. Dilectus 15 - De temp. ordin.* - Haec Tridentini dispositio a Const. - *Apost. Sedis* - fuit confirmata, una facta exceptione, legitur enim: « Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam (*Sess. 24, De Ref. c. 6*) in quibuscumque censuris Apostolicae Sedis hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis *quas eidem Sedi Apostolicae* SPECIALI MODO reservatas declaramus ». - Sed haec concessio Tridentina a Const. *Ap. Sedis* confirmata eos tantum respicit qui pollent Episcopali potestate. Nam antea decreverat: « Ceterum decernimus in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit nullo modo ac ratione intelligi umquam debere aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Rom. Pont. reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit; quae vero privilegia aut facultates sive a Praedecessoribus nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto etiam Regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam omni mentione digno a quovis umquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia easque omnes nostra hac

Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus; minime vero refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis vel non in Corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus et quavis confirmatione Apostolica vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intondimus et derogamus ».

Equidem privilegia absolvendi a reservatis in Const. *Bullae Coenae,* et ab aliis Papae reservatis aut Ordinariis locorum, etsi iure dioecesano reservati fuerint, adempta sunt omnibus a Paulo V decreto *7 Ian. 1617.* Et quum nuper quaesitum sit an Praelati Regulares post Const. *Ap. Sedis* vi privilegiorum possint suos Sacerdotes absolvere a casibus papalibus in hac Const. simpliciter Papae reservatis, S. Poenit. 5 *Decembris 1873* respondit: « *Negative, salvis aliis facultatibus quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis* ». Quae *particulares* et *temporaneae* concessiones in odiosis non veniunt nomine privilegiorum regularium. Atque ex rescripto *S. U. Inq. 22 Martii 1881* nomine Episcoporum, in concessione facta a Concil Trid. *Sess. 24 c. 6. De ref.* et confirmata a Const. *Ap. Sedis,* veniunt etiam Praelati Ordinum Reg. sed quoad subditos suos et quoad casus vel Episcopis in Const. *Ap. Sed.* reservatos, vel ad internum suorum Ordinum regimen pertinentes, quamvis R. P. reservati sint, dummodo in Const. *Ap. Sed.* non exprimantur.

113. Inter solutionem a vinculis poenae et a peccatis sane intercedit necessaria differentia, nempe peccata prosolvuntur vel omnia (1) vel nulla; poenae vero dispensantur vel absol-

(1) Hac de causa peccata absolvuntur etiam *indirecte;* ea nempe quae quis absque sua culpa praetermittit vel ex oblivione vel ex impos-

vuntur vel omnes, vel nonnullae vel partim vel universim. Peccatorum enim absolutio nos reconciliat Deo, cui amici et inimici eodem tempore esse non possumus: at ablatio vinculi poenalis aufert effectus iuridicos non a nostra voluntate constitutos, sed ab auctoritate superioris qui valet, resoluto uno poenae vinculo, alium relinquere intactum; ex. gr. quis ex pluribus incursis censuris ab una tantum absolvi potest vel a pluribus vel ab omnibus. - Proinde quis invitus et reluctans absolutione vel dispensatione donari potest.

114. Verum absque actu positivo *dispensationis* vel *absolutionis* resolvitur vinculum poenale, quod vel ad certum tempus vel sub conditione *resolutiva* impositum fuit. Censurae ad certum tempus haud inferri possunt, uti iam explicavimus; quare si usus alicuius iuris spiritualis interdicatur *ad certum tempus*, non *censura* habetur sed *poena*. Censura autem ferri valet sub conditione resolutiva; quando ita edicatur; eris excommunicatus vel suspensus quousque illam rem restitueris aut illud praestiteris.

115. Praeterea *absolutio* et *dispensatio* dantur etiam sub conditione suspensiva; seu *nunc* conceduntur sed pro *tunc* valebunt; seu quando conditio adimpleta fuerit. - Denique *absolutio* sed non *dispensatio* conceditur sub conditione *resolutiva* seu ad *reincidentiam;* adeo ut iterum quis incidat in censuram ob non impletam conditionem. Veluti Titius absolvitur, sub ea tamen conditione ut satisfaciat parti laesae, quod si non praestiterit, in eamdem reincidat censuram. Haec conditio *reincidentiae* addi potest vel *a iure*, nempe a lege ipsa, vel *ad homine*, scilicet ab officio iudicis. Ita *a iure*, veluti *arg. cap. 22, De sent. ex.*

sibilitate confitendi aut quae illi confitetur eadem absolvendi potestate non pollenti. Tunc si is alia peccata rite confessus sit et haec remittantur, reliqua *indirecte* remittantur oportet. Sed censurae *indirecte* non absolvuntur; quia resoluto uno vinculo, aliae censurae incolumes permanere valent.

in 6, statutum fuit sub conditione reincidentiae adeundum esse superiorem ab eo qui diuturno impedimento, vel mortis periculo detentus fuit, quominus ad superiorem confugeret pro obtinenda censurae absolutione, quae proinde, instante necessitate, concessa fuit ab inferiore. *Ab homine* vero additur haec conditio quando iudex absolvens, sua auctoritate, decretum addit reincidentiae; quod tamen sive *a iure* sive *ab homine* non censetur editum, nisi expresse denuncietur. - Ante impletam conditionem resolutivam, absolutio pridem obtenta aufert vinculum censurae quae proinde non eodem *numero* sed eadem *specie* incurritur, si conditio non adimpleatur. Quare in censuram non reinciditur nisi adfuerit contumacia contra decretum reincidentiae, et nisi iudex qui hoc ediderit, fuerit aliunde competens ad censuras ferendas. Cf. D'Annibale (*I, n. 354*).

116. At dispensationem quod spectat, haec non conceditur *ad reincidentiam*, quia poenae proprie dictae non incurruntur *per contumaciam* seu non sunt directius ordinatae ad medelam singulorum, quamobrem debeant perseverare, quousque pateat, delinquentem a legis contemptu seu a *contumacia* recessisse. Hac de causa factum est, censuras absolvi oportere sub lege reincidentiae a *iure* vel *ab homine* lata. Verumtamen, per se, nihil prohibet, quominus Praelatus poenam dispenset sub ea conditione ut dispensatus si aliquid non praestat, iterum vinculo eiusdem poenae constringatur. Sed ordinario iure istud remedium non iubetur; et, suapte natura, reincidentiae conditio non *dispensationi* sed *absolutioni* convenit; quia, uti significat ipsum vocabulum - *reincidentia* -, seu in censuram relabi, pendet maxime ab ipsa voluntate contumacis; non ita vinculum poenae proprie dictae.

Quaeritur vero an possit revocari dispensatio semel concessa. Et affirmativa sententia videtur admodum verior, quia radicaliter vinculum prohibitionis in ipsa lege semper perseverat; ita Sanchez, *Lib. 8, De matr. apud Thesaurum, op. cit. P. I, c. 20.*

117. Per dispensationem aut absolutionem poenae vinculum penitus resolvitur; sed praeterea inquiri debet, an, permanente poena, valeant eius effectus, saltem ad unum actum, *suspendi*, adeo ut actus valide ponatur ab eo qui poena mulctatus, impar eidem ponendo evaserat. Hoc obtinetur per poenae *suspensionem*.

Nos loquimur de *suspendenda* poena iam commissa; quare huc non spectat *suspensio* quae habetur per appellationem; nam haec habet effectum *suspensivum*, nedum *devolutivum*, adversus sententias defenitivas quae secum non trahunt executionem. Atqui censurae hoc habent proprium ut statim ac sunt irrogatae *sive ipso facto* incurrendae sive per sententiam *condemnatoriam*, secumferant executionem; quare appellatio habet effectum tantum *devolutivum*, arg. *c. c. 37, 53 § 1, De appel. X* (II. 28) *et 8. De off. ord. X* (I. 31). Sed tum sententia dumtaxat censurarum comminatoria tum declaratoria de incursa censura, appellatione suspendi valent, quia hisce non continetur censurae irrogatio, sed prima hanc minatur, altera istam subaudit. Haec parere intendit effectus notorietatis iuris, quos effectus suspendit apposita appellatio. Cf. *Thesaur. P. I c. 25, Tertio.* - Reliquae autem poenae proprie dictae nisi *ipso facto* seu *ipso iure* incurrantur sed sint *ferendae sententiae*, per sententiam condemnatoriam irrogatae suspenduntur per appellationem.

Poenas iam incursas suspendi posse a Rom. Pontifice, explorati iuris est; quippe iste valens quodcumque resolvere vinculum poenale, non minus potest eiusdem effectum ad aliquem actum suspendere. Quotidianum exemplum habemus in Bullis Pontificiis quae censurarum continent absolutionem ad eum tantum effectum, obtinendi gratiam vel privilegium vel beneficium in rescripto expressum. Hic habetur censurarum simplex *suspensio* (1). Nullum dubium alias poenas, veluti irre-

(1) Ait *Thesaurus l. cit. Secundo:* « Talis igitur est absolutio quam apponit Papa in suis litteris ad illarum effectum absolvens; et talis est

gularitatem, posse Romanum Pontificem suspendere ad unum vel ad alterum actum vel effectum tantum.

118. Quaerunt DD., an Episcopo integrum sit non secus ac Papae taliter suspendere censuras vel alias poenas a se latas, utputa ad effectum conferendi beneficium cuidam excommunicato. Et communior sentantia et longe verior negat, quia ius commune quo poenarum effectus constituuntur, determinat poenas tolli per *absolutionem* aut *dispensationem* sed de *suspensione* nihil cavet, quam tantum Pontifex in Ecclesia statuit ob praevalentem auctoritatem in ipsum ius commune; ita Suarez, *De cens. V, 4, 7*, item *Thesaurus l. cit.* qui tamen addit: « Et haec est magis communis; quamvis contraria sit probabilis multorum, quod Episcopus (1) (non tamen inferior Praelatus) possit absolvere modo praedicto ad certum actum e. g. conferendi beneficium excommunicato, suspenso, si talis sit censura qua ipse possit absolvere iure ordinario ». Arbitror Episcopos non debere uti hac opinione, ita auferentes poenarum effectus *iure communi* statutos, non resoluta poena; sed tamen, stante dubio iuris, eos non esse inquietandos, qui, hac ratione, beneficium aut privilegium obtinuerint (2), quae Episcopus non intendebat conferre nisi praehabita *suspensione* effectus poenalis.

absolutio quae datur, nominatim excommunicatis, in Sacra Poenit. per octo dies ad effectum consequendi Indulgentias Urbis ». In concessione Iubilaei datur facultas confessariis approbatis absolvendi fideles a casibus reservatis papalibus; ab his quoque reservatis iure speciali Ordinariis; saltem iuxta probabilem sententiam, nec non a censuris *ab homine*; at *ab his* dumtaxat ad effectum lucrandi Iubilaeum.

(1) Verum si iure communi non prohibetur Episcopo, non patet ratio cur prohibeatur Praelato inferiori; quum nihil in iure caveatur.

(2) Recensent D. D. alium modum suspensionis; eum nempe qui provenit ex dilatione quam concedit creditor debitori sub poena excommunicationis obligato a iudice ad rem debitam certo tempore et modo praestandam. Communior est opinio, integrum esse creditori ita suspendere censurae irrogationem concedendo dilationem; Suarez, *III, c. 8.* Sed alii

Caput II.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

Summarium. — 119. Censurae, ordinario, absolutione vel *conditionata* solvuntur; sed absolvi possunt etiam sub conditione *resolutiva.* — 120. Explanatur quidam textus cl. Sebas. Berardi. — 121. Cuinam competat a censuris absolvere *ab homine* latis seu *irrogatis.* - Quaeritur an sententia *declaratoria* et an *denunciatio* censurati unde hic evadit *vitandus,* illud operentur, quoad absolutionem censurae, ut haec censeatur quasi *ab homine* - Traditur regula qua dignoscitur, an absolutio praepostere concessa, dicenda sit tantum *illicita* vel etiam *invalida.* — 122. De absolvendi potestate pendente iudicio appellationis. De hac potostate in iudicibus delegatis. — 123. De eadem potestate extra casum appellationis. — 124. De censuris *latae sent.* reservatis aut non reservatis, absolvendis. — 125. Quum aliquod obstat impedimentum vel *perpetuum,* vel *diuturnum* vel *breve,* adeundi superiorem utrum et quomodo cesset reservatio. — 126. Ex iure novissimo aliquae inductae sunt mutationes quod ad casus Papae reservatos. — 127. Aliquid speciale est pro iis censuratis qui in *articulo seu periculo mortis* versantur. — 128. An absolvantur censurae quarum quis obliviscitur; quasque proinde non submittit absolutioni seu an concedatur absolutio *indirecta.* — 129. De modo seu forma impertiendi absolutionem. — 130. De cautionibus quibus comprobatur recessus contumaciae in absolvendo. — 131. De censura absolvenda dubie incursa, aut aliquâ urgente de causa, extra ordinem, absolvenda; seu de absolutione *ad cautelam.*

119. Modo aliquid, in specie, praestat dispicere de absolutione a censuris; scilicet nonnulla recolere quae in antecessum innuimus, eaque latius explanare.

In primis antequam absolutio detur, advertatur an res sit de censura *absolvenda* an potius de poena *dispensanda.* Siqui-

exquirunt iudicis consensum; ita *Thesaurus l. c. 25;* sed hoc non videtur necessarium; quia dilata debiti praestatione, materia delicti, quoad terminum antea praestitutum, aufertur.

dem poena haberetur, non censura, si ad certum tempus prohibitio usus alicuius iuris fuisset inflicta.

Absolutio autem dari potest conditione etiam *de futuro* vel *suspensiva*, veluti his verbis: *ego te absolvo a censuris, sed absolutio valere incipiat a momento quo hoc vel illud praestiteris* (1); vel *resolutiva*, nempe ad reincidentiam. Cf. Suarez, *VII, 8, 5, seq.*

Sed quaeritur an censura ita ferri valeat, ut resolvatur, ulla intercedente absolutione, veluti quum fertur sub *conditione resolutiva*. - Porro convenit apud DD. ita ferri posse censuram; et revera dicendum est, non deesse decretum absolutionis sed ipsum contineri in ipsa irrogatione censurae sub hac conditione editae. Cf. *Thesaurus P. I. 26* (2).

Re quidem vera inest cuique absolutionis actui generalis conditio; nempe absolutionem valere si a contumacia recessum sit. Quare absolutio, per se, est *illicita* si concedatur reo qui non resipuerit; *invalida* praeterea est, si absolutio reo adhuc contumaci ab eo detur qui legem aut praeceptum aut sententiam unde cen-

(1) Sed parcius hac ratione absolvendi utendum est; quia est *ipse reus* qui in momento adimpletae conditionis iudicare debet an absolutus evaserit vel minus; sed in genere *nemo iudex in causa propria.*

(2) Videtur contradicere Suarez, *XIX, 1, 5*, qui observat hanc conditonem non facere actum revera conditionatum; quia huiusmodi conditio, nempe resipiscentiae, semper inest in decreta censura; ceterum TACITI *et expressi eadem est conditio;* iuxta notum principium: *ea quae tacite insunt, si fuerint expressa, non faciunt actum conditionatum*; *arg. l. l. 69, 98. De hered. ins.* - Sed contra adverti debet, etiam conditiones in hisce actibus apponi posse cum effectu resolutivo, quando haec sit *expressa* voluntas apponentis conditiones. Ergo non sufficit *expressio* conditionis sed requiritur expressio voluntatis apponendi conditionem cum *tali effectu;* siquidem tacita inest *conditio resipiscentiae* pro obtinenda absolutione, sed non inest *effectus* absolutionis *ipso facto* concessae, statim ac resipiscentia vigeat in censurato. Atqui Suarez non satis probat, hoc esse alienum vel a iure positivo vel a natura censurarum.

sura lata est, abrogare, revocare non valet. Nam, vigente lege, praecepto aut sententia, etsi valeret absolutio, absolutus, ob contumaciam, statim in eamdem relaberetur censuram.

120. Quo clarior pateat ratio relaxandi censuras iam a fideli commissas advertantur haec verba cl. Berardi *in Comm. in Ius Eccl. Univ. V. II, P. 2, Diss. 3, cap. 11:* « Delentur autem censurae septem modis, *abrogatione, revocatione, cassatione, morte ferentis, morte notati, lapsu temporis* et *absolutione* ». Nam unum cum altero non pugnat, dummodo cuiusque modi diversa ratio distinguatur. Porro explorati iuris est, *censuram iam incursam* non tolli nisi *absolutione;* sed legem ipsam *censuram* ferentem tolli *abrogatione, revocatione, cassatione* (1); praeceptum vero seu censuram *ab homine* tolli *morte ferentis*, si censura nondum sit incursa, vidimus suo loco, quando sit verum et quomodo intelligendum. At *lapsu temporis* censurae proprie dictae non tolluntur et solummodo censurae *impropriae* seu *poenae* resolvuntur veluti suspensio ad mensem inflicta. *Morte notati*, cessante subiecto, necessario censura deficit, veluti suspensio vel etiam olim excommunicatio minor, quae prohibent ab usu *personali* quorumdam iurium spiritualium; quare mortuo subiecto, istae cessent ipso facto necessarium est. Sed censura *excommunicationis* et *interdicti*, quoad nonnullos effectus perseverat; nempe quoad exclusionem a comunione fidelium et participatione *passiva* quorumdam bonorum spiritualium quae Ecclesiae dispensationi subiiciuntur, unde ab hos tollendos effectus requiritur absolutio. Sub hoc respectu, ab Ecclesia mortuus censuratus, excommunicatione maiore aut interdicto, absolvitur, prouti etiam mortuus censura dicitur percelli; nempe quoad iura mortuis fidelibus competentia, veluti sepulturae. *Thesaur l. c. c. 24, Resp. V, et cap. 28. De sent. excom. X* (V. 39). Suspensionis vero effectus perdu-

(1) *Cassatione* praeterea, intelliguntur tolli censurae ex decreto iudicis appellationis qui sententiae iniustae et nullae sed publice cognitae aut denunciatae, quoscumque aufert effectus.

rare post mortem nullimode possunt, cum consistant in prohibitione ab exercitio potestatis ordinis aut iurisdictionis.

Patet ergo censuram *iam incursam* si casum demas censurae inflictae sub conditione *resolutiva*, solum *per absolutionem* tolli et penitus resolvi.

121. Modo dispiciendum est, quinam a censuris absolvere valeat. Et hic recolimus quae iam explicavimus. - Iamvero absolutio a censuris latis *ab homine* non potest dari ab eo qui est inferior iudice censuram ferente, sive eam hic tulerit vel per modum *praecepti* specialis *de futuro* seu sub conditione (veluti eris suspensus, nisi intra mensem hoc facias) vel per *sententiam condemnatoriam* seu applicantem censuram *ferendae sententiae*, vel per sententiam particularem, censuram, sua auctoritate, causa cognita, irrogantem. - Quando et quomodo iudex superior in iudicio appellationis absolutionem impertire valeat, infra enucleatius dicemus.

Si vero iudex denunciet per sententiam *declaratoriam* seu publice denunciantem aliquem censura innodatum esse, tunc pendente iudicio declarationis ne ordo iurisdictionum pervertatur et ne videatur fieri offensio iudici qui negotium occupavit et in suam traxit cognitionem, sive censura sit *a iure* sive sit *ab homine* alii iudices, aliunde competentes, abstinebunt a concedenda absolutione quae tamen valeret (1) si ab eo concedatur qui competentem habet potestatem.

(1) In propositum cl. Berardi *l. cit.* haec habet: « Si de censura proprie dicta sermo sit, multum iterum interest, an sententia *declaratoria* fuerit abs alio iudice pronunciata an minus. Si sententia iam pronunciata fuerit ad eum absolutio *pertinet,* qui sententiam declaratoriam pronunciavit, nisi specialis obsit observatio, gratia Praelati Superioris; idem enim observatur in proposito, quod viget, ubi censura abs iudice ipso lata fuisset; quia iudex sententia sua alterius cuiuscumque iurisdictionem censuram publicando sive palam denunciando praevenerit ». Cf. *cap. 1 De maiorit. et ob. X* (I. 33).

Imo absoluta etiam cognitione iudiciali quae desinat in prolationem sententiae declaratoriae, censura taliter declarata, si *a iure* sit *l. s.* nemini reservata, censetur veluti affecta, quod ad absolutionem, iudici declaranti, quasi *censura ab homine*, uti recte notat Berardi *l. cit.* - Nam qui passus est, edi sententiam declarantem eius contumaciam et hinc censuram commissam, iam est contumax in iudicem declarantem, et absolvi non debet quin satisfecerit huic iudici, scilicet, *si casus non sit reservatus*, ab eo petendo absolutionem. - Etenim declaratio censurae iam incursae, non est censurae irrogatio, at absolutio data ab alio iudice, ceterum competente, inaudito iudice *declarante*, est *illicita* sed *valida*. - *Illicita* vero est, quippe ordo expostulabat ut satisfieret iudici *declaranti*. - Quamobrem si agatur de censura *ab homine* et alius iudex censuram *tulit*, alius *declaravit*, censuratus antequam absolvatur satisfacere debet et uni et alteri iudici.

Si vero agatur de eo qui censuram incurrit *l. sent. non reser.* sed postea *denunciato* ad effectum eumdem reddendi *vitandum*, non videtur ambigendum, huiusmodi censuratum absolvi non posse nisi a iudice *denunciante*. Etenim haec denunciatio importat novum vinculum poenae et *illius est solvere qui ligavit*, adeo ut absolutio nedum *illicita* sed *invalida* sit quae ab alio iudice impertiri contingat nisi ei censura sit reservata. - Caput 29, *De sent. ex. X*, agit de nominatim excommunicato, et de eo qui isti communicat in crimine criminoso et decernit, unum et alterum non posse absolvi nisi a iudice qui illum nominatim excommunicavit. Cf. Sayrus, *III, 20-29 seq.*, Suarez, *XIX, 2, 5.*

Exinde colligitur regula qua cognoscitur an absolutio praepostere impertita sit *invalida*, an *valida* sit sed *illicita*. Principium enim hoc est: *illius est solvere qui ligavit;* unde omnes censurae *ab homine* sunt reservatae; censurae autem *a iure l. s.*, suapte natura essent reservatae legis latori; sed, ob expressam iuris voluntatem, non sunt reservatae, nisi reser-

vatio decernatur. - Porro qui absolvendi potestate est destitutus ob reservationem qua afficitur censura et nihilominus absolvit, nihil agit; *arg. cap. 11, De privil. X* (V, 33); - quando vero censura *l. s.* non est reservata sed censuratus percellitur sententia *declaratoria*, tunc absolutio quae detur ab alio quam a iudice declarante est *valida* sed non *licita*. - Item alii defectus quibus laborat absolutio data ab eo qui potestatem habet absolvendi sed absolvit quin censuratus congrue satisfecerit et purgaverit contumaciam, prouti diximus de casu quo censura *ab homine*, ab alio iudice *declaratur*, huiusmodi nempe defectus absolutionem aliunde *validam*, reddunt minus *licitam*. Cf. Suarez, *VII, 2, ll. seq.*

122. Quae diximus de censuris *ab homine* latis absolvendis, vigent quoad iudices inferiores iudice sententiam ferente; quoad vero Superiores vel aequales, nonnulla explicanda sunt. Cf. *c. c. 29, 40, 48. De sent. excom. X, et 7 eiusd. tit. in 6.* (V. 11).

Sane Papa, omnes et quocumque modo censuratos valide absolvere potest; ad liceitatem vero et Ipse uti debet sua potestate in aedificationem non in destructionem. Praeterea Papa si manus apponat in sententiam censurae *ab homine* latae eamdem confirmando vel in forma *communi* vel in forma *specifica*, sibi videtur reservare censurae absolutionem, quam iudex qui censuram tulit, concedere non potest, salva reverentia in auctoritatem Pontificis; nimirum *illicite* sed *valide* absolvit; siquidem confirmatio Papae limitat sed non aufert potestatem inferioris. - Aufert autem Papa, quotiescumque, positivo decreto, sibi reservat censuram *ab homine* latam; prouti edictum est in *cap, 19 De sent. excom.* X (V. 39) quoad excommunicationes latas *in incendiarios;* et cap. 29 *De praeb. et dig.* X (III. 5) quoad suspensiones latas a Conc. Prov. in conferentes beneficia indignis. Sed hae reservationes a moribus recesserunt.

Alii superiores relate ad inferiorem, scilicet Archiepiscopi

relate ad Episcopos suffraganeos, possunt absolvere tantum in casu appellationis *iudicialis*, aut *extraiudicialis*, *ex cit. cap.* 7. *h. tit. in 6.* Verum hoc idem caput praecipit ut iudex qui in gradu appellationis cognoscat omnino legitime appellantem censuratum fuisse, eumdem etsi a contumacia iam alienum pro absolutione obtinenda remittat ad iudicem censurantem; et hoc honestius et decentius est ad tutandam iudicis inferioris auctoritatem. Nihilominus si absolvat, absolutio valet quia appellans ratione appellationis, eiusdem iudicis fit subditus. Proinde nulla habetur ratio cur iudex appellationis differat absolutionem, aut remittat censuratum ad iudicem censurantem si censura appareat minus legitima et minus iusta vel inopportuna.

Denique ne ordo iudicialis nimis implicet absolvendi facultatem, statutum est, quod si dubium sit an iusta sit vel iniusta censura vel difficile sit censuratum remittere ad censurantem in primo casu absolvitur *ad cautelam;* in altero absolvitur sub *cautione*, quam praestat absolutus satisfaciendi debito modo et tempore censuranti. - Haec sunt verba Bonif. VIII in *cap.* 7 *De sent. ex. in 6;* ait enim § 3. « *Quod si dubitetur, utrum iusta sit vel iniusta* (censura) *Superior* (*nisi excommunicatori deferat*) *relaxare iuxta formam Ecclesiae potest illam: quamquam honestius et convenientius agat, si ei deferat in hoc casu. Ubi autem Superiori competit de excommunicatione cognoscere absolutio seu relaxatio, quam ipse fecerit, tenet, licet forsitan sit iusta; quoniam etsi contra ius litigatoris, non tamen contra ius constitutionis absolvit* ». En criterium, quo iudicatur an absolutio *invalida* sit an sit *illicita.*

Haec potestas absolvendi censuras *ab hom.* ab inferioribus latas, pendet a iure appellationis. - Episcopi dumtaxat, praeter instantiam appellationis, valent relaxare censuras latas a iudicibus, sibi ierarchice subiectis, in dioecesi; utputa ab Archidiacono sed ut *licite* procedant, debent deferre iudici censuranti; *arg. cap. 3 De off. ord.* X.

Nihil autem prohibet quominus etiam pendente appellatione Episcopus valeat absolvere; arg. *cap. 8 De off. ord. X* (I. 31); et *cap, 10 De appell. in 6* (II. 15) quia appellatio non aufert iurisdictionem Ordinarii, imo in negotio censurarum ne suspendit quidem, quia censurae expostulant absolvi semel ac censuratus a contumacia recesserit. - Ex sensu contrario, quia contumacia provocat ad censuras, non obstante appellatione apud Superiorem introducta et absolutione ab eodem Superiore concessa, si reus in crimine pertinax perseveret, potest alia percelli censura ab Episcopo; *cap. 6 De off. ord.* X (I. 31).

Haec quae dicta sunt de iudicibus ordinariis, facile accommodantur Sedis Apost. delegatis. - Etenim si delegatus censuram tulerit, ad eum in primis pertinet absolutio, vel ad delegantem, vel ad successorém in eadem delegatione; arg. c. c. 11. § 1 *De off. ord. X;* et 26 *De off. iud. deleg. X*, ex quo evincitur intra annum tantummodo facultatem absolvendi in delegato perdurare. - Item ob ordinarias regulas quibus exercetur potestas iudicialis, delegatus potest absolvere a censura, de qua quaestio mota est apud eum vel quae impediret quo minus delegatus procederet in causa censurati; ex cap, 21, § 2, *De off. iud. deleg. X.*

Illud quoque in hac re exploratissimi iuris est, eos omnes qui ordinario iure absolvere possunt, posse alteri facultatem delegare; *arg. cap. 4, De off. deleg. X;* est enim haec potestas iurisdictionis quae alteri mandari potest.

123. Sed extra casum appellationis, nulla adest huiusmodi censuras absolvendi facultas in Praelato hierarchice superiore aut non inferiore iudice censurante. Proinde si casum fingamus, Episcopum censura *ab homine* notasse clericum in sua dioecesi peregrinum, sibi subditum effectum *ratione delicti*, hanc absolvere non potest suus Episcopus cum in dioecesim suam clericus se receperit; quem nec *valide* absolveret sive censura sit *ab homine* per praeceptum singulare, sive sit *ab homine* per sententiam

condemnatoriam vi censurae a iure latae *fer. sent.* Etenim hoc in casu *invalide* nedum *illicite* absolvit, si nullimode deferat iudici excommunicatori.

Uti iam explicavimus per sententiam *generalem* dicitur *ab ordinario* ferri censura, quando fertur pro uno singulo casu sed quoad omnes subditos, veluti si Episcopus censuram promulget contra omnes non denunciantes eum clericum qui certum crimen patravit. Quaeritur an haec censura sit reservata iudici ferenti. Quaestio huc reducitur ut definiatur an hae censurae habendae sint quasi latae *a iure,* vel *ab homine.* Si habeantur veluti *latae ab homine,* tunc evadunt reservatae *iudici ferenti;* si veluti *latae a iure* non sunt reservatae nisi espresse edicatur. Rem ita aestimandam esse, ut huiusmodi censura habeatur *ab homine* putat Suarez, *VII 2, 22, seq.;* sed alii, uti Navarrus, Leyman contra opinantur quippe has censuras habent, quasi latas *a iure* seu per statutum; et iure merito; quam sententiam Suarez dicit probabilem et moribus receptam esse. Hanc ergo tuti sequi possumus; ea quoque de causa quia versamur *in dubio iuris.*

124. De censuris vero *latae sententiae,* ipso iure incursis, sive a iure *communi* sive a iure *dioecesano* latis, haec animadvertantur. Si *non* sint *reservatae* absolvi possunt in *foro externo* a quolibet habente iurisdictionem pro eodem foro: in *interno* foro a quolibet confessario; ex *cit. cap. 29 De sent. ex X.* Absolutio autem concessa in *foro int.* prodest etiam pro *foro externo,* quando constet istam legitime fuisse obtentam. « *Attamen* (ait Suarez, *VII, 5, 29*) *ut possit quis publice absolutione uti necesse est ut de illa publice constet.... Ut autem publice censeatur constare satis est quod publice constet, illum fuisse confessum.... habenti potestatem.... dummodo satisfactio quae necessaria fuerit publice sit etiam exhibita* ». Si vero sint *reservatae,* tunc distingui debet nempe, an particulari iure contineantur, tunc enim sunt reservatae Ordinario loci, et aliis

Ordinariis locorum absolvendi non est facta concessio, etsi, mutato domicilio, censuratus istorum subditus factus sit; excepto casu necessitatis in quo pro salute animarum omnis reservatio cessat. Suarez *VII, 5, 29.* - Aut iure communi promulgatae sunt et reservatae Romano Pontifici, et tunc in iure communi cautum est;

1) Ex Concilio Trid. *Sess. 24, cap. 6, De reform.* quod Episcopi possint absolvere in *casibus occultis* Summo Pontifici reservatis *delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae;* quas conditiones iam explicavimus.

2) Ex iure Decretalium possunt Episcopi absolvere quotquot adire Superiorem non possunt aliquo detenti impedimento; lex enim ecclesiastica ad impossibile *morale* aut *physicum* non obligat seu non urget gravi cum incommodo; quocirca generatim possunt in huiusmodi casibus absolvere *mulieres, senes, valetudinarios* et omnes non sui iuris uti *servos, filios familias;* et etiam Regulares, quando hi absolvi non possint a suis Praelatis. Quamvis enim in Cap. - *Liceat* - Conc. Trid., ex communi D. D. interpretatione nomine Ordinarii seu Episcopi, veniant etiam Regulares Praelati quoad suos subditos, verum in censuras in Const. *Ap. Sedis* quocumque modo, reservatas Pontifici, nullam habent auctoritatem ordinariam; quippe expresse abrogatae fuerunt omnes contrariae concessiones et consuetudines; et hodie opus est *speciali* privilegio. - Episcoporum facultas, iure Decretalium constituta, descendens ex ipsa naturali aequitate, nullis circumscribitur limitibus, seu exerceri potest pro casibus publicis et occultis; dum e contra alia facta a Tridentino Concilio quoad *casus occultos* qui *simpliciter* Rom. Pont. sunt reservati, vidimus quot coarctetur limitationibus; pendet enim ex mera iuris benignitate: *arg. cap. 29, De s. ex. X.*

125. Sed quoad eos qui impedimento detinentur adeundi S. Sedem, adverti debet an impedimentum sit *perpetuum, diu-*

turnum aut *breve;* et distinguendum est *ius vetus* a iure *novissimo.* In primis explicemus id quod iure vetere Decretalium iubebatur.

Iamvero impedimentum habitum est quasi *perpetuum* quod protrahitur in *quinquennium* vel in tempus *indefinitum* et hoc prohibentur pauperes, milites, filii familias, ephebi in collegiis morantes; ii qui gravi et longa aegritudine laborant; et in genere omnes *iustas excusationes habentes quibus ab itinere rationabiliter excusentur; arg. cap. 11, huius tit. X.* - *Diuturnum* censetur impedimentum quod durat ultra sex menses; si citra hoc tempus, dicitur *breve.* - Porro, iubet *cap. 29, De sent. excom.* X, eos qui *perpetuo* vel *diuturno* laborant impedimento, absolvendos esse *a suo Episcopo vel proprio Sacerdote;* (1) de iis tamen qui *diuturno* (2) detinentur impedimento praecipitur in *c. c. 13. et 58* h. t. X. « *ut impedimento cessante ad Apostolicam Sedem accedant mandatum ipsius humiliter suscepturi* ». - Qui *brevi* laborant impedimento, per se absolvi non debent, nisi gravis instet necessitas; veluti relaxandi censuram qua clericus irretitur ne hic celebrans fiat irregularis; vel ne quis repellatur a communione corporis Dñi; et etiam a confessione; sed quoad confessionem advertit D'An-

(1) Solemne est in iure; *casus Papales, si papam adiri non potest, fieri Episcopales;* - sed DD. quaerunt an *in cit. cap.* dicatur *disiunctive* a *suo Episcopo* vel *a proprio Sacerdote;* vel *subrogative.* Dici *subrogative* est magis *verum;* sed est probabile, ex DD. sententia, hoc *disiunctive* intelligi posse. Ergo non est inquietaudus qui hac secunda opinione, in praxi, usus sit; qui nimirum recursum habeat ad confessarium, non ad Episcopum, vigente impedimento adeundi S. Sedem. - Imo hodie post editum decretum *23 Iun. 1886*, infra expendendum, quaestio resoluta est; adeo ut pateat recursus aeque ad Episcopum aut ad confessarium. Cf. cl. Bucceroni, *Comm. De cens. n. 51.*

(2) Nam, *iure Decretalium* qui *perpetuo* laborant impedimento absolvuntur *absolute,* seu nulla imposita obligatione adendi S. Sedem, etsi impedimentum *forte* cesset.

nibale (*I. 348 n. 33*) manentibus censuris, peccata absolvi posse, nempe *indirecte.* Equidem est grave incommodum permanere censuratum ex simplici defectu copiae superioris; at in hoc consistit poena; neque ista videtur sufficiens ratio quare ab inferiore quis absolvatur etsi *breve* tantum obstet impedimentum adeundi superiorem. S. Alphons. *VI, 265.* - Qui vero *diuturno* vel *brevi* laborant impedimento, si absolvantur, imponenda semper est obligatio *adeundi S. Sedem ad eius mandata suscipienda* pro congrua satisfactione reddenda semel ac cessaverit impedimentum; cui conditioni si non obtemperet absolutus reincidit in eamdem censuram, *arg. c. c. 11, 58 De sent. excom. X; et 22 eius. tit. in 6.* - Quaerunt DD. an haec vigeant etiam quoad casus reservatos Episcopis, iure dioecesano, vel alias iure speciali. Nonnulli negant; veluti Suarez *De Poenit. 30, 3, 11;* alii affirmant, et iure merito quia *c. c. 29 De sent. excom.* X. et *22 eiusd. tit. in 6.* cavent, in genere, de censuris reservatis; cf. Gury Ballerini II. 575. et D'Annibale I. *348.* Haec sententia pro praxi tuta est.

126. Iure *novissimo* pro casibus quibus adest impedimentum vel *perpetuum,* vel *diuturnum,* vel *breve* inductae sunt certae praescriptiones, quae utpote invectae expresse quod ad casus Rom. Pont. reservatos, extendi non possunt ad casus reservatos Ordinariis, ex iure speciali. - Porro apud veteres DD. quaestio erat an quis impeditus adire Superiorem, saltem *per litteras* ab eo expetere teneretur veniam absolutionis. Auctore S. Alphonso (*VI 563, d. 3*) communior sententia affirmabat; quae sententia facta est, processu temporis, communissima; quia facilior usque habita est et tutior ratio litterarum expediendarum et recipiendarum.

Interea S. Cong. S. U. Inquisitionis quoad casus absolvendos *Papae reservatos,* satisfecit his dubiis *sub die 23 Iun. 1886,* nempe I. *Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet Sacerdotem approba-*

tum devolvi absolutionem casuum et censurarum etiam SPECIALI MODO *Papae reservatorum quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem?* II. *Quatenus negative, - Utrum recurrendum sit, saltem per litteras, ad Eñum Card. Maiorem Poenit. pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem* »; prodiit enim rescriptum a Papa approbatum et confirmatum, ita conceptum, ad I. « *Attenta praxi S. Poenitentiariae praesertim ab edita constitutione Apostolica san. mem. Pii P.P. IX* quae incipit *Apost. Sedis. - Negative - ad* II. *Affirmative; at in casibus urgentioribus in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, iniunctis de more iniungendis, a censuris etiam* (1)

(1) In propositum huius decreti (*23 Iun. 1886 ex S. O.*) cl. Bucceroni *Commentarii - De casibus reservatis et de censuris -* n. 59 seq. elegantem et magni ponderis agitat quaestionem; quomodo nempe per hoc simplex decretum nulla *promulgatione* denunciatum et in *forma communi* consueta a Pontifice approbatum, potuerit mutari ius *vetus* et induci *novissimum* ius. Exinde refert « *quod .. plures quidem dubitarunt de vi obligandi talis decreti* et ita dubitando revera visi sunt ... Cf. Ballerini *nota* (a) *n. 130 V. I. Compend.* P. Gury; S. Alphons. I. *1, n. 106,* Pichler *Prolegom. n. 46,* Schmalzgrueber, *Dissert. Prooemial. n. 373, 377,* Reiffenst. *Prooem. in Ius can. n. 130, 134* ». Deinde hic Auctor postquam retulerit aliorum DD. sententiam qui hisce decretis plenam vim asserunt quin ullam requirant promulgationem in huiusmodi actis S. Sedis, suam sententiam ita significat: « Verum alia est ratio praedictum decretum considerandi quae utpote magis conformis receptis principiis et rationi nobis omnino probatur. Decretum hoc nova quaedam lex non est, sed legis et iuris praeexistentis interpretatio.... Iamvero si Decretum hoc non est nisi mera declaratio iuris et legis ad hoc uti vim obligandi habeat non requiritur specialis seu in *forma specifica* approbatio, neque solemnis eius promulgatio requiritur, sed sufficit omnino communis seu in *forma communi* approbatio; et simplex *publicatio,* nempe uti simpliciter innotescat ». Arbitratur vero hic Auctor,

speciali modo S. Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem ».

Et hoc iussum editum quoad casus Papae reservatos sive SIMPLICITER sive SPECIALI *modo*, per se non pertinet ad casus

huiusmodi decretum esse *declarativum*, quippe « immutatis iam circumstantiis omnibus societatis et commercii, difficultatis itinerum et transmissionis epistolarum, S. Cong. *declarat*, impedimentum nunc accedendi ad S. Pontificem, ita ut inferior confessarius absolvere possit a censuris R. P. reservatis, non adesse nisi quando quis non tantum non possit personaliter Romam venire, sed neque, ob temporis angustias, possit saltem per epistolam absolutionem petere. Quare impedimentum quod antea aderat, non erat nisi impedimentum personalis accessus, impedimentum quod nunc adest, temporum circumstantiis immutatis, *est impedimentum personalis accessus et per epistolam* ». Veruntamen, pace dixerim cl. Auctoris, huiusmodi decretum nullimode potest recenseri inter legis praeexistentis declarationes, nempe inter *declaratorias interpretationes*. Nam interpretationes *declarativae* debent esse explicativae sensus legis obscuri et dubii, seu sunt *comprehensivae*, uti loquuntur doctores et discrepant ab *extensivis*; et rem ita explicat Schmalzgrueber *Prooem.* § *IX n. 378* aiens, interpretationes « COMPREHENSIVAE *sunt si sensus sic declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedat.* EXTENSIVAE *si illam egrediantur* etc. » Atqui in iure Decretalium iuxta *propriam et usu receptam significationem verborum* nullimode continebatur iussum expostulandi absolutionem per litteras; quae obligatio neque in *spiritu* legis seu in *intentione* Legislatoris reperiri posset, siquidem adeo erat remota a conditionibus illorum temporum. Quum nec *verba* nec *spiritus* legis, iure Decretalium, continerent obligationem recurrendi per litteras; ergo ista inducta fuit per *extensionem legis* de uno casu ad alium; quae extensio improprie dicitur *interpretatio*; nam est nova lex, seu novum iussum; et interpretatio, *improprie*, dici potest quia veteris et novae legis eadem est *ratio; sed ratio legis non est lex.* - Quocirca aliud fundamentum magis solidum constitui debet huic decreto ne vacillet cum tanto discrimine hodiernae disciplinae; et arbitramur istud fundamentum plane firmissimum constitutum fuisse in ratione qua publicantur haec decreta. Etenim publicantur *per actum authenticum iussu Rom. Pontificis;* unde patet voluntas

Ordinariis reservatos, (1) iure speciali, uti iam adverti. Nihilominus ratio adest probabilis sequendi hunc morem quotiescumque tute et facile epistola dari queat ad Ordinarium pro absolutione impetranda; et confessarii prudenter hunc morem persuadere valent, sed tamen non iubere.

Posthac dubitatum est inter DD., *primo* utrum rescripto antea allato obtemperare deberent etiam poenitentes *perpetuo* impedimento detenti; et *secundo* an *poena reincidentiae* se referret ad casus tantum *simpliciter* Papae reservatos; et responsum hoc prodiit ab eadem *S. Cong. S. R. Inq.* sub die *17*

legislatoris aliquid praecipiendi subditis et voluntas significatur per actum authenticum. Ex iure naturali nihil aliud requiritur *ad legem promulgandam* et hoc observatur hodie penes SS. Congregationes Rom., et alia Officia Curiae; unde PROMULGATIONIS nulla *habetur solemnitas*, et DIVULGATIONIS obtinet modus hodie magis frequentatus per ephemerides; at hic modus etiam destituitur quacumque iuridica solemnitate et exigitur ad ius naturale. Inde fit ut ipsa naturalis ratio doceat Praesules et fideles Ecclesiae Christi moneat, huiusmodi decreta religiose observanda esse statim ac constet haec decreta esse authentica seu exprimere Papae voluntatem. - Ceterum a controversiis DD. protegens sua edicta S. Officium *die 30 Mar. 1892* ad 5um dub. ita conceptum: « An Decretum S. O. 23 Iun. 1886 obliget ita ut praxis ante hoc decretum servata non sit *deinceps toleranda* - respondit - *Decretum diei 23 Iunii 1886 omnino obligare praximque contrariam tolerandam non esse.* » Et S. Poenitentiaria *die 7 Nov. 1888* ad 7um dub. ita expressum: « *Utrum tuta conscientia doceatur et in praxim deducatur ut quidam volunt, propter hodiernum periculum ne aperiantur epistolae a potestate civili, non requiri ut Epistola ad S. Pontificem dirigatur in casibus urgentioribus vel quando adire nequit Papa;* rescripsit - *Negative cum in precibus nomina et cognomina sint supprimenda.* - Haec late prosecuti sumus in Vol. II agentes - *de auctoritate actorum S. Sedis* - et magis in dies, ipsa experientia duce, nobis probantur conclusiones in quas devenimus in controversia tanti momenti.

(1) Hoc docet etiam Lehmkuhl II. 880. advertens non videri alienum ab Episcoporum auctoritate, si aliquid statuant de casibus a se ipsis reservatis quod concinat decreto S. Officii. - Item sentiunt *Ballerini-Palmieri.*

Iunii 1891: « Ad I. *Affirmative* - ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* »; Dubium enim II^{um} ita erat expressum. « *Utrum in responso* ad II. - clausula: SUB POENA TAMEN REINCIDENTIAE *in easdem censuras etc. referatur solummodo ad absolutionem a censuris et casibus* SPECIALI MODO *R. P. reservatis, an etiam ad absolutionem a censuris et casibus simpliciter P. reservatis* ».

Quare vi decreti diei *23 Iun. 1886* omnino immutatum est ius vetus *perpetuo* impeditis non imponens obligationem adeundi S. Sedem; cum hodie ex citato decreto etiam *perpetuo* impediti recurrere debeant infra mensem per se aut per litteras ad S. Sedem.

Demum hodie vi decreti *diei 30 Martii 1892* ad I^{um}, editi a S. Off., accessit alius modus satisfaciendi obligationi adeundi Superiorem reservantem; nempe petere novam absolutionem, saltem infra mensem, ab habente facultatem absolvendi ab huiusmodi censuris reservatis.

At fieri potest ut revera nullum urgeat impedimentum nec *breve* ac proinde differri posset absolutio *absque periculo gravis scandali aut infamiae;* sed valde durum sit permanere in peccato per tempus quo habetur recursus ad S. Sed. et congrua responsio; quare ex decreto S. Congr. Inq. *sub die 16 Iun. 1897* edictum fuit: « *in casu quo nec infamia nec scandalum est in absolutionis dilatione sed durum valde est pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplici confessario licet a censuris S. Pontificis reservatis directe absolvere, iniunctis de iure iniungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem poenas nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem* ». Advertatur in hoc decreto, absolutionem dari sub conditione *reincidentiae* quoad casus quomodocumquo reservatos; si enim hac conditione absolvitur, quoque obstante

impedimento *diuturno* recurrendi ad S. Sedem, multo magis ob *commodum* penitentis, sc. ne hic cogatur diutius permanere in peccato. - Denique nuperrime edictum fuit a quocumque recursu etiam per litteras excusari eos, qui hoc quominus praestarent, impedirentur; quaesitum enim fuit: « I. *Utrum decretum S. R. et U. Inquis, datum sub 23 Iun. 1886 intelligendum sit tantum de iis qui corporaliter S. Sedem adire nequeunt, vel etiam de iis qui ne per litteras quidem per se, neque per confessarium S. Sedem recurrere valent* ». « II. *Et quatenus decretum praedictum extendi debeat etiam ad eos qui ne per litteras quidem ad S. Sedem recurrere valent, quomodo se gerere debeat confessarius* »; rescriptum fuit a S. Cong. S. U. Inq. *die 9 Nov. 1898*: « *Ad I. et II. - Quando neque confessarius neque poenitens Epistolam ad S. Poenitentiariam mittere possunt et durum sit poenitenti adire alium confessarium, in hoc casu liceat confessario poenitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam, facto verbo cum Sanctissimo* ».

127. Responsiones hactenus relatae respiciunt omnigena impedimenta *perpetua, diuturna, brevia* et alios casus praeter tamen *articulum mortis* qui casus semper specialem indulgentiam obtinuit. Quapropter quaesitum fuit ab eadem S. Cong. III. « *Utrum auctores moderni post Const. Ap. Sed. (contra ius commune cap. Eos qui 22 De sent. ex. in 6, t. 11; cap. Ea noscitur. 13 De sent. excom. t. 39; et contra Rituale Rom. De Poenit. tit. III cap. 1, n. 23) recte doceant, ei qui in articulo mortis a quolibet confessario a quibusvis censuris quomodocumque reservatis absolutus fuerit, tunc solummodo imponendam esse obligationem sistendi Superiori, recuperata valetudine, si agatur de absolutione a censuris* SPECIALI MODO *reservatis; an huiusmodi recursus ad Superiorem etiam necessarius sit in absolutione a censuris simpliciter S. Pont. reservatis?* » et sub eodem *die 17 Iun. 1891 prodiit responsum, ad III:* « *Affirma-*

tive ad primam partem, negative ad secundam partem, iuxta resolutionem fer. IV, 28 Iun. 1882 ». Unde plura sunt specialia quoad hunc casum nempe *articulum mortis*. Tunc omnis *reservatio cessat*, uti monet Trid. *sess. 14, c. 7, De ref.;* et hinc 1) omnis sacerdos etsi non *approbatus* ad confessiones, absolutionem impertire valet - 2) non viget obligatio adeundi Superiorem nisi expresse praecipiatur. Praecipitur autem dumtaxat pro casibus *speciali modo* reservatis Rom. Pont. - Interim acris agitabatur quaestio inter DD. quomodo intelligenda essent illa verba Const. Ap. Sed., firmam esse *quoad absolutos* IN MORTIS ARTICULO *a censuris R. P.* SPECIALI MODO *reservatis obligationem* STANDI MANDATIS ECCLESIAE, *si convaluerint*, quia nonnulli, ita Gury-Ballerini, II, 952 et Cl. Bucceroni, *De cens.* §§ *65, 78, ed. 1885*, autumabant per haec verba *standi mandatis Ecclesiae* non exprimi satis obligationem *adeundi Superiorem;* sed contra opinabatur D'Annibale (I, 350) aiens hisce verbis contineri non secus ac in *Bulla Coenae* mandatum adeundi Superiorem. Verum proposito hoc dubio, sub n. VI: *Quoad absotionem censurarum specialiter reservatarum in articulo vel periculo mortis, dubitatur, utrum infirmus si convalescit et onus non adimplet se praesentandi Superiori, in eamdem excom. reincidat, an non;* - Sac. Cong. S. U. Inq. *die 14 Ian. 1892* respondit: « Ad VI Detur Decretum *fer. IV 19 Augusti 1891* super dubiis quae sequuntur: *1 an obligatio standi mandatis Ecclesiae a Bulla Ap. Sedis imposita sit sub poena reincidentiae vel non? 2. An obligatio standi mandatis Ecclesiae in sensu Bullae Ap. Sedis idem sonet ac obligatio se sistendi coram S. Pontifice vel an ab illa debeat distingui.* - Responsum: *Ad 1. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad 2. Obligationem standi mandatis Ecclesiae importare onus sive per se sive per confessarium ad S. Pontificem recurrendi* ». Qui recursus habendus est vel personalis vel per epistolam a poenitente vel a confessario mittendam.

Praeterea alia responsione, uti iam diximus, edita ab eadem S. Cong. *die 30 Martii 1892,* statutum fuit in clausula *standi mandatis ecclesiae* comprehendi facultatem ex parte illius qui absolutus fuit in articulo vel periculo mortis, *petendi novam absolutionem ab eo qui facultatem habet absolvendi a censuris R. P. speciali modo reservatis.*

Demum illam clausulam *in periculo seu in articulo mortis* ita interpretatur D'Annibale, *Comm. in Const. Ap. Sedis* § *238:* « Mortis articulum seu periculum, nam haec duo promiscue accipiuntur, significat illud rerum discrimen in quo et superesse et occumbere utrumque est vere graviterque probabile, sive illud sit ab intrinseco, ut puta morbo, vulnere inflicto, partu difficili, extrema senecta etc.; sive ab extrinseco, velut ex bello, navigatione periculosa et id genus ceteris ».

In summa, hodie quoad casus Rom. Pont. reservatos hoc viget ius. - Qui absolvuntur - praeter *articulum mortis* - a casibus Papae quomodocumque reservatis, quodcumque sit impedimentum, scilicet, *diuturnum, breve, perpetuum,* absolvuntur sub conditione *reincidentiae,* nimirum nisi infra mensem per se aut per confessarium saltem per epistolam recurrant ad S. Sedem, vel novam absolutionem petant ab habente facultatem absolvendi a casibus eiusmodi reservatis.

Praeterea, etsi non adsit *impedimentum* obtinendi absolutionem per unum ex praedictis modis, at sit grave *incommodum* in exequendis hisce modis ob tempus quo interea poenitens permanere debet in peccato, absolutio dari potest a confessario sub conditione tamen reincidentiae, seu nisi infra mensem uni ex tribus supra declaratis modis poenitens satisfaciat. - Denique quando *grave* sit, uni obtemperare ex hisce satisfactionis modis, licet confessario absolute absolvere. - Haec, praeter *articulum mortis.*

Nam in hoc periculo quisque confessarius etsi non *approbatus* absolvere valet quia omnis reservatio cessat; et dum-

taxat apposita est conditio, sub reincidentia, satisfaciendi uni ex *tribus* modis supra declaratis quando absolutio data est a censuris *speciali modo* Papae reservatis.

128. Censurae non absolvuntur *indirecte* veluti peccata; sed *directe* absolvi debent, siquidem una absolvi potest, altera perseverante vel etiam pluribus permanentibus. Unde si quis censurarum obliviscatur, quaeritur an hae absolvantur, quando alterius vel aliarum absolutio conceditur. Iamvero quia censuras solvere pendet *a potestate et voluntate absolventis*, si has intendit, vel in confuso, absolvere, qui absolutionem impertit, videntur etiam istae absolvi. In formula autem absolutionis exprimuntur haec verba « *Ego te absolvo* ab OMNI VINCULO *excommunicationis, suspensionis et interdicti*... quae formula satis exprimit voluntatem absolventis: cf. D'Annibale (I, 353). Sed contradicunt plures inter quos ipse S. Alphonsus (VI, 597). Verum ratione minus probabili, quia asserunt *absolutioni* praevium esse debere *iudicium Superioris*. Nam revera in primis requiritur *potestas* et *voluntas* absolvendi, unde valide absolvitur etiam *mortuus, inscius*, aut *contumax;* quare ex *potestate* et *voluntate,* non ex *iudicio* absolventis pensanda est vis absolutionis. - Revera nonnisi *directe* absolvuntur censurae; quare rescriptum editum a S. Officio atque ita expressum ad sequentem quaestionem, nempe: " *An absolutio data in casibus urgentioribus a censuris etiam* SPECIALI MODO *S. Pontifici reservatis, in sensu Decr. S. O. 23 Iun. 1886,* sit DIRECTA *vel tantum* INDIRECTA - R. *Affirmative ad 1*^am^*, negative ad 2*^am^ *partem* "; (S. O. *die 19 Aug. 1891 - 30 Martii 1892)* - intelligi ita debet ut *directe* dicantur absolvi quoque peccata taliter reservata, de quibus tantum potest esse quaestio quod absolutionem *directam* vel *indirectam.*

129. De modo dandi absolutionem haec teneantur:

1) Cum censura sit vinculum extrinsece *a iure* vel *ab homine* inductum, prouti potest quis pluribus huiusmodi vinculis

ligari, ita potest absolvi vel ab omnibus vel ab aliquibus tantum: dependet a potestate et a voluntate absolventis.

2) Debet dari *in forma Ecclesiae consueta*, constituta tum pro externo, tum pro foro interno. Iamvero *forma Ecclesiae consueta* ea est *pro foro interno* quae continetur in absolutione sacramentali; *pro foro externo* solemnis praescribitur in *Rit. Rom. De Sacram Poenit.* Quare nisi necessitas urgeat dari non debet absenti per litteras aut per internuncium; quia forma consueta requirit poenitentis absolvendi praesentiam.

3) Unde *expresse*, seu significata censura a qua absolvitur et intentione absolventis, non *tacite* dari debet absolutio; nam ex *c. c. 41. De sent. excom. X; Clem. ult. eod. tit.* (V, 10), statuitur censura notatum non censeri absolutum, ex eo quod communionem cum eo habuerit Pontifex Max., et eum cum honore exceperit. Nihilominus si *factum* manifeste positum sit ad significandam impertitam absolutionem, absque dubio ex huiusmodi facto evinci potest propositum absolvendi. Sed nisi evidenter facti intentio pateat, ista per praesumptionem coniici non potest.

4) Danda est cum plena causae cognitione; hinc non valet absolutio data ei qui in rationibus *motivis* falsam negotii exposuit narrationem; ex *c. c. 42 De sent. exc. X, et 5, De off. iud. del. X* (I. 29).

5) *Libere* etiam impertiri debet absolutio; proinde non valet absolutio per *metum gravem iniustum* extorta; ex *cap. unic. De iis quae vi met.* in *6* (I, 20). Tamen si *iniustus* non esset metus, absolutio valeret, siquidem censuratus *ius* habet ad absolutionem, quando recesserit a contumacia, parti laesae satisfecerit et humiliter absolutionem petierit.

6) E contra si Superior absolvat ex suo arbitrio, istis legitimis non extantibus causis et conditionibus, absolutio a censuris est *illicita* et etiam *invalida;* nimirum est semper *illicita*, est autem *invalida*, uti explicavimus supra, quotiescumque Su-

perior relaxare non valeat ipsam legem aut mandatum aut sententiam unde fertur censura.

130. Quia absolutio danda non est nisi absolvendus sit rite dispositus, hinc demum caveri debet, ut appositae dispositiones adsint, neque sint diridiculae aut fallaces. Sane recessus a contumacia secumfert ut delinqúens si quem laeserit, ei satisfaciat, *arg. c. 52 De sent. excom. X;* praeterea censuratus obtemperare debet mandatis Ecclesiae seu legitimi sui Praelati, cuius contempsit auctoritatem; arg. *c. c. 15 De sent. excom. X; 20, 21, 23. De appell. X* (II, 28), et *23 De verb. sig. X* (V, 10); et quidem haec satisfactio praecedere debet si iniuria est manifesta aut grave est scandalum; et hoc, quantum fieri potest, pro adiunctis rerum et personarum, arg. *c. cit 23 De verb. signif.* et *29 De off. deleg. X* (I, 29).

Proinde qui absolutionem obtinet, nondum reddita legitima satisfactione, cavere debet vel cautione *pignoraticia* vel saltem *fideiussoria*, vel, ad minus, *iuratoria* se pariturum absolventis mandatis. - Quoad necessitatem satisfactionis,

1) advertatur, hanc non suspendere effectum absolutionis quousque satisfactum fuerit. Revocamus principium; nempe quae tacite insunt etsi exprimantur, non facere actum conditionatum.

2) Exinde si cui delegetur potestas absolvendi sub clausula, *satisfacta parte*, vel *dummodo absolvendus stet mandatis Ecclesiae*, haec clausula facit MONITIONEM, non CONDITIONEM; D'Annibale (*I, 352, not. 5*); at nonnulli contradicunt, sed sufficit pro veritate conclusionis, nos versari *in dubio iuris.* Veritas autem conclusionis hisce terminis continetur, ut nisi expresse Superior aut lex traducant in *conditionem suspensivam* necessitatem satisfaciendi parti laesae, clausulae quae istam inculcant, intelligantur facere *monitionem*, non *conditionem.*

3) Iure decretalium qui, post absolutionem, renuebant congruam praestare satisfactionem et stare mandatis Ecclesiae,

ipso iure, reincidentiae incurrebant censuram; quamvis poenitens absolutus fuisset a casu reservato, instante periculo mortis, vel aliquo obstante impedimento. - Hodie dicenda est cessasse haec reincidentia *a iure,* quia Const. *Ap. Sedis* quae iussit censuras *a iure* non alias vigere nisi quas ipsa expresse recensuit, hanc nullimode recensuit; uti recte argumentatur D'Annibale (*I, 354, not. 19*) adversus Pennacchi. Sed hodie, ex decretis iam adductis S. Cong. S. U. Inq., clausula reincidentiae adiicenda est a iudice *seu ab homine;* qua proinde non adiecta conditione, reincidentiae censura non incurritur. Nam censura in quam reinciditur est nova censura, uti advertimus.

Verum istae cautiones de congrua reddenda satisfactione pertinent ad absolutionem *in foro externo* concessam; quo in foro non sufficit simplex promissio, sed de executione cavendum est mediis ad hoc comparatis et ordinariis. Verum *in foro interno* iuxta probabiliorem opinionem, etsi agatur de foro tantum conscientiae, nulla exigenda est cautio et sufficit promissio; quia fori interni proprium est, ut credatur asserenti et pro se et contra se. Cf. Bucceroni, *De cen.* § *84, 85,* et Lehmkuhl (II, 879), et huic sententiae aperte favent Responsa S. Poenit. *10 Dec. 1860, 11 Apr. 1869.*

131. Denique in dubio *facti* an quis censuram incurrerit, et an iusta sit vel iniusta, absolutio danda est *ad cautelam.* In *dubio iuris,* cum dubia lex non teneat, nulla incurritur censura, nulla hinc necessaria est absolutio. In dubio vero an quis sit dispositus, absolvitur *ad cautelam,* vel urgente mortis periculo, vel obstante impedimento quo minus aliquis Superiorem adeat pro casu reservato. Tunc absolutio conceditur, sed apposita, pro natura casuum, et adiunctorum, uti supra explicamus n. 130, reincidentiae conditione; quam conditionem expresse ponere debet absolvens, quippe omnes rationes suadent hanc reincidentiam non esse *a iure* sed *ab homine;* quia decreta S. Cong. S. Officii *iubent* confessarium absolvere ad reincidentiam, et aliunde absonum est admittere

S. Congregationem, iterum restituisse hanc censuram quam abolevit Const. *Ap. Sedis.* Conditio vero reincidentiae *ab homine* magis est consona adiunctis nostrorum temporum et responsioni editae a S Officio *diei 9 Nov. 1898* et iam relatae. - Demum cum *in dubio* versemur hanc censuram non *abs iure* esse interpretamur sed *ab homine fer. sent.* - Cf. supra n. 69 et D'Annibale, cuius sequimur sententiam. (*I, 354, not. 23*).

TITULUS IV.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Huc referat. tit. 39. X. Lib. V; tit. 11 in 6; tit. 10 in Clem.

Summarium. — 132. De notione excommunicationis comparata ad alias censuras. — 133. Excomm. definitio. — 134. Eius divisiones in *maiorem* et *minorem*. — 135. Hodie excomm. *minor* non amplius viget, sed communicatio cum excommunicatis vitandis usque est prohibita; addita etiam in aliquibus casibus poena excommunicationis *maioris* — 136. De *anathemate maranatha*. — 137. Excomm. est omninm poenarum gravissima. — 138. Est semper *censura*. — 139. Explicantur quaenam contineantur in communione, qua interdicitur excommunicatus. Ista sunt bona *interna* et *externa christianae* communionis, et, per consequens, etiam *humanae*. At post Const. Martini V. - *Ad evitanda* - habiti sunt excomm. *vitandi* et *tolerati*. — 140. Excommunicatus *vitandus* potestatem ordinis et iurisdictionis exercere non valet, dempto casu gravis necessitatis; *toleratus*, a fidelibus quoque *rogatus*, illam exercet legitime. — 141. An *toleratus* beneficium obtinere valeat. — 142. De vetito vel permisso *consortio* in *humanis*. De privatione sepulturae ecclesiastîcae. — 143. Quinam habendi sint excomm. *vitandi* et quali sententia ita constituantur. — 144. Nonnulli effectus poenales qui ab excommunicatione promanant seu de *insordescentia*, et de *irregularitate*.

132. De triplici divisione censurarum, quam ad exclusionem aliarum poenarum exhibet *cap. 20 De verb. signif. X* (V, 40), ita reddi potest ratio *ab effectibus* desumpta: quippe censurae quae ab usu rerum spiritualium nos prohibent, prohibere possunt vel 1) in universum, clericos et laicos indiscriminatim et respective ab usu *activo* et *passivo* omnium huiusmodi rerum; vel 2) istos, seu *clericos* et *laicos* prohibere indiscriminatim et respective ab usu *activo* et *passivo* sed non *omnium* harum rerum, vel 3) tantum *clericos* ab usu *activo* rerum spiritualium. - In

primo casu, *excommunicatio;* in altero *interdictum;* in tertio *suspensio* indicitur.

133. Exinde excommunicatio est *censura,* seu poena medicinalis - *qua christianus* graviter delinquens, contumax, *excluditur a communione fidelium,* seu prohibetur ab usu bonorum quorum fidelis est particeps, *quatenus est membrum corporis visibilis cuius caput visibile est Rom. Pont.* - Quocirca D. Cyprianus *Epist. 62* hanc censuram appellat « *gladium spiritualem quo superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiciuntur. Neque enim* (ait) *vivere foris possunt cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit* ». Et S. Hieronymus *epist. 14 ad Heliodorum n. 8* advertit « *In veteri quidem lege quicumque sacerdotibus non obtemperasset aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut, gladio cervice subiecta, contemptum expiabat cruore: nunc vero inobediens spirituali mucrone truncatur, aut eiectus de ecclesia, rabido daemonum ore discerpitur* ». Eodem sensu D. Paulus taliter exclusos a fidelium communione profitebatur se *tradere Satanae, in Lit. I ad Corinth. 5,* et apud Gratianum antiquiores Canones huiusmodi poenam appellant *exilium, exterminationem.*

134. Usque ad editam Const. *Apost. Sedis,* excommunicatio divisa est in *maiorem* et *minorem.* - *Minor* excommunicatio quippe prohibebat *dumtaxat* ab usu sacramentorum *passivo,* et arcebat a beneficiis et dignitatibus ad quae eligi *licite* minor excommunicatus non poterat; *arg. cap. 39 De elect. X* (I, 6) *improprie* excommunicatio appellata est. Haec incurrebat *ipso facto* qui cum excommunicato (1) vitando communicaret sive in divinis sive in hnmanis, absque legitima causa excusante; *arg.* c. c. 2 *De cleric. excom. minis X* (V, 27) *et 29 sent.*

(1) Excommunicatus excommunicatione *minore* etiam ante Const. Martini V, non censebatur *vitandus.* Neque hanc excomm. incurrebat qui cum aliis censuratis vitandis, sive *suspensis* sive *interdictis* aliquam haberet communionem.

excom. X (V, 39). Indolem et naturam huius excommunicationis late explicat Seb. Berardi *op. cit. Vol. II P. II Disc.* 3 *cap. 6.* - Quia haec censura erat semper *latae sententiae* et haec non recensetur Const. *Apost. Sedis*, inde exolevit; prouti declaravit Sup. U. I. rescripto *diei 5 Decem. 1883.* (1) Exolevisse autem censenda est *minor* excomm. non solum quoad eos qui communicant cum excommunicatis vitandis a Summo Pontifice denunciatis, sed etiam cum aliis ab Ordinariis locorum ad hunc finem denunciatis.

135. At nullimode abolita fuit prohibitio communicandi cum vitandis excommunicatis; secus enim illusorium esset decretum quo censuratus denunciatur *vitandus.* Revera *die 2 Aug. 1893* S. C. Sup. U. I. huic dubio « *Utrum ablata excommunicatione minore contra eos qui communicant cum excommunicatis nominatim a S. Pontifice, censeatur etiam ablata prohibitio* » responsum dedit: *Negative.* Quae prohibitio aeque urgenda est quod ad nominatim excommunicatos ab Ordinariis locorum.

Praeterea hanc non violare prohibitionem aliquoties adeo interest rei publicae christianae, ut ipsa Const, *Apost. Sedis*, expuncta excommunicatione minore, decreverit, in nonnullis casibus violatorem huius prohibitionis multandum esse excommunicatione *maiore*, prouti expresse cautum est in decreto *diei 9 Ian. 1884* edito a S. C. Univ. Inq.; nam hisce dubiis « *I Suntne vitandi qui nominatim excommunicantur sive a Papa sive ab Episcopo? II Suntne vitandi qui nominatim declarantur excommunicati sive a Papa sive ab Episcopo?* rescriptum fuit « *Ad* I *et* II *Affirmative ad normam Const. Martini V*

(1) Iam advertimus explicantes indolem censurarum, excommunicationem *minorem* esse postremum vestigiam quatuor graduum poenitentium, qui dumtaxat partim arcebantur a communione fidelium. Hoc docet Berardi *l. cit.*; et consuli possunt *can. 24, caus. 11, q. 3*; et *cap. 2, De exceptionibus* X (II. 25) et *cap. 10 De cleric. excom.* X *(V. 39)*.

quae incipit. AD EVITANDA ; *hoc excepto quod communicantes cum excommunicatis vitandis hodie non incurrunt excommunicationem maiorem* (1) *praeter casus comprehensos in Const.* APOST. SEDIS *IV idus Oct. 1869* ». Hi casus sunt sequentes.

Inter excommunicationes *l. s. simpliciter* Papae reservatas sub *n. 16* excommunicatione percelluntur: « *Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem* ». Crimen criminosum est ipsum crimen ob quod excommunicatus quis fuit. - Sub n. 17 eâdem censurâ puniuntur: « *Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a R. P. nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes* ». Clerici vero recipientes ad divina officia excommunicatos nominatim ab Ordinariis, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae speciali modo S. Pont. reservatum. - Item quia communicare non debemus defunctis, quibus non communicavimus vivis, cogentes et mandantes tradi sepulturae ecclesiasticae excommunicatos vitandos, incurrunt excommunicationem nemini reservatam. Ii vero qui *ex officio* expellere deberent, et e contra admittunt; « *interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso facto incurrunt donec ad arbitrium eius cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint* ». Item, eadem de ratione, interdictum incurrunt latum sub eodem *n. 2:* « *Scienter celebrantes vel celebrare facientes divina in locis ab Ordinario vel delegato iudice vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel Ecclesiasticam sepulturam admittentes....* » ex Const. Ap. Sed. *inter interdicta n. 2, reservata.*

Subdivisiones excommunicationis *maioris* ita refert Benedictus XIV *De Syn. dioec. X, c. 1, n. 7* « Norunt omnes viri docti

(1) Iure enim Decretalium non semel haec prohibita communicatio mulctabatur excomm. maiore: cf. Berardi *l. cit.*

tres olim fuisse species excommunicationis maioris.... prima dicebatur *excommunicatio simplex*, (1) altera *anathema*, tertia (2) *maranatha*, de qua frequens mentio occurrit in Annalibus Ordinis S. Benedicti conscriptis a Mabillon *tom. 4 in Append.*; in Historia Lotharingiae Calmet *tom. I, part. II, pag. 340*, et in nova editione Glossarii Caroli Du Cangii *v. Maranatha* » (3).

136. Verum istae non sunt diversae species excommunicationis; sed magis quidam diversi modi inferendae excommu-

(1) Verum in *cap. 39 De elec. X* (I. 6) *simplex* appellatur excommunicatio *minor*; quare *simplex* appellari licet excomm. *maior*, quatenus opponitur *anathemati* et *maranathae*, quae eduntur cum nonnullis solemnitatibus specialis *execrationis*.

(2) Originem huius vocabuli *maranatha* ita explicat Sayrus, *Thesaurus. I. cap. 3, n. 7*, « Dicitur *Anathema Maranatha*, sic *1, Corin. 16* et Silverius Papa, ut habetur in c. *Guilisarius 23, q. 4*, ubi glossa post S. Hieronymum ita interpretatur ut dicatur *excommunicatus* usque ad Domini adventum nisi poeniteat; coniunxit enim Apostolus simul vocem Graecam et Syriacam: Si quis non amat Dominum sit *Anathema maranatha*. - *Anathema* graeco sermone dixit, condemnetur; *maranatha*, donec dominus veniat, de qua voce plura legi possunt apud S. Hieronymum *in I. Corinth. 16*; et *epist.* ad Marcellum etc. ». Vocem *anathema* ita interpretatur D. Thomas *in cap. 1. ad Galat.* his verbis « Anathema componitur ab ανα quod est *sursum* et θεσις *positio* quasi sursum positio. Et est ortum ex quadam antiqua consuetudine: antiqui enim quando pugnabant et praedam aliquam capiebant ab hostibus quam nolebant convertere in usum proprium, suspendebant illam in templis, vel aliquo publico loco civitatis, quasi separatum a communi hominum usu, et omne tale sic suspensum nominabant Graeci *Anathema*. Et ex hoc inolevit consuetudo quod omne illud quod excludebatur ab usu communi diceretur *anathematizatum*, unde *Iosue 6*. dicitur de Hiericho et omnibus quae in ea sunt, quod Iosue mox anathematizavit eam. Et ideo etiam hoc in Ecclesia inolevit, ut illi qui excluderentur a communi societate Ecclesiae et a partecipatione Sacramentorum Ecclesiae, dicantur anathematizati ».

(3) Quod excommunicati alii *tolerati* sint, alii *vitandi*, hoc pertinet ad genericam censurarum naturam: quippe censuratos esse *toleratos* nisi expresse reddantur *vitandi*, induxit Cons. Martini V. *Ad evitanda.*

nicationis. Veluti *anathema* inferri consuevit, pulsatis campanis, accensis et extinctis candelis aliisque adhibitis huiusmodi ritibus publicam execrationem significantibus. Prosequitur Benedictus XIV, *loc. cit.* rem ita explicando « Simplex excommunicatio et anathema in hoc dumtaxat inter se differebant, quod illa solo verbo proferretur: *anathema* vero pronunciaretur celebri quadam solemnitate...; *maranatha* autem hoc anathemati addebat ut excommunicatus solius Dei iudicio relictus, ab Ecclesiae communione separatus, permanere iuberetur usque ad adventum Domini, seu ad diem Iudicii, quod ex ipsa nominis ethimologia elicuit Augustinus apud Suarez *De censuris Disp. 8, sect. 2*, et explicarunt Patres Concilii Toletani IV mox allegandi etc. ».

137. Verum, etsi, absque *anathematis* seu publicae execrationis denunciatione irrogetur excommunicatio, nihilo secius est longe omnium gravissima poena, seu gravior ipsa *depositione* et *degradatione*, « *ultra quam*, (uti loquitur *cap. 10, De iud. X* (II, 1) *Ecclesia non habet amplius quid faciat* ». Quippe fidelis excommunicatus est membrum demortuum et ex corpore Ecclesiae resecatum. Cf. Benedict. XIV *De syn. l. c.*

138. Ex hac suprema gravitate excommunicationis sequitur hoc maxime attendendum corollarium, nempe, excommunicationem non posse infligi nisi uti *censuram*, nunquam uti poenam seu *privationem*; siquidem excommunicatus, si resipiscat a sua contumacia, statim liberandus est a gravissimo excommunicationis vinculo et in sinum Ecclesiae restituendus, ut suae prospiciat saluti aeternae de qua Ecclesia primo et directius est sollicita. Namque si quis posset excommunicari in poenam seu privari in perpetuum vel ad certum tempus *vindicative* usu omnium bonorum quae sunt in dispensatione *interna* et *externa* Ecclesiae adeo ut non valeret, recedendo a contumacia, iterum frui eorumdem usu, tunc poena huiusmodi gravior extaret et abhorrens a fine Ecclesiae principali, scilicet a salute cuiuscumque fidelis spirituali et aeterna.

E contra *suspensio* et *interdictum* non arcent ab Ecclesia, sed ab usu quorundam iurium spiritualium, et possunt irrogari, et uti *poena* aut *simplex privatio*, et uti *censura*. Etenim infliguntur quoque sive ut vera poena *vindicativa*, nempe propter crimen, sive ut *privatio*, scilicet ob aliquam causam quamvis sine culpa, utputa quando corpus morale supponitur *interdicto* cui subesse debent et sontes et insontes, sed diversa ratione; quia *sontes* puniuntur, insontes *privantur*. - Criterium vero ad dimetiendum utrum *poena* sit, an *censura*, est eadem utrarumque natura. Nam si huiusmodi prohibitiones decernantur ad certum tempus, non praemissa monitione seu non in *contumacem*, non in personam physicam, sed in corpus morale, vel ob delictum praeteritum, quodque nullum habet tractum successivum, quocirca delinquens moneri non potuerit ut a crimine abstineret aut cessaret, aut alia id genus, non serventur in ratione censurae, seu poenae medicinalis necessaria, tunc *poena* constituitur non *censura*.

139. Ut pressius declaremus notionem excommunicationis explicandum est quid importet *separatio* excommunicati a communione fidelium. Iam innuimus quomodo per censuram generatim Ecclesia privet ab usu bonorum spiritualium quae in eius sunt dispensatione. At ipsa tantummodo per excommunicationem prohibet ab usu *omnium* suorum bonorum, cum arceat a fidelium communione, seu a bonis *internis* et *externis* christianae communionis. Hinc huiusmodi censura etiam arcet a communione *humana*, quia in societate christiana ita amico foedere humana et divina coniunguntur, ut qui a fidelium communione seiunctus sit *in divinis*, etiam *in humanis* (1) evitari debeat quasi contagiosa labe infectus.

(1) Haec connexio inter *divina* et *humana* probe perspecta fuit etiam ethnicis: qui prohibentes aliquem a *divinis*, etiam ab *humanis* iuribus iusserunt eumdem esse exclusum; uti narrat Caesar de Germanis et Gallis referens *(Lib. VI, cap. 4)*: *Si quis decreto* (sacerdotum) *non stetit, sacri-*

Temperavit huius legis rigorem Martinus V, distinguens in celeb. Const. *Ad evitanda* (1); censuratos *vitandos* et *tolerandos*. - Inde permisit fidelibus communicare cum *toleratis*: at *toleratis* nefas est cum fidelibus communicare, quia Pontifex minime meliorem efficere voluit *tolerati* excommunicati conditionem. - Demum pro indole hodiernae societatis christianae, malo fato ethnicis moribus imbutae, sapientissime S. Poenitentiaria decreto *diei 5 Iulii 1867* statuit, in *humanis* iuribus, nempe iure naturali et civili fundatis, *toleratos* hodie non prohiberi a communione, seu et cum ipsis et ipsis cum aliis fidelibus communicare permissum esse. Verum hoc decretum ex suo scopo non respicit illas christianas societates adhuc moribus ita compositas ut admittant et revereantur excommunicationis sive alterius censurae effectus, etiam *civiles*.

ficiis interdicunt. Quibus ita est interdictum, in numero impiorum et sceleratorum habentur; ab iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque difugiunt ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis ius redditur, neque honos ullus communicatur ». Inibi ad amussim exprimuntur excommunicationis effectus etiam *in humanis*. Haud dissimilis poena in more erat apud Hebraeos, quia, uti passim legimus in Evangelio, gravissima poena habebatur, *fieri extra synagogam*. Exinde enim quis erat *exul* a societate. Hac etiam de causa in veteribus Ecclesiae monumentis excommunicatio dicta est *exilium* et *exterminium*. Ius enim publicum civile illorum temporum recognoscebat Ecclesiae integrum esse aliquem extorrem facere a civitate, ei inflicta excommunicatione. In ipso Concil. Trid. *Sess. 25, cap. 19*, in duellantes poenam coniungit excommunicationis cum proscriptione seu *publicatione* omnium bonorum patrimonialium.

(1) Haec Const. (*apud Hardouin, t. VIII, col. 892.*) ita concepta est « *Insuper ad evitanda scandala et multa pericula subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christi fidelibus* tenore praesentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicuius in sacramemtorum administratione vel receptione aut aliis quibuscumque divinis vel extra illa, praetextu cuiuscumque sententiae aut censurae ecclesiasticae a iure vel ab homine generaliter promulgatae, teneatur abstinere vel aliquem vitare ac interdictum ecclesiasticum observare, nisi sen-

Bona *interna* Ecclesiae dispensationi obnoxia, a quibus nempe excommunicatus prohibetur, sunt: *fructus spirituales sacrificii Missae,* et *publicarum precum;* et praesertim sacrae *Indulgentiae.*

Si excommunicatus sit *vitandus*, pro eo publicas fundere preces, multo magis Sacrum facere seu ei Missam applicare non licet; tamen *privatim* (1) orare etiam in utroque *memento* Sacriflcii Missae non interdicitur. - Pro *tolerato* vero, cum fidelibus non sit prohibitum cum eodem communicare, etiam in *divinis*, videtur non interdici publicas preces et ipsum Sacrorum facere: *cf.* D'Annibale *p. I, n. 360.* Etiam Lehmkuhl (II, 177) huic sententiae adstipulatur; quae hodie *practice* certissima est. - Hic Auctor exceptionem facit quoad eos qui sectae acatholicae nomen dant eique pertinent, et adducit hanc respon-

tentia vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem *a iudice publicdta vel denunciata specialiter et expresse;* Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque; *salvo si quem pro sacrilegio et manuum iniectione in clericum* in sententiam latam a canone *adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari nec aliquo iuris suffragio excusari;* nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri iuxta canonicas sanctiones ». Sed postrema verba huius Const. diversimode leguntur, uti videre est apud S. Antoninum, *Summa. Part. 3 tit. 23 cap. 3.* Lectionem quam secuti sumus, defendunt Ballerini-Palmieri - *tract. XI, n. 336, 342.* Iampridem Gregorius VII in Concil. Rom. IV legem dedit *tolerantiae* sed *temporaneam,* qua permittebatur *civile* consortium cum excommunicatis. At progressu aetatis haec regula tolerantiae firma et stabilis effecta est et magis est aucta et continetur in versiculo, quo significantur conditiones legitimae tolerantiae: *utile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Legem Gregorianam vide in *can. 103, quaest. 3, Caus. 11.*

(1) Prohibita enim est publica deprecatio pro *vitandis,* quia ista oratio fit nomine et iure *christianae communionis,* seu *communionis Sanctorum.* At in Feria VI. Parasceve Ecclesia se continere non valet quin divinam Redemptoris pietatem exoret pro excom. etiam *vitandis.*

sionem S. Ufficii; scilicet dubio « *Utrum possit aut debeat celebrari Missa ac percipi eleemosyna pro graeco-schismatico, qui enixe oret atque instet, ut Missa applicetur pro eo sive in Ecclesia adstante, sive extra Ecclesiam manente* » *S. Cong. Sup. Un. Inq. die 19 Aprile 1837* respondit: « *Iuxta exposita non licere*; *nisi constet expresse, eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem* ». Verum responsio non videtur probare intentionem cl. Auctoris, quia ista asserit *non licere Missam applicare pro schimatico ad* huius rogatum; et aliunde ipse Lehmkuhl fatetur *(not. 1* § *cit.)* haud certum esse, *posse excommunicatum toleratum sine peccato saltem veniali rogare sacerdotem, ut ad suam intentionem celebret, nisi forte id ex desiderio conversionis et ad hunc finem petat.* Et haec vera sunt iuxta generalem legem *tolerantiae* editae non in favorem censuratorum, sed in favorem fidelium. Sane *toleratis* ius non est acquisitum expostulandi fructum communionis catholicae; quamvis fidelibus permissum sit cum illis communicare etiam in divinis et hinc Sacerdotibus pro eis Sacrum facere. Attamen negari non potest, ex receptis et probatis moribus, vehementer attenuatam esse vim prohibitionis factae excommunicatis ne communicent *in divinis* cum fidelibus; cuius rei apertum indicium est clausula apposita in rescripto S. Officii approbante, peti posse a *schimatico Missae applicationem pro sui conversione.* Exinde non videtur prohibitum esse Sacerdoti catholico non rogato Missam offerre pro acatholico etiam ad eius prosperitatem temporalem, dummodo ex mente Sacerdotis, ista bona illum perducant ad sinum verae Ecclesiae. Hoc multo magis praestare potest Sacerdos pro excommunicato non acatholico; sed tamen huic licitum plane non videtur esse expostulare Missae applicationem praeterquam ad sui conversionem. - Porro huiusmodi prohibitiones expostulantur ab ipso vinculo excommunicationis; quare pro *Turcarum aliorumque infidelium intentione Missam applicare*

recepta eleemosyna esse licitum, respondit S. Cong, S. U. I. *die 12 Iulii 1865*, citra tamen scandali et cuiusque superstitionis labem aut periculum ex parte infidelium eleemosynam offerentium. Etenim excommunicatio non infideles sed fideles percellit et tenet.

Verum Ecclesiae intentio in prohibendo usu rerum spiritualium per censuras ea est, ut earumdem desiderium excitetur, utque censuratus sui pudeat ob detestationem qua apud fideles notatur.

Quocirca excommunicatis vetitum est tantum id quod in fidelium communione continetur; et quia excommunicatio est poena medicinalis, excommunicatis, etsi vitandis, non interdicitur audire praedicatores et etiam in Ecclesia orare tamen privàtim et ab aliis seorsim; *arg. cap. 53. De sent. excom. X.* E contra si auderet *vitandus* (1) divinis Officiis adesse, deberet expelli aut intermitti publica supplicatio. Missa quoque, si iam ad *Canonem* pertigerit, producetur usque ad consummationem, fidelibus dimissis, et reliquae partes persolventur in decenti loco, quamvis cum Ecclesia coniuncto, uti Sacristia; dummodo vitandi effugiatur praesentia et communio. - Verum, uti advertit D'Annibale (*I. 362, not. 19)* et confirmat Lehmkuhl (II, 891) hodie *toleratis* videtur permitti ut divinis intersint Officiis; imo quasi hoc in votis est catholicorum, ut acatholici et mali catholici videant suis oculis sacras functiones cultus catholici et in eum, rituum sanctitate, alliciantur.

Bona *externa* quae ab Ecclesja administrantur, sunt alia stricte *spiritualia*, utpote sacramenta et sacramentalia, alia potius *ecclesiastica*, quippe vel externae fidelium gubernationi

(1) Verum etiam *toleratus* quia ius non habet interessendi sacris, si *notorie* sit excommunicatus, repelli valet ne adsit divinis Officiis. Inquam *notorie*, nam qui publice uti excommunicatus non est cognitus non posset expelli salva lege charitatis, quae non sinit in publicum edi occulta crimina. Inde non obligat praeceptum audiendi Missam excommunicatos.

inserviunt, veluti officia et beneficia ecclesiastica; vel pendent ab arbitrio et auctoritate moderatorum huius societatis, puta gratiae et concessiones per rescripta pontificia impertitae; et cetera id genus iura per leges communes comparata, veluti actiones iudiciales. Horum bonorum omnes fideles sunt capaces, eorumque usu fruuntur; solummodo officia et beneficia ecclesiastica ob adnexam iurisdictionem, a clericis tantum obtineri valent, quia clerici tantum sunt capaces iurisdictionis ecclesiasticae.

Excommunicati proinde omnes, sive clerici sive laici, repelluntur ab usu *passivo* sacramentorum et sacramentalium. Sed addi solet *excepta* poenitentia *a qua nec vitandus prohibetur*. Hoc ita intelligi debet. Excommunicatus per se etsi *vitandus*, sacramenta valide recipit, quia excommunicatio est impedimentum *iuris eccles.* et Ecclesia non attingit valorem sacramentorum, si excipias *poenitentiam* et *matrimonium*, in quae directe aut indirecte aliqua statuit pertinentia ad *valorem*, ratione *iurisdictionis*.

Quoad *poenitentiam* vero nullibi in lege cautum est, (cf. Suarez, *3*) confessariis ademptam fuisse iurisdictionem in excommunicatos, quamvis censura sit reservata. Peccata enim, si reservatio non cesset, veluti cessat in articulo mortis vel gravi obstante impedimento, (cf. supra n. 129, resp. S. Off. *diei 19 Aug. 1891*), *indirecte* absolvi possunt. Quamobrem si excommunicatus et ipse ignoret se censura laborare aut hanc esse reservatam, *indirecte* absolvitur a peccatis; si gravis instet necessitas, cessante reservatione sub conditionibus antea explicatis, *directe* absolvitur a peccatis. - Item matrimonii valorem non inficit excommunicatio; siquidem haec non est impedimentum dirimens; unde matrimonium administrari potest excommunicato, utputa ad evitandam infamiae notam, cum leges ecclesiasticae non obligent cum gravi incommodo. Quamobrem etiam Eucharistia per Viaticum excommunicato etsi vitando sed iam confesso non videtur deneganda. Non item Extrema Unctio. - Porro

excommunicato *tolerato* vel *incommodum grave* esse potest per *unum* aut *alterum diem* abstinere a sacramento confessionis ob defectum confessarii qui absolvat a casu reservato. - Quaerunt DD., debetne dici hoc *incommodum tam grave* ut cesset reservatio ad tramites Decreti *S. Off. 23 Iun. 1886?* Communiter respondent: *negative:* cf. D'Annibale, *I, 349, not. 37;* et Lehmkuhl, *II, 410.* Sed huic censurato, aliunde recte disposito, dari potest absolutio *indirecta*, qua absolvuntur peccata, non *absoluta censura.* Cf. D'Annibale (I, 360).

Repelluntur excommunicati a privilegiis et gratiis Pontificiis, quocirca executioni rescriptorum semper seu *ad cautelam* saltem, solet praemitti censurarum absolutio. Quomodo vero isti prohibeantur ab agendo et respondendo in iudicio, nimirum ab agitatione iudiciorum, vidimus in *cap. De iuris n. 63. Lib. Prim.* Tamen semper intercedit ea fundamentalis differentia inter *vitandos* et *toleratos*, ut tolerati possint a fidelibus ad communionem admitti, veluti ad sepulturam ecclesiasticam, quamvis ad hanc nullum ius habeant; *vitandi* e contra sunt fugiendi et excludendi a quacumque fidelium communione. Utputa vitandus qui moriatur inabsolutus, sub gravi mandari non debet ecclesiasticae sepulturae (1), ita ut *ex cap. 12. De sepult.* si in loco sacro inhumetur, exhumandus esset. Verum nemo non videt, hodie hanc rigidam legem perpaucis sane in regionibus

(1) Tamen in propositum recoli debet regula generalis quoad sepulturam ecclesiasticam, a qua repelluntur *notorii peccatores.* Ex hoc capite excommunicatus toleratus sed *notorius* excluditur a sepultura ecclesiastica. Ex adverso excommunicatus etsi vitandus, si *signa dederit poenitentiae*, quamvis a censura absolutus non sit, tradi potest sepulturae ecclesiasticae, sed praevia absolutione. Sed iuxta instructionem datam secreto Ordinariis a S. Sede, quae legi potest apud Cl. Gennari, *Consultazioni pag. 618 Napoli 1893*, associatio facienda est - *vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus.* - Imo si in loco sacro sepulturae mandatur excommunicatus *vitandus*, qui nulla dederit poenitentiae signa, locus sacer habetur pollutus et reconciliandus est. Lehmkuhl, *II, 893.*

executioni demandari posse. Caput vero ult. *De sepul.* X (III, 28) cavet, excommunicato, ad recuperanda christianae communionis iura, sufficere absolutionem simplicis confessarii aut sacerdotis, in articulo mortis, quando omnis cessat reservatio. In quod propositum advertatur, huiusmodi absolutionem in casu necessitatis impertitam valere pro utroque foro, dummodo in externo foro constet, censuratum absolutum fuisse ad praecavenda fidelium scandala. Ne pervertatur vero iurisdictionis ordo, seu ne fori interni et externi misceantur iura, praescriptum est, ut explicavimus, quod cessato impedimento, censuratus stet legitimi superioris mandatis, sub poena reincidentiae. - Hactenus quoad usum rerum sacrarum *passivum;* modo de usu *activo* sacramentorum, officiorumque seu beneficiorum: et illa indiscriminatim pertinent ad clericos et laicos; haec tantum ad clericos.

140. Etenim officia et beneficia, quippe sacram iurisdictionem aut Ordinis potestatem adnexam habeant, dumtaxat a clericis exerceri valent. Eorumdem usus vero per censuram excommunicationis *indirecte* clericis prohibetur; nam remoti a fidelium communione, implicite arcentur a sacro ministerio uti par est. - At sedulo distinguatur *vitandus* a *tolerato*. Nam qui sunt excommunicati *vitandi*, *licite* sacramenta administrare non possunt, excepto *mortis articulo* seu *periculo* quo sacramenta necessitatis, si alius desit, nempe baptismum et poenitentiam, et etiam Eucharistiam quamvis non strictae necessitatis, ex praesumpta benignitate Ecclesiae (D'Annibale I, 360 not. 5.) ministrare possunt. At quae non dumtaxat a potestate Ordinis pendent, veluti absolutio peccatorum sacramentalis, aut sunt simplicis iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae, ut puta censuras ferre, beneficia conferre, sententias dicere, approbare, confirmare acta, haec universa a *vitando* posita, sunt prorsus irrita, excepto equidem casu *erroris communis*, quo Ecclesia supplet iurisdictionis defectum. Unde irrita esset beneficii vel officii collatio facta excommunicato *vitando*, qui huic muneri

in Ecclesia inhabilis prorsus evadit. Re quidem vera tractare non potest haec officia, qui a communione illorum prohibitus est quibus eadem munia ordinata sunt. Tamen beneficia aut officia iam possessa a *vitando* ante censuram, non auferuntur: nisi sententia iudicis interveniat *condemnatoria;* et *declaratoria* non sufficit pro auferendis fructibus quoque beneficii quia nullibi in iure cautum est excommunicatum *vitandum ipso iure* privari beneficii fructibus; imo in *cap. 53 De appell. X* (II, 28) § *Verum* iubetur « *Et illi proventus Ecclesiastici merito* SUBTRAHUNTUR *cui Ecclesiae communio negatur* ». Unde regula est: beneficio excommunicatum non esse privandum quia censura, per se, est poena temporanea; fructus vero esse *subtrahendos*, quippe cohaerent officio quod excommunicatus amplius adimplere non valet. Tamen si excommunicatus sive *vitandus* sive *toleratus* diu perseveret in censura, nempe per annum quin absolutionem exquirat, *insordescit* et fit suspectus de heresi: et ex capite *heresis* beneficio privari valet, seu per sententiam *condemnatoriam*. Cf. *n. 144.*

141. At clericus excommunicatus *toleratus* etiam extra mortis periculum, *rogatus* a fidelibus Sacramenta administrare *licite* potest; inquam « *rogatus* » nam se offerre non posset, nisi in casu necessitatis sive propriae sive alienae (1) horum administrationi cum ob excommunicationem arceatur a fidelium communione. Item quia in iis quae ad fidelium utilitatem ordinata sunt, *tolerato* non prohibetur cum iis communicare; eius-

(1) Dico necessitatis PROPRIAE vel *alienae;* quatenus excommunicatus abstinendo ab administratione sacramentorum deberet prodere seipsum, manifestans proprium crimen, et certe ad id non obligatur. In excommunicato *vitando* aut *notorio* vix fingi potest hic casus. Fideles autem quamvis *rogare* possint excommunicatum ut eis sacramenta administret, tamen quia est *indignus* seu creditur destitutus *gratia sanctificante*, in sacramentis administrandis sacrilegium patrare praesumitur; unde nisi necessitas proportionate gravis urgeat fideles, eius operam expostulare non debent.

dem actus iurisdictionis sunt validi et etiam liciti, si ex iusta causa interponantur. Quapropter cum excommunicatus *toleratus* non evadat *inhabilis* administrandae iurisdictioni officiorum ecclesiasticorum, exinde valida dicenda videtur horum collatio eidem facta prouti docet D' Annibale, *I, 365*. Contra opinantur plures Doctores, ita Suarez, *D. 13, s. 1, n. 2 sq*. Quare collatio fieri non debet, quippe *illicita* est collatio facta *indigno* etsi aliunde non *inhabili;* at si facta sit, *respondendum est pro valore actus* (1).

142. Excommunicatus sive clericus sive laicus *in humanis* excluditur ab his quibus constat hominum consortium. Rudiori versiculo solent ita exponi, quae etiam in humanis excommunicato *vitando* a fidelibus indulgenda non sunt, nempe: « *Os, orare, vale, communio, mensa, negatur* ». Si demas « *orare* » seù preces

(1) Qui autumant, collationem esse *irritam*, invocant cap. 7, *De cler. excom.* X (V, 27), hoc iubens: *Quod cum excommunicatis communicari non debeat, clericis excommunicationis vinculo innodatis, ecclesiastica beneficia conferri non possunt nec illi valent ea retinere* ». Sed iure quo utimur, hoc verum est quoad *vitandos*, non quoad *toleratos* cum quibus communicare possumus. - Praeterea obiici potest in litt. Apost. praemitti, absolutionem a censuris ad effectum *consequendi beneficia.* Ergo videtur consequi, censuram excommunicationis reddere *irritam* collationem; quare praemittitur *absolutio;* sed respondemus, censuratos haberi indignos gratiis pontificiis; et Pontifices nolle iisdem sua dare rescripta; vi *cap. 1 De rescrip. in 6;* unde ne haec sint invalida, casu quo indultarius aliqua ligetur censura quae vel a Papa ignoratur vel quae ad effectum specialem vult relaxari, conceditur absolutio. - Ulterius adverti debet, litt. Apost. consulere, meliori modo quo potest validitati actorum, neque attendere probabilem D. D. opinionem sed sequi viam tutiorem. - Quamobrem remanet quaestio an valida sit collatio beneficii facta excomm. *tolerato*, si in litteris collationis non praemittatur absolutio prouti fit in litteris Episcop. Siquidem uti supra vidimus, n. 117 saltem ex probabiliori opinione, non competit Episcopis absolvere censuras ad specialem tantum casum, seu easdem suspendere. Cui quaestioni *practice* nos respondemus per principium reflexum: *in dubio, pro valore actus.*

publice habitas nomine Ecclesiae quae excommunicato vitando nullimode exhiberi (1) possunt, cetera pertinent ad iura *naturalia* et *civilia*. - Verum si iure positivo suspendi potest exercitium iurium naturalium, aut civilium, huiusmodi iura nunquam tolli possunt, quae imo aliquando praevalent ipsi positivo iuri, non obliganti cum *incommodo gravi;* unde etiam cum excommunicato *vitando* fidelibus communicare licet, in civilibus, uti exprimit alius versiculus: « *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse* ». Hodie vero istae causae *excusantes* habendae sunt ita quotidianae et universales, ut semper, et pro omnibus in *civilibus* communicatio permittenda sit. Quae in versiculo continentur non omnia in hoc propositum faciunt, veluti *res ignorata*, nimirum ignorantia *facti* vel *iuris;* sed huc pertinent solummodo « *utile* » seu magna utilitas communicationis; « *lex* » utputa iura *coniugalia* (2) vel *paterna;* « *humile* » seu ratio *famulatus;* « *necesse* » seu *necessitas;* unde non quaecumque utilitas excusat sed notabilis utilitas seu *moralis necessitas.*

143. Praeterea advertatur non sufficere ad constituendum *vitandum* seu nominatim excommunicatum, in eum per sententiam *condemnatoriam* aut *declaratoriam* animadvertere, quae sententia nomen censurati necessario semper secumferre debet, sed necessarium esse insuper sententiam publice denunciare seu promulgare ut omnes sciant et cognoscant, censuratum *vitandum* esse.

(1) Notant DD. (cf. Smalzg. *h. t. n. 131*), etiam *vitando* non esse prohibitum, ex aliqua *necessitate* vel *utilitate* adhibere socium in recitandis horis can., vel rosario *privatim*, praesertim si socius sit famulus vel subditus.

(2) At si concessa iam sit coniugibus separatio mensae et tori, ante inflictam censuram, coniux non censuratus non potest alteri adhaerere dum subiacet censurae et est *vitandus*. Item si alter sit *nominatim* excommunicatus propter heresim, abrumpenda est vita coniugalis ob periculum perversionis quin expectetur sententia divortii a iudice ecclesiastico pronuncianda. Demum si excommunicatio lata sit ob illegitimas nuptias, si sponsi uterentur iuribus coniugalibus, communicarent in *crimine criminoso.*

144. Demum censuram excommunicationis sequuntur unus et alter effectus, veluti extrinseci. - Primus est *irregularitas* quam incurrit clericus exercens *ordinem* censurâ prohibitum, violans censuram; at hoc est commune omnibus censuris; uti explicabimus agentes de irregularitatibus.

Secundus effectus, proprius omnino excommunicationis, est *insordescentia* quam ita determinat Concil. Trid., *Sess. 25, cap. 3, De ref. in fin.* decernens: « *Excommunicatus vero quicumque si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta et communionem fidelium.... non recipiatur; sed si* OBDURATO ANIMO *censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de heresi suspectum, procedi possit* ». Haec suspicio de heresi post annum est *levis;* post alterum annum fit *vehemens;* monitiones vero praemittuntur decreto quo declaratur *insordescentia* ut deinde vel declaretur, fuisse incursos effectus poenales ab illa consequentes vel hi per sententiam irrogentur; quando nimirum excommunicatus nullimode resipiscat, aut aliunde non demonstret se non permanere in censura OBDURATO ANIMO seu in spretum et contemptum potestatis eccles. sed ex alia causa, etsi irrationabili seu culpabili, ut puta ex odio in personam Episcopi, non qua Episcopus sed qua civis est, cui non vult satisfacere censuratus.

Doctores, uti Schmalzgrueber, *V, tit. 39, n. 195* et D'Annibale, *I, 362, not. 18,* ita interpretantur textum Tridentini Conc. ut opinentur, hic agi *de excommunicatione ab homine,* dumtaxat. Sed haec interpretatio vim facit textui quo cavetur: « *excommunicatus vero quicumque* » et ubi lex *non distinguit nec nos distinguere debemus.* - Hi Doctores autem ita opinati sunt advertentes, aliter in excommunicato non haberi contumaciam ex OBDURATO ANIMO nisi adsit spretus sententiae iudicis. Atqui hoc verum est; sed adverti debet, Concilium expostulasse *monitiones* praemittendas esse decreto *declaratorio insordescen-*

tiae; hae monitiones vero trahunt negotium in potestatem et cognitionem iudicis, non secus ac decretum declarationis aut denunciationis censurae; unde censurae *a iure*, fiunt veluti censurae *ab homine* quoad ordinem iudicialem seu *contumaciam;* uti explicavimus supra n. 111. Revera non distinguunt inter unam et aliam speciem censurae, Suarez, *XVII, 1, 6 sq.* et Thesaurus, *op. cit., P. II,* § *Insordescentia.* - Quare alii DD. intelligendi sunt loqui *de censura ab homine*, sensu a nobis explicato, secus opinio nec esset probabilis.

Cum proceditur contra aliquem, veluti de *levi suspectum de heresi* ob annalem perseverantiam OBDURATO ANIMO in excommunicatione, intentio est ut ille desistat a contumacia OBDURATI ANIMI vel alias *purget* seu excuset ab hac nota contumaciae suam agendi rationem. Quod si *purgare* seu excusare se non potuerit aut noluerit et pertinaciter persistat in excommunicatione, fit suspectus *de vehementi;* etsi in eo statu persistat alio anno, declarandus erit haereticus tamquam *ex violenta* praesumptione. Cf. Thesaurus, *l. cit.* Sed non exinde revera uti haereticus habetur ad omnes effectus poenales, prouti fit quando quis excommunicatur propter causam heresis. Tunc enim ob insordescentiam annalem OBDURATO ANIMO quis, nisi purget suam contumaciam, habetur haereticus *convictus;* et percellitur appositis poenis; unde clericus omnibus beneficiis et officiis privandus esset. Idem principium applicetur aliis causis.

Videlicet si quis excommunicatur quia accusatus est de graviori crimine ex publica fama et ex probationibus iudicialiter collectis quin tamen ea absoluta certitudo moralis habeatur necessaria in re criminali ut quis a iudice dicatur reus impacti criminis; iste excommunicatus *insordescens* per annum in excommunicatione, praemissis monitionibus, declaratur reus *convictus* criminis, de quo accusatur.

Hoc posito principio, facile resolvitur quaestio quam diversimode expediunt canonistae, quamque agitat Suarez, *XVII,*

1, 7 sq., nempe an, ob insordescentiam annalem, clericus privandus sit officiis et beneficiis eccles. - Nonnulli affirmant, *ex insordescentia* clericum *ipso iure* officiis, beneficiis privatum esse; ita Covaruvvias in *cap. 8*, *Cum bonae. - De aet. et qualit. praef.*, *X* (I, 14). Sed haec sententia reicienda est quia *cit. caput* vel loquitur de *triennali* insordescentia, vèl certe statuit poenam *fer. sent.* - Hinc alii, ut Glossa in *cit. cap.* docent statutam fuisse hanc poenam *fer. sent.;* et tempus posse requiri etiam longius anno, pro adiunctis casuum. Sed neque haec sententia est probanda; namque *cit. cap.* decernit de privatione beneficiorum pro *tanta pertinacia* et *contemptu Apostolico*. Quare in specie agebatur de gravissima et veluti extraordinaria contumacia, adeo ut non liceat inde deducere regulam generalem. - Quocirca vera est sententia Abbatis in *cap. 1, De iud.* - asserentis, *insordescentem* per annum haberi (1), ex praesumptione iuris, convictum de crimine de quo incoeptum fuit iudicium; et inde in insordescentem ferri poenas quas secumfert crimen de quo agitur. - Privatio ergo officiorum et beneficiorum erit decernenda si hoc expostulet crimen quod plene habetur probatum per *insordescentiam* in censuris.

(1) Insordescentia de qua decernit Concil. Trid. *l. cit.* non potest extendi ad censuras suspensionis et interdicti; siquidem Concilium loquitur de excommunicatis. Neque ex celebri *cap. 8 cit.*, *De aet. et qual. praef.;* desumitur haec extensio; namque ibi agitur de speciali *reitate* et *indignitate* quae nascitur ex persistentia in censura suspensionis cum *tanta pertinacia et contemptu Apost.* - Quamobrem dumtaxat ex *insordescentia in excommunicatione* deducta est *praesumptio heresis,* quam explicavimus. - Praeterea in Regulis Cancellariae, R. 66ª inscribitur *de insordescentibus,* et haec videtur comprehendere omnes censuras, decernens, generalem absolutionem a censuris in *litt. Apost.* apponi solitam ad earum effectum, non suffragari gravioribus delinquentibus, ut incendiariis, violatoribus Ecclesiarum, nec non vehementer contumacibus in auctoritatem ecclesiasticam, uti explicat Riganti, *Comm. in hanc Reg.*

TITULUS V.

DE INTERDICTO.

Summarium. — 145. Eius definitio. In quo distinguatur ab excommunicatione et suspensione. — 146. Est *personale, locale, mixtum.* Tum *personale,* tum *locale,* vel *generale* vel *particulare* est. — 147. Notio interdicti *personalis particularis.* — 148. Species huius interdicti est interdictum *ab ingressu Ecclesiae.* — 149. Quomodo interdictum personale *generale;* locale sive *particulare* sive *generale* distent a conceptu genuino censurae. — 150. Interdictum *locale* in quo differat a *personali.* — Qui celebrat scienter in *loco interdicto* fit irregularis. — Interdictum sive *personale generale* sive *locale* expresse denunciari debent, nempe in *certas personas,* in *certum locum,* ut teneant. Poena in violantes interdictum. — 151. Quid fidelibus, quid clericis liceat, vigente interdicto sive *locali* sive *personali generali.* — 152. Interdicto locali affinis est *cessatio a Divinis.* — 153. Quomodo differat a *pollutione* Eccles.

145. Iam advertimus, *interdictum* generalius esse *suspensione* quae tantum clericos afficit; interdictum e contra omnes sive clericos sive laicos indiscriminatim attingere natum est. — Quocirca de hoc disserendum post *excommunicationem.* — Interdictum differt ab excommunicatione essentialiter, cum fidelis *interdictus* non sit extra communionem Ecclesiae, sed tantummodo prohibitus ab usu quorumdam iurium spiritualium, unde interdictum definitur « *Censura removens cristifideles a participatione quarumdam rerum sacrarum* ». Dicitur « *quarumdam rerum sacrarum* » cum non ab omnium participatione removeat, sed a quibusdam solum et diversa ratione, adeo ut distinguatur ab *excommunicatione*, quae penitus a fidelium abscindit communione, et a *suspensione* quae directe sacra obire seu *administrare* clericos vetat. Quare interdictum haberi non potest quasi partialis *excommunicatio.*

Nam sub alia ratione continetur prohihitio quae a nonnullis rebus tantum quatenus hae *sacrae sunt* et destinatae *usui* fidelium, prohibet; unde a Suarez, *XXXII, 1, 4*, ita definitur interdictum « *Censura ecclesiastica prohibens usum quarundam rerum divinarum ut fidelibus communem, quatenus talis est* ». Quamobrem interdictum percellit laicos et clericos, eos arcens non a *communione* cum Ecclesia et fidelibus, sed ab *usu,* qua tali, *rerum sacrarum* fidelibus *communium* ad quas proinde ius haberent quia et ipsi pertinent ad communionem fidelium et istae res fidelibus sunt communes a quibus nihilominus, in poenam medicinalem, prohibentur fideles interdicti.

146. Praeterea advertatur interdicti esse proprium, prohibere usum quarumdam rerum divinarum at diversimode, sive *directe* interdicendo personas, sive *directe* loca sacra et hinc *indirecte* personas. — *Interdicti* vero nomen est ita generale et latum, ut pateat quomodo sub se potuerit antiquiori disciplina comprehendere indiscriminatim, non secus ac excommunicationis vocabulum, quamcumque speciem censurarum et poenarum quae in Ecclesia potissime obtinentur per prohibitum rerum sacrarum usum. Cf. Berardi, *Comm. in ius c. vol. II, l. cit. Dis. 3, c. 8,* § *Ceterum.*

Ex hodierna autem disciplina, interdictum uti non semper *directe* afficit personas, ita non semper eumdem habet ambitum. Revera interdictum dispescitur in *personale, locale, mixtum.* Et tum *personale*, tum *locale* est *particulare* aut *generale.* - *Personale* est quo persona prohibetur ab usu rerum divinarum; et est *generale* quando integer coetus personarum, uti capitulum, vel populus hoc afficitur; est *speciale* si aliquis vel aliqui uti singuli, prohibitione percelluntur. - *Locale,* quo nempe *directe* certus locus prohibitione afficitur, est *particulare,* si prohibet quo minus in certo loco celebrentur sacrae functiones; ex adverso, *locale generale* comprehendit omnes Ecclesias et loca sacra certi territorii. Quamobrem *particulari*

interdicto tantum subsunt vel aliqua sacra loca vel aliquae Ecclesiae, *generali* afficitur integrum territorium; et per consequens omnia loca sacra in eodem comprehensa, etiam *exempta, arg. cap. 17 h. t. in 6*, nisi expresse excipiantur. Ne autem interdictum fieret illusorium cautum fuit in *cit. c. 17* interdicto subiici loca vicina alterius dioecesis, ad quae facilis et frequens fieret populi concursus. Itaque si Ordinarius suum territorium hoc interdicto percellat, auctoritate *iuris communis,* attingere valet etiam alterius dioecesis loca et eius est denunciare nominatim quaenam sint huiusmodi loca. - *Mixtum*, seu ex personali et locali interdicto constans, *directe* tum personas tum loca sacra prohibitione afficit, et dicitur etiam *deambulatorium* quia afficit quaecumque loca quae forte persona interdicta fuerit ingressa; *arg. cap. 11, De spons. X;* dum e contra interdicto locali *directe* loca, *indirecte* personae tenentur. - Nec est supervacaneum advertere, quinam directe ligetur interdicto, persona aut locus, aut uterque; effectus enim interdicti desumuntur vel a persona vel loco qui interdicto supponitur, et ille debet vinculo solvi, qui interdicto subiacet.

147. Primum loquamur de *interdicto personali speciali.* Hoc censurae integre refert naturam et in omnibus exprimit indolem. De aliis enim speciebus interdictorum quaestio est, an ista poenis proprie dictis aut censuris accensenda sint (1). Istud

(1) Interdictum vel quatenus est *locale* seu *directe* afficiens aliquem locum, *indirecte* personas, sontes vel insontes; et quatenus est *personale generale* tenens omnes cuidam collegio aut coetui addictos, etiam non contumaces, aliquantisper discrepat a notione censurae quae delinquentem contumacem destinata est compescere ut a contumacia desistat. — Hac ratione D'Annibale (I, 369) interdictum generaliter appellat *prohibitionem,* non *censuram* et saepius deinceps inculcat, interdictum ferri aut uti *poenam* aut uti *censuram.* - Sed nos secuti sumus Suarez et communem canonistarum definitionem quae interdictum *censuram* appellat. Nam *suspensio* uti pura poena ferri potest seu qua *privatio* est; sed non item interdictum quod tam gravem prohibitionem infert populo christiano ut

definitur communiter: « *Censura qua fidelis a sacramentis, excepta poenitentia et Viatico, a divinis Officiis et ecclesiastica sepultura prohibetur* ».

1) Interdictis, utpote censuratis, non prohibetur sacramentum poenitentiae, nimirum ut resipiscant, neque Viaticum ne solatio huius pabuli destituantur viam aeternitatis ingressuri.

2) Divina Officia prohibita sunt quae a clericis cum vestium apparatu, ipsis tantum proprio, publice peraguntur, uti horae canonicae. Cf. Suarez, *De Cens.*, *Dis. 34, s. 3, n. 7.* Quocirca clericus interdictus publice in choro horas canonicas recitare non debet, bene vero potest privatim recitare cum aliis clericis.

3) Si sint interdicti non tolerati sed vitandi nullimode

interdictum non secus ac excommunicatio ferri non debeat ad *tempus determinatum*. Cf. Suarez, *Disp. XXXVI, 3, 10, seq.* ubi Doctor refutat opinionem illorum qui opinantur, interdictum ferri posse uti *puram poenam*, et inde iste Doctor explicat seipsum qui *Disp. XXXII, 2, a.* in genere admiserat, referens communem canonistarum opinionem, interdictum ferri uti censuram vel uti *puram poenam*. Ceterum, uti advertit Suarez, conceptus censurae adeo patet ut eomprehendat sub genere suo *privationes bonorum temporalium directas ad bonum spirituale fidelium*, nempe ad *resipiscentiam*, si non *omnium*, saltem *nonnullorum* qui huiusmodi privatione percelluntur. Siquidem, pro *scopo principali* (et hoc debet attendi) huiusmodi privationes non feruntur ad *puram vindictam*, sed *maxime* ad *correctionem*. — Certe potissimum quoad *insontes*, ista interdicta rationem habent *privationis*, et hoc est *per accidens*; sed intentio Ecclesiae est ut haec interdieta inserviant scopo censurarum. Unde non debent haberi quasi *purae poenae* seu simplices *privationes*, sed uti *censurae*; et hoc in definitione exprimi debet. — Eo magis quod hodie ista Ecclesiae intentio haud in dubium vocari potest; siquidem in Const. *Apost. Sedis* inter *censuras* recensentur etiam *interdicta generalia*; et *suspensiones* latae in certum tempus, vel in corpora moralia. — In hac loquendi ratione habetur quidam regressus ad antiquiorem disciplinam, quod adverti debet. — Consequentia practica est, eos qui pollent facultate absolvendi *ob omnibus censuris*, certe absolvere possunt ab eiusmodi suspensionibus et interdictis quae continentur in Const. *Apost. Sedis*. Cf. D'Annibale, *I, 358.*

admitti possunt ad sepulturam; si vero tolerati ad eamdem nullum ius habent, sed a ceteris possunt admitti, dummodo non sint publici peccatores, uti supra advertimus. Item, debita servata proportione, dicatur de susceptione et sacramentorum administratione, prout iam exposuimus de excommunicatis.

4) Cum interdictum non removeat a fidelium communione, quod est proprium excommunicationis, coram *interdictis* etsi *vitandis* possunt celebrari divina officia et ipsis applicari valet sacrificium Missae et haec ab istis celebrata audiri valet. — Item, quia interdictum non aufert iurisdictionem, quod *suspensio* praestat, suapte natura, quippe clericos *qua tales* afficit, interdictus clericus, etsi vitandus, officia ecclesiastica valide exercet, suscipit et confert. Interdictus enim tunc in eo est *vitandus* ut nullimode possit admitti ad certa sacra participanda et ad sepulturam ecclesiasticam, quibus *interdictus* fuit.

5) Prouti species censurae, huiusmodi interdictum sequitur personam ubique locorum, et absolutione indiget, quae dari potest a quolibet confessario, nisi sit *reservatum* aut *ab homine* inflictum.

148. Species vero interdicti personalis est *interdictum ab ingressu Ecclesiae*, et ab illo differt uti minus a maiori; seu est interdictum *partiale*. Nam est arctior seu minus lata prohibitio: passim ita describitur « *Censura qua quis participatione divinorum in Ecclesia et ecclesiastica sepultura prohibetur* ». Proinde differt a *simplici personali interdicto* quia prohibetur directe tantummodo *ingressus* in Ecclesiam, et, per consequens, *clericus* divina officia ibi celebrare, *laicus* iisdem interesse, prohibetur. At extra Ecclesiam, utputa in coemeterio non contiguo vel in Oratorio privato, non interdicitur taliter censurato sacramenta administrare, suscipere et sacra Officia peragere. Item vi huius interdicti prohibetur Ecclesiastica sepultura, ex *cap. 20. De sent. ex. in 6.* - At recolantur superius dicta, habita ratione distinctionis inductae inter toleratos et vitandos, post Const. Martini V « *Ad evitanda* ».

149. Equidem ab *interdicto particulari personali* in quo elucet genuina notio censurae, admodum distat interdictum *generale personale,* et *locale* sive *particulare* sive *generale.* Tamen huiusmodi interdicta censurae substantiam retinent, praecipue ex scopo, quia *generale* infligi solet ob gravius crimen personae aut coetus personarum principum in aliquo ordine vel populo, ut sontes recedant a contumacia in conspectu tanti discriminis spiritualis, sua culpa, in christianum populum illati; insontes autem perculsi divinorum privatione, ob crimen unius vel alterius sontis omnimode eosdem pertrahare satagant ad recedendum a contumacia, quam ob rem relaxetur *generale* interdictum. Etiam *locale* interdictum infligitur, vel propter universi populi scelus, vel ob principis delictum aut alterius personae in aliquo coetu praestantioris, et eo consilio infligitur ut posteaquam crimen resipiscentia delinquentis fuerit expiatum, resolvatur *locale* interdictum. - Quare in huiusmodi interdictis, censurae habetur natura ex fine ad quem inferuntur, nempe ad frangendam quorumdam contumaciam; in iisdem vero simplicis *privationis* obtinetur effectus quoad *insontes* qui sine culpa percelluntur, sed non sine iusta causa.

Historiam eiusmodi poenarum quod attinet, utriusque interdicti origo repetenda videtur a saeculo 10 et 11, quamvis a saeculo 6 eorumdem nonnulla habeantur exempla. Huiusmodi moris occasio fuit contumacia praesertim Regum et Principum qui aegerrime ferebant et facile aspernabantur interdictum *personale speciale.* Quare interdicto universo populo vel aliquo coetu aut directius interdictis locis sacris, ipse Princeps cogebatur interdicto subesse; populus autem taedio affectus tantae spiritualis iacturae, animum Principis vehementer movebat ut a contumacia recederet. Cf. Van Espen, *p. III, tit. XI, 16, sq.* Quoobrem cautum fuit, in interdicto generali personali et in interdicto locali eos haberi *personaliter* et *specialiter* interdictos qui causam dederint interdicto, arg. c. c. *16, 24. De sent. ex-*

com. in 6. - Inde consequebatur aliquod *practicum* consectarium. Siquidem regula generalis est, interdictum *generale* seu *speciale locale* non vigere extra locum interdictum, et *personale generale* cessare pro eis qui illius coetus vel communitatis partem esse desierint et planum est. Sed hoc non fas erat iis qui causam dedissent interdicto quocirca et extra locum interdictum et si a coetu vel communitate exivissent, pariter ligabantur interdicto, nempe *personali speciali.* Sed hodie alio iure utimur, quia Const. *Apost. Sedis* hanc censuram *a iure l. s.* non recensuit et hinc hodie non vigere patet.

150. Interdicti *personalis generalis* et interdicti *localis* fere eadem est natura et vis; quippe in pluribus *privationis* secumferunt effectus, non propriae *censurae.* - Et interdictum personale *generale* gravius est quam *speciale* et planum est; uno et altero verum gravius est interdictum *generale locale.* - Hac servata proportione, gravis requiritur culpa ad interdictum legitime ferendum; videlicet gravior quo interdicti species gravior est; sed ex ipsa historia interdicti *generalis personalis*, et *localis* patet sufficere delictum etiam unius vel alterius principalis personae ad ferenda huiusmodi interdicta.

Interdictum tum *locale* sive *generale* sive *speciale,* tum *personale generale*, post Const. - *Ad evitanda,* - debent *nominatim* denunciari ut obligare incipiant - De interdicto *locali* nullum potest subesse dubium; quia fideles se abstinere a locis interdictis non tenentur, nisi ista uti interdicta denunciata fuerint. Ante Martinum V si *de crimine* constabat quod secumtrahebat interdictum, populus a loco interdicto per *latam iuris sententiam* debebat se arcere ut legi obtemperaret. - De interdicto autem *generali personali* viget necessitas denunciationis, post eamdam Const. - *Ad evitanda* – non *absolute* sed *relative.* Inquam - *non absolute,* quia haec Const. minime voluit meliorem facere conditionem censuratorum; unde dummodo censura lata sit in corpus, etsi singulis non denuncietur,

ligare omnes dicenda est. Et quando vel factum cui censura est adnexa vel ipsa sententia lata in *probatis* pene existant, sane nulla denunciatio necessaria est. Sed *relative* seu ex ordinarie contigentibus, cum delictum aut ipsa censurae illatio sive universae communitati sive ceteris satis non sit nota ut censuram observare valeant, hinc denunciatio necessaria est ad *evitanda* illa incommoda quae praepedire statuit Const. Martini V. - Ast denunciatio *nominatim* facta non ea requiritur ut necessario omnes et singulas personas vel singula loca recenseat et denunciet, sed sufficit ea denunciatio quae rem satis perspectam reddit.

Ex dictis patet, interdictum *personale speciale* nihil discrepare a lege communi, quamobrem interdictus est *toleratus* nisi secuta sit denunciatio quae illum reddat *vitandum*. Cf. Suarez, *XXXVII*, *2*.

151. Interdictum vero cuiusque speciei gravem continet prohibitionem quam observare sub gravi iubentur omnes ad quos spectat. - Praeterea clerici qui vel interdictum *personale speciale* violantes ordines exercent vel *in loco* nominatim *interdicto* sacra celebrant vel ministrant, incurrunt irregularitatem; arg. *cap. 18*, *§ 1, h. t. in 6.* Irregularitatem autem non incurrit clericus interdictus *generali* interdicto, aut clericus non interdictus sacramenta administrando personis interdictis, quia nullo textu hoc iubetur. Equidem poenae non excedunt casum suum, unde non possumus nos legem extendere, ex simplici similitudine rationis; et adversus sententiam nonnullorum DD. sequimur Suarez, *XXXIII*, *1*, *6*, qui incurri irregularitam negat. - Docet D'Annibale, *I, 371, not. 9,* Episcopos hanc irregularitatem non incurrere, maxime post Const. *Apost. Sedis*, nullibi enim fit de eis mentio; *arg. cap. 4 De sent. exc. in 6.*

Denique hae aliae poenae latae sunt, nimirum.

1) excommunicatio non reservata in eos qui mandant vel cogunt dari sepulturae ecclesiasticae hominem nominatim interdictum, ex Const. *Apost. Sedis*, *IV*, *n. 1.*

2) suspensio Rom. Pont. reservata contra eum qui ab Episcopo nominatim interdicto ordinem suscipit eaque suspensio incurritur *ab ordine sic suscepto*, ex Const. *Apost. Sedis IV, susp. n. 6.*

3) interdictum ab ingressu Ecclesiae afficiens eos qui interdictum locale violant, ex Const. *Apost. Sedis IV, interd. n. 2.*

4) Ex cap. *18*, § *Is vero. h. t. in 6*, violantes interdictum fiunt ineligibiles *active* et *passive;* sed Thesaurus *Verb. Censura, cap. 14, n. 6*, notat omnes DD. in hoc non convenire. Cf. Suarez, *XXXIV, 4, n. 16* et cf. supra n. 141.

Inde patet huius poenae gravitas, quae tamen ne cederet in destructionem magis quam in aedificationem mollienda paulisper fuit. - Re sane vera occasio historica interdicti *localis* et *personalis generalis* fuit contumacia delinquentium qui principem locum in societate obtinentes facile aspernati essent interdictum nisi etiam humiliores subditi ea lege tenerentur. Sed salutis animarum ratio in primis habenda erat. Quam ob rem pedetentim, progressu aetatum, emollitae fuerunt interdicti prohibitiones. Porro statutum fuit in cap. *11, De spons. X* (IV, 1) tempore interdicti *localis generalis* permitti baptismi administrationem parvulis, et morientibus sacramenti poenitentiae, nec non confirmationis. Ex *cap. 43, De sent. excom. X*, baptismatis adultis et Eucharistiae pro Viatico dumtaxat administratio permissa est. - Poenitentiae vero sacramentum nullis denegari cautum fuit *ex cap. 19, et ult. Alma mater. De sent. excom. in 6.* nec non matrimonii, sed sine benedictione, *arg. cap. 4. De feriis, X* (II, 8) (1).

(1) Extrema Unctio, quippe non est sacramentum necessitatis, non administratur; *arg. cap. 11, h. t. X.* Verum si sacramentum poenitentiae dari nequit, quia moribundus sensibus est destitutus, tunc administratur E. U. Lehmkul (II, 908). - Sed ordinario prohibetur, uti prohibetur ordinario Eucharistiae administratio. Absolute autem prohibetur *benedictio nuptiarum* et *ordinum collatio.*

Singularis constitutio permisit ut sepultura in loco sacro sine pompa concederetur clericis qui interdictum non violaverint non laicis nec infantibus: *ex cap. 11, De poenit. et remiss., X* (V, 38). Permissum quoque fuit ut divina officia fierent, *exclusis interdictis*, demissa tamen voce, et ianuis clausis, non pulsatis campanis in *locis generaliter interdictis*, ex Const. Bonif. VIII, - *Alma Mater cap. 24, h. t. in 6;* quod antea ex *c. c. 11 et 25. De priv. X* (V, 33) Innocentius III, concesserat Regularibus, collegiatis Ecclesiis aut Episcopis.

Inquam - *in locis generaliter interdictis* - nam in aliis *specialiter interdictis* licet, *ex cap. 57, De sent. excom. X*, Missam celebrare semel in hebdomada in Eccl. parochiali ad renovandam Eucharistiam ne forte desit morituris, ita *cit. cap. 57. De s. ex.*, quia necessitatis tantum habetur ratio.

Quoad interdicta generalia personalia et localia Bonif. VIII, Const. - *Alma mater* - decrevit, in festis *Natalis Dni, Paschae, Pentecostes*, et *Assumptionis B. M. V.* solemnia celebrari posse et sacramenta dispensari *admissis etiam interdictis*, exclusis excommunicatis. Sed loquimur de admittendis ad sacramenta generaliter interdictis. Nam personaliter interdicti admittuntur ad divina officia, sed ad sacramenta non admittuntur nisi in articulo mortis; vel quando absolvi possint in foro sacramentali ab interdicto non reservato. - Martinus V et Eugenius IV, idipsum servandum esse edixerunt in festo et per totam octavam Corporis Christi, admissis interdictis, exclusis excommunicatis.

152. Interdicto locali affinis est *cessatio a divinis* quae passim ita definitur « *Prohibitio divina obeundi et ministrandi sacramenta in loco sacro* » (1). Huius generis prohibitio reapse ab *interdicto locali* necessario distinguitur, quippe *a divinis ces-*

(1) Quare cessatio non privat sepultura ecclesiastica, sed tantum prohibet a divinorum officiorum solemnitate in associatione cadaveris.

satio censura non est, uti aperte statuit Bonif. VIII, *in cap. 18. De sent. ex. in 6*, aiens: « *Is qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta.... scienter celebrare praesumat, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit* ». Atqui contra violantes censuras, irregularitas in iure statuta est. - Proinde in violantes *cessationem a divinis* a iudice, suo arbitrio et pro casus adiunctis, poena ferenda est.

Praeterea *cessatio* immediate afficit locum, personas tantum mediate et nunquam immediate, *prouti* interdictum *personale*, et est simplex privatio, indicta ad significandum Ecclesiae moerorem ob gravius crimen notorium et manifestum notorietate *facti*. - In hoc consistit differentia *specifica*, unde *cessatio* discriminatur ab interdicto; siquidem *cessatio*, in primis, iubetur in signum moeroris et detestationis cuiusdam gravioris criminis, cuius satisfactio et reparatio, addito stimulo adeo gravis prohibitionis christiano populo irrogatae, repetitur a delinquente. - Smalzgrueber, *V, t. 39, n. 402.* - Nam statim ac aequa satisfactio concessa sit, relaxatur decretum *cessationis a divinis*.

Quum *cessatio* immediate afficiat locum, potest esse *generalis* aut *particularis*; et est *generalis* quando quaedam urbs, quoddam oppidum prohibetur a divinis officiis celebrandis; est *particularis* quoties prohibitio fit peculiari Ecclesiae, coemeterio, oratorio.

Tempore *cessationis a divinis*, spectato iuris rigore, *arg. cap. 11, De sponsalib. X*, (IV, 1), administrari possunt tantum sacramenta necessitatis, nempe baptismus, et poenitentia morientibus et Viaticum, sed pro benignitate Ecclesiae Doctores communi sententia opinantur, ea sacramenta administrari et recipi posse quae tempore interdicti. Cf. Smalzgrueber, *V, 39. n. 412.*

Quaeritur an privilegium concessum in cap. *24. Alma - De sent. excom. in 6.* ut scilicet clerici officia divina in loco interdicto celebrare submissa voce, ianuis clausis et non pulsatis cam-

panis possint, extendatur ad *cessationem a divinis*. Et sententia *negativa* est magis probabilis et in praxi tenenda; nam *cessatio* a divinis distinguitur ab *interdicto locali* pro quo lata est *Alma Mater*. In interpretanda hac Constitutione et an haec applicetur *cessationi a divinis* fuse inter se contendunt Doctores. Cf. D'Annibale, *I, 378,* et Van-Espen, *I. E. U. par, III, tit. XI, n. 39.* - Praeterea in praxi magnopere hoc attendi debet, nimirum *cessationem* indici ob gravissimam causam et hinc facilius et prequentius decerni *interdictum* quam *cessationem;* proindeque *cessatio a divinis* semper decernitur *a iudice*, neque *ipso facto* unquam incurritur: cfr. Smalzgrueber. *V, tit. 39, n. 403*, et edi debet cessationis decretum, servatis nonnullis solemnitatibus, ad validitatem; *arg. cap. 8, De off. ord.* (1).

Relaxatur cessatio ab eo tantum qui cessationem indixit, vel ab eius Superiore aut successore vel ab illius delegato. Cessat, *ipso iure*, vi legis, *cap. 8, De off. ord. in 6,* si post mensem, haec duo concurrant, nempe si 1) ab indicta cessatione partes inter se non convenerint et rem composuerint, 2) et cessationem indicens negotium non detulerit Romam.

153. Hinc *cessatio a divinis* distinguitur a *pollutione* Ecclesiae quae incurritur *ipso facto;* et est quaedam *indecentiae* macula adhaerens Ecclesiae ex quodam patrato crimine in

(1) Delictum debet esse notorium, adeo ut cessatio ordinetur ad reparandum scandalum; et *cessationi* deveniendum est quando aliter debita satisfactio a delinquente obtineri non potuerit. - Hinc causa propter quam iubetur *cessatio,* poni debet in scriptis, edito publico instrumento per tabellionem, aut aliter omnimode authentico, quod tradi debet ei contra quem cessatio indicitur, eo consilio ut hic satisfaciat, quin recurri debeat ad tam grave remedium. Postquam vero *cessatio* statuta est, ut relaxetur, ille, in quem indicta fuit, debet quoque indemnes reddere fideles de damno materiali inde habito, utputa canonici resarciendi sunt de non lucratis quotidianis distributionibus ob intermissas horas canonicas; *arg. cap. 2, De off. ord. in 6.*

eadem Ecclesia unde ipsum materiale aedificium veluti dehonestatur. Quocirca *pollutio Eccles.* est species *cessationis a divinis* et inducitur per certa crimina *ipso iure* designata. Ecclesia *polluta* solemni ritu *reconcilianda* est, et inde restituenda cultui divino. De singulis criminibus unde Ecclesia polluitur canonistae disserunt in titulo: *De consecratione Ecclesiae vel altaris;* cf. De Angelis, *h. t. n. 4;* et *c. c. 4, 7, 9, 10, h. t. X* (III, 40) et *cap. unic. in 6* (III, 21). - Casus autem in iure expressi sunt sequentes; siquidem Ecclesia polluitur 1) per sepulturam excommunicati *vitandi,* aut hominis *infidelis* seu non baptizati, dummodo hic non versetur in catechumenatu: 2) per consecrationem Ecclesiae ab Episcopo excommunicato *vitando* factam, ita communiter DD. arg. cit. *cap. 4 h. t.*, et *cap. unic. in 6 eius. tit.;* 3) per homicidium voluntarium di recte intentum etsi *iustum* intra ipsam Ecclesiam perpetratum. etsi consummatum fuerit absque sanguinis effusione seu percussione aut suffucatione. Unde martyris quoque occisio in Ecclesia admissa, istam polluit, etsi vulnus grave in Ecclesia feratur et mors extra sequatur; 4) per voluntariam humani seminis effusionem in Ecclesia factam etsi haec habita sit per legitimum concubitum inter virum et uxorem. - Polluta Ecclesia polluitur quoque coemeterium, si Ecclesiae est contiguum; sed polluto coemeterio non polluitur Ecclesia quamvis contigua, quia coemeterium est accessorium et accessorium sequitur principale, non principale accessorium, ita Bonif. VIII *in cap. unic. h. t. in 6.*

Nihilominus ut haec admissa Ecclesiam polluant, requiritur. eiusmodi crimina esse publica et notoria vel per evidentiam facti vel per condemnationem rei confessi, vel per legitimam criminis probationem in iudicio. - At crimen *occultum* si postea fiat *publicum*, ex hoc tempore Ecclesia habetur polluta. Cf. Schmalzgrueber, *III. De consecrat. Ecclesiae* n. 8.

TITULUS VI.

DE SUSPENSIONE.

Summarium. — 154. Notio suspensionis quatenus distinguitur ab aliis censuris et a *privatione* et a *depositione* — 155. Suspensio est vel *ab officio* vel a *beneficio,* aut partim sive ab uno sive ab altero. - Eius definitio. — 156. Enucleantur diversa iura quae comprehendunt tum *officium* tum *beneficium.* — 157. Suspensio *ab officio* non secum *trahit* suspensionem *a beneficio,* neque suspensio *a beneficio* suspensionem *ab officio;* suspensio vero simpliciter decreta, afficit *officium* et *beneficium.* — 158. Quid secumferat suspensio *ab ordine* seu *a divinis.* — 159. Quid suspensio *a iurisdictione.* An suspensus *toleratus* valeat, absque gravi causa, rogari ut administret vetitam potestatem. Utrum haec suspensio afficiat tantum actus qui suam vim desumunt *a iurisdictione.* — 160. De suspensione *ab ordine pontificali,* ab usu *pontificalium,* aut simpliciter *a pontificalibus.* — 161. Ex modo quo fertur distinguitur suspensio ad *cautelam* et suspensio *ex informata conscientia.* — 162. An suspensio *ab officio* vim habeat etiam extra dioecesim sive censurantis sive censurati. — 163. An collatio officii ecclesiastici facta suspenso sit illicita tantum aut etiam invalida. — 164. De suspensione *a beneficio.* — An haec se extendat ad omnia beneficia, ad omnia loca et an sit proprie censura. — 165. Recensentur singuli effectus suspensionis *a beneficii fructibus.* — 166. Clericus suspensus *a beneficii fructibus* ob crimen non valet sibi invocare *privilegium competentiae.* — 167. Quaenam prohibeantur per suspensionem *ab administratione.* — 168. De suspensione lata in personas morales. — 169. Clericus violans suspensionem fit irregularis. An irregularitatem pariat violatio suspensionis *a beneficio.*

154. *Suspensionis* censura in hoc consistit ut clericis interdicatur *usus, nempe activus, iurium clericali statui propriorum.* - Hinc 1) illi actus ministerii clericalis hodie etiam laicis concessi, seu munera ordinum minorum, non cadunt sub censura suspensionis. 3) Secundo, suspensionis proprium est auferre non iura seu bona sed eorum *usum,* unde essentialiter

differt a *depositione* et a *privatione;* et inde, natura sua, est temporanea cum non sit aequum, exercitium alicuius muneris prohibere in perpetuum in possessore eiusdem officii. 3) Praeterea, pro natura censurae, requiritur ut infligatur in tempus indeterminatum ad frangendam contumaciam: imposita enim ad certum tempus ob aliquod crimen iam praeteritum est potius poena vindicativa, vel si imponatur ob aliquem defectum corporis est simplex privatio, veluti *irregularitas ex defectu,* non poena neque censura (1).

155. Demum huiusmodi suspensionis censura, ab omnibus vel ab aliquibus tantum iuribus ministerii aut potestatis ecclesiasticae prohibere potest, nimirum vel ab officio et beneficio una simul, vel dumtaxat ab alterutro, vel partim aut ab uno aut ab altero, unde suspensio est: « *Censura qua clericus prohibetur vel in totum vel pro parte ab exercitio sui ministerii aut alicuius potestatis sibi competentis ratione officii aut beneficii ecclesiastici* ».

156. Ministerium clericale solet vulgo *officium* appellari cui.

(1) Nihilominus in Const. *Apost. Sedis* recensentur, inter censuras, suspensiones latae *per triennium, per annum,* ad *beneplacitum S. Sedis.* Iam advertimus, aliquantisper discedere a notione censurarum huiusmodi suspensiones, sed advertimus non posse vocari proprie poenas *vindicativas,* uti videtur opinari D'Annibale, I, 357. - In propositum, profundissima est animadversio S. Alphonsi .- VII, 314 - advertentis, suspensiones eiusmodi sed *latae sententiae* habendas esse pro censuris. Sane in antecessum irrogatae sunt a lege; lex interpellat pro homine, et eas incurrunt qui easdem spernunt. Unde determinatio temporis est quasi *accidentalis,* et delinquens si resipiscat et satisfaciat facile, ante elapsum praefinitum tempus, potest absolvi. Del Vecchio, I, 550. - Lehmkuhl, II, 901, not. 1, advertit cum Tamburrini, *De cens. tr. 2, c. 1, n, 3,* in dubio an suspensio sit censura aut poena, iuxta principium - *odia sunt restringenda* - praesumendum esse suspensionem esse censuram quia etsi violans censuram (non poenam) fiat irregularis, tamen censura dicenda est mitior quia *medicinalis,* et quia censuratus *ius habet* ut absolvatur statim ac resipiscat. Cf. *supra n.* 103.

ad congruam clerici procurandam sustentationem, accedere solet *beneficium*, quod prohinde dicitur dari *propter officium*. Officium comprehendit duplicem potestatem *ordinis et iurisdictionis*. - *Beneficium*, prout distinguitur ab adnexo officio, importat *ius utendi fruendi bonis patrimonialibus beneficio adnexis*, itaque comprehendit fructuum perceptionem et bonorum administrationem. Quae singula iura ministerio clericali competentia caute consideranda sunt, quia suspensio fere semper solet indici partialis, cadens scilicet in aliquod speciale ius, cuius naturam et extensionem perspectam habere oportet in dimetienda suspensionis vi.

157. Iamvero cum diversa iura comprehendant tum *officium* tum *beneficium*, suspensio ab officio non secum trahit a beneficio suspensionem et vice versa (1).

Suspensio vero simplex *ab officio*, ita indicta, utramque intercipit potestatem *iurisdictionis* et *ordinis*, et suspensus simpliciter a *beneficio* intelligitur impeditus a fructibus percipiendis et bonis administrandis: suspensus vero simpliciter, absque ulla mentione *officii* et *beneficii*, intelligitur ab utroque suspensus. Reiff. V, *tit. 39, n. 171.* Haec clara et aperta sunt, at considerandum, praeterea, quanam formula et modulo partiales suspensiones imponantur.

158. Quando vult suspendi tantum potestas ordinis, *suspensio* decernitur *ab ordine* seu *a divinis*. Suspensus *ab ordine* seu *a divinis*, ordines nec conferre nec exercere potest; arg. c. c. 4 et 17. *De temp. ordin.* X (I-11). Quia in odiosis versamur,

1) DD. communiter opinantur, suspensum ab ordine conferre

(1) Nonnulla fragmenta quae videntur suadere unam alteram continere, veluti *caput 10, De purg. can.* X (V-34) et 8 *De aet. et qual. praef.* X (I-14) intelligenda sunt de suspensione a beneficio *ferendae sententiae:* ita Fagnan. *Com. in cap. Quaesitum. n. 30. De cohabit. cleric.*; quia insordescens in censura *susp. ab officio*, etiam fructibus privandus est, ne commodum reportet ex sua malitia.

licite primam tonsuram quae non est ordo, non vero alios minores.

2) Si quis ab uno tantum ordine suspendatur, puta Episcopus ab ordine diaconatus, hunc nec exercere nec conferre valet; at licite exercet et confert inferiores ex probabiliori opinione, iuxta capita superius citata. Imo arg. *cap. 4. De temp. ord. in 6* (I-9) videtur superiores ordines conferre posse: verba capitis haec sunt; « *Qui vero contra fecerit* (seu illegitime contulerit primam tonsuram) *ut in eo in quo peccaverit puniatur, per unum annum a collatione clericalis tonsurae dumtaxat noverit se suspensum* ». Est sententia probabilior et prorsus rationi consona. Quamvis enim ordines exerceantur dum conferuntur, tamen prohibitio tantum percellens *collationem* non debet extendi ad *exercitium*, quia poenae non excedunt casum suum et ratio adest, plerumque, cur *collatio* prohibeatur, non *exercitium*, nempe, ut *quis in eo puniatur in quo peccavit*. Cf. Suarez XXVI, 4, 2, sq.

3) Quaeritur insuper, an superiores ordines possit exercere. Certe ex iure can. non prostat aperta prohibitio, secus quaestioni locus non esset. - D'Annibale, I, *380, not. 10* putat obstare ius naturale repellens taliter suspensum *quasi indignum:* siquidem sine scandalo taliter suspensus non videtur ministrare posse in superioribus ordinibus. At remoto scandalo, quia poenae non excedunt suum casum, videtur taliter suspensus non prohiberi ab exercendis ordinibus superioribus. Sequimur sententiam cl. Gasparri *Tr. de S. Ordin. V. I, 149*. Equidem suspensio a *diaconatu* vel a *subdiaconatu* irrogata distinguit hos gradus ab ordine superiore, et sacerdos missam celebrans non agit diaconum aut subdiaconum, sed presbyterum. Sane haec distinctio, *in se* vera, *practice* nimis subtilis populo videri continget, qui mirabitur ministrare ad altare uti *presbyterum* qui uti *diaconus* prohibitus est. Hinc sententiae cl. Gasparri addidimus clausulam, alioquin subintellectam, nempe *re-*

moto scandalo. - Quare non sequimur Suarez *XXVI, 4, 7*, qui innixus principio - *in per se subordinatis ablato eo quod est quasi principium et fundamentum alterius, reliquum etiam auferre necesse est* - infert aliquem suspensum in uno ordine suspendi ab omni actu illius ordinis et multo magis a superiore. Alii mediam viam secuti sunt, uti Schmalzgrueber, *V, tit. 39, 293*, et docent suspensum ab ordine inferiore suspensum esse ab ordinibus quoque superioribus, solum quatenus ipsorum actus includunt actum ordinis inferioris á quo est suspensus. - Cf. cl. Bucceroni, *De cens. 116*. - Hos non sequimur ex ratione supra allata (1).

159. Suspensus a *iurisdictione* intelligitur remotus ab eiusdem exercitio tum in foro *externo* tum in *interno*, nisi formula qua editur suspensio limitet prohibitionem quoad actus unius vel alterius fori. - Actus vero iurisdictionis a suspenso positi si sit *vitandus* sunt nulli; secus si sit *toleratus;* nam suspensio directe et principaliter prohibet usum potestatis iurisdictionis, sed eamdem iurisdictionem non aufert nisi *vitandis*. Et in hoc, suspensio sane non differt ab excommunicatione quae in excommunicato tolerato reddit illicitum usum iurisdictionis, sed non invalidum, imo nec illicitum si idem usus expostuletur a fidelibus. Differunt in hoc quod excommunicatio directe et principaliter privat communione, et hinc *per consequens* et quasi per accidens etiam prohibet ab exercitio iuris-

(1) In sententia horum DD. presbyter suspensus a diaconatu posset audire confessiones, administrare extremam Unctionem, et ita porro; sed non posset celebrare missam quia in ea legeret Evangelium quod est munus diaconi. Suarez, e contra, negat aliquem actum ordinis suspensi et ordinis superioris posse exerceri. Sibi obiicit fundamentale principium, nempe poenas non excedere casum suum, sed respondet has suspensiones, ut plurimum, esse *fer. sent.*, et pertinere ad prudentiam iudicis easdem proportionare gravitati criminis. Et haec animadversio temperat nimium rigorem sententiae et per se est consentiens principiis iuris poen. canonici. Cf. supra *n. 21 seq.*

dictionis. - Attamen graviori praecepto nos constringimur ne utamur opera suspensi *tolerati* non secus ac ipsius excommunicati *tolerati*. Nam quamquam ex Const. - *Ad evitanda* - habendus sit uti *toleratus* suspensus, quamvis notoria sit suspensio, quousque denunciatus non sit, expressa iudicis sententia, ut *fiat vitandus*, nihilominus quia quisque suspensus est prohibitus legitima Ecclesiae potestate a ministerio vel a potestate ecclesiastica, illum inducere ad ministrandum divina vel ad participandum iuribus beneficialibus, est cooperari delictis alterius et contemnere auctoritatem Ecclesiae, uti scite docet Suarez, cum communi, *XXVIII, 5, 6*. Quare haec prohibitio abstinendi ab usu ministerii clerici suspensi non est a iure positivo, sed ab ipso iure naturali, et dumtaxat urgente gravi commodo vel necessitate fidelium, est iisdem permissum a Const. Martini V - *Ad evitanda* - ut opera utantur suspensi non *vitandi*. Gravis enim necessitas excusat a praecepto naturali non dandi alteri (etsi per accidens et praeter intentionem) occasionem peccandi. - Const. - *Ad evitanda* - autem *toleratos* iussit non privari iurisdictione, non in suum sed in commodum fidelium (1).

Quia suspensionis censura ita ferri potest ut quis edicatur *suspensus a iurisdictione*, proinde examinandi sunt limites eiusmodi decreti ut declaretur quinam actus officii seu ministerii ecclesiastici interdicantur eiusmodi edicto. - Siquidem uti late explicavimus in prima parte *lib. I, n. 44*, notio *iurisdictionis* admodum late patet in iure can., comprehendens non solum potestatem iuris dicendi seu iudicandi, sed etiam leges ferendi et easdem exequendi seu potestatem executivam et administrativam. - Unde quaeritur an Episcopus suspensus a iurisdictione possit

(1) Supra ad *pag. 121, n. 84* diximus - a censuratis (*toleratis*) posse peti sacramenta etiam nulla ex necessitate vel utilitate et hoc intelligi debet *vi legis tolerantiae*, quamvis *ex charitate* ista peti non debeant, quia ordinario constat ministrum graviter peccare ministrando, seu nisi iam resipuerit et a *peccato*, si non a *censura*, absolutionem obtinuerit.

dare dimissorias ad ordines, Utrum parochus etiam a iurisdictione suspensus possit administrare Viaticum, extremam Unctionem et alia huiusmodi. D'Annibale, (I, 380, not. 13) censet, hanc regulam invocandam esse, nempe suspensionem a *iurisdictione* opponi suspensioni *ab officio, ab ordine,* nempe *a ministerio;* unde opinatur interdici tantummodo actus qui sine iurisdictione *valide* poni non possunt, non alios qui tantum *illicite* absque iurisdictione ponuntur. Videlicet parocho interdicitur, sacras audire confessiones, nuptias celebrare; sed ei fas est administrare Viaticum, extremam Unctionem, et alia id genus. - Quamvis versemur in odiosis, unde strictae interpretationi indulgendum est, nihilo secius sequi non possumus sententiam cl. Doctoris quia obstat obvius conceptus iurisdictionis iure can. adoptatus, complectens potestatem cuidam officio adnexam; unde dicimus parochum exercere officium *ordinarium* aut *iurisdictionem ordinariam.* Et hoc notat ipse D'Annibale, (I, 71), aiens, vocabulum iurisdictionis: « *iure canonico et hodie etiam civili latissime acceptum est* ». Cf. *V. I, n. 42 sq.*

Sequimur sententiam Suarez, *XXVI, 4, 19,* qui docet per *suspensionem a iurisdictione* prohiberi actus qui omnimode suam vim desumunt a iurisdictione, nec non actus ordinis qui requirunt iurisdictionem vel ut valide vel ut licite fiant: « *et ab his* (prosequitur Suarez, *l. c.*) *manet quis prohibitus per talem suspensionem per quamdam consecutionem non tamen eodem modo sed cum proportione. Ubi enim iurisdictio est de substantia actus, ut est in sola absolutione sacramentali, actus erit nullus... Ubi autem fuerit iurisdictio de iustitia actus (ut sic dicam) erit prohibitus ne licite fiat, factus tamen validus erit. Sic peccabit parochus suspensus quaelibet sacramenta ministrando suis ovibus ut ordinarius pastor* etc. ».

160. Species partialis suspensionis pro pollentibus ordine Episcopali sunt; *suspensio ab ordine pontificali* et *suspensio ab usu pontificalium* seu *a pontificalibus.* Altera ita distin-

guitur ab altera. Videlicet per suspensionem *ab ordine pont.* quis suspenditur ab iis quae tantum propria sunt ordinis episcopalis, non sacerdotalis; per suspensionem *a pontificalibus* quis prohibetur ab iis tantum exigentibus apparatum insignium pontificalium (1).

Qui violat suspensionem *ab ordine pontificali* fit irregularis. quippe ordinem exercet; qui vero violat suspensionem *ab usu pontificalium vel a pontificalibus* non fit irregularis; id enim nullo iure statuitur. Cf. Sayrus, *IV, 4, 14;* et D'Annibale. *I, 381.*

161. Hactenus de suspensione ab officio seu ministerio clericali. modo de suspensione a beneficio dicendum est. - Interim advertatur *ab officio* et *beneficio* suspendi posse etiam *ad cautelam;* et haec est, ait D'Annibale, *I, 385: « providentia quaedam pastoralis quae clericum de graviori crimine postulatum vel suspectum sacris interdicit ad scandala removenda, sive ut aiunt, ad cautelam. Haec... irrogari potest vel ob solam criminis suspicionem, si haec graviter existimatio-*

(1) Lehmkuhl, (II, 904) ita commentatur has suspensiones: « Episcopus a *pontificalibus* suspensus non incurrit irregularitatem si in *pontificalibus* celebrat. Celebrare enim non est episcopalis ordinis proprium, sed presbyteralis; id autem *in pontificalibus* facere grave quidem illi peccatum est, at non mutat actus *substantiam* quae ad inferiorem *ordinem* sibi non interdictum spectat. - Episcopus a *pontificalibus* suspensus qui sacros ordines confert, vel confirmat, sacra olea consecrat, sive altaria, templa, fit irregularis. Haec enim omnia aut ex Christi institutione aut ex Ecclesiae lege ad ordinem *pontificalem* pertinent; ordo vero episcopalis vere ordo *sacer est* a presbyteratu gradu distinctus ». Ex contextu patet quod suspensio *a pontificalibus* aequiparatur ab Auctore suspensioni ab *ordine pontificali;* quod praestat etiam S. Alphonsus *VII, 314.* - Sed revera haec loquendi ratio aequivocationi praebet locus, quia, *vi verborum,* suspensio *a pontificalibus* aequivalet suspensioni *ab usu pontificalium;* ait enim D'Annibale, (I, 381): « *Quid sunt pontificalia nisi insignia pontificalia?* ». Equidem si suspensionis decretum ita concipiatur, iure merito Episcopus intelligitur esse suspensus *ab usu pontificalium.*

nem onerat; sed tantum ab officio et ab administratione beneficii ». Et ratio est, quia nimis grave esset prohibere ab ordinibus exercendis, et reditibus beneficii privare. Sed ob bonum publicum, seu eo quod non deceat sacra tractari ab eo quem vel publica fama exprobat, vel urget criminis publici accusatio iudicialiter instituta, sane non est aliena a providentia episcopalis regiminis eiusmodi suspensio *ad cautelam;* arg. c. c. 26 *De accusat., X* (V, I), et 10 *De purg. can., X* (V, 34).

162. Ea vis est suspensionis *ab officio* ut si suspensus plura habeat officia, ab omnibus prohibitus censeatur; nisi sententia suspensionis expresse edicat, suspensionem afficere dumtaxat certum determinatum officium, prouti cavetur in extravaganti - *Ambitiosae - De reb. Eccles. alien.,* - qua male alienans *« si per sex menses immediate sequentes sub interdicto huiusmodi... animo perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem e regimine et administratione suae Ecclesiae vel monasterii cui praesidet in spiritualibus et temporalibus sit eo ipso suspensus »*. Quae suspensio *ab officio* est peculiaris quod ad *certum officium.* - Si limitatio non sit expressa, suspensio se porrigit ad quaecumque officia. Sed quaeritur; an etiam ad *quaecumque* loca? Et si agatur de suspensione *ab ordine,* nullum dubium subest; prohibita enim legitime, seu ab eo qui ius habet, a suo usu, potestate ordinis, pro omnibus locis prohibita intelligitur, quia pertinet ad *statum* personae clerici et quae *statum* afficiunt personarum, personam sequuntur ubique terrarum (1). - Nihilominus Episcopus valet, *expresse* edicens, limitare suspensionem *ab ordine* quoad certum locum.

(1) *Statum* personarum constituunt ea iura quae faciunt *clericum regularem, civem.* Unde hic *status* non constituitur nisi a iure *communi.* Quare dum ius commune permittit, per remedia poenalia, status diminutionem, haec personam sequitur ubique locorum. - Suspensio quoad *unum locum* non afficit *statum* personae. - Id etiam statuitur in codicibus civilibus, veluti in *Regolam. Gregoriano,* § *5, - Cod. civ. Ital., 6; Gall., 3.*

Item si sermo sit de suspensione *ab officio*, haec per se. quamvis lata sit *ab homine*, ex iure *speciali*, tamen afficit suspensum quoad omnia officia, etiam ea quae exercebat in alia dioecesi; ita Suarez, *XXVI, 1, 9, sq.* - Nam censura suspensionis est poena statuta ex *iure communi*, et hoc iure eius effectus reguntur, qui proinde plene vigent etsi censurae applicatio fiat ab Ordinario unius dioecesis; et hi effectus in ipsum censurantem vim habent. - Quamobrem si Episcopus excommunicaverit quemdam presbyterum et excommunicationem tulerit *l. s.* in omnes qui cum eo communicaverint in divinis. si ipse cum eo in divinis communicet, excommunicationem quidem non incurret quia non praesumitur in se ipsum voluisse ferre, sed graviter peccat, et si ei confert beneficium, *quippe vitando*, non valide confert: haec enim caventur iure communi. Et qui celebrat in Ecclesia a se interdicta, fit irregularis: nisi forte latum a se interdictum absolverit aut suspenderit. Cf. Suarez, *II, 4, 5;* Sayrum, *V, 3, 28.*

163. D'Annibale (I, 384) haec ad rem docet: « Quaestio. nec mediocris, est, utrum suspensus ab officio aliud officium acceptare possit in aliena dioecesi eiusque munera; et si ei iurisdictio adnexa est, utrum iurisdictionem quoque in ea dioecesi exercere valeat in his quae non pendent a potestate ordinis. Et quaestio haec est, utrum suspensio reddat suspensum inidoneum officiis ecclesiasticis suscipiendis. Suaresius id probabilius putat, exemplo excommunicationis; quod alii negant; quia id nullo iure cautum est, quos sequor. Ex quibus consequens est dicere, idem iuris esse si aliud beneficium ei collatum fuerit in propria dioecesi ». Sed, salva reverentia in cl. Auctorem, non possum consentire in eius sententiam nisi praemissa distinctione inter *officium* et *beneficium;* quia a praemissis non videtur fluere *generalis* consequentia quam ipse deducit. Siquidem et ipse Suarez, *XXVII, 1, 26,* aperte fatetur, suspensum ab officio vel a beneficio, « *non ita esse prohibitum seu impeditum a*

novo beneficio acquirendo, ut collatio ei facta sit ipso iure nulla, sed solum ut a legitimo iudice vel superiore sit irritanda; nam ratio facta ex cap. Si celebret. De cler. excom. minis., non plus probat » (1). In eamdem sententiam concinit Sayrus, *IV, 5, 6*, quem D'Annibale videtur ita intelligere ut sibi consentiat. Quamobrem ex praemissis ab ipso D'Annibale positis haec videtur sequi conclusio, nempe suspensum *ab officio* non esse incapacem seu omnino inhabilem officiis ecclesiasticis suscipiendis, sed esse prohibitum, quominus haec officia *exerceat, administret.* Nam et D'Annibale concedit, suspensionem *ab officio* irrogatam ab Ordinario etiam ex iure speciali dioecesano, vel *ab homine*, ligare quoad omnia officia, nisi vim suspensionis limitet ipse Superior. - Inde sequitur, officia denuo collata clerico suspenso, esse eidem auferenda, quippe haec exercere non valet, nisi quam citius absolutionem obtineat a suspensione. - Sed quaestio, an suspensio *a beneficio* eamdem vim habeat ac suspensio *ab officio*, specialem continet difficultatem; potissimum quia in primis quaeritur, utrum haec suspensio sit *censura* et secundo quia beneficii collatio si irrita non est, non fas est Ordinario collatori beneficium valide collatum auferre, quia privationes beneficiorum decerni non valent nisi iure communi statutae sint; et aliunde huiusmodi pri-

(1) Si quis obiiciat, non posse controverti, utrum suspensio reddat inhabilem officiis vel beneficiis suscipiendis, siquidem in litteris pontificiis collativis officiorum aut beneficiorum impertitur absolutio *a suspensione* ad effectum suscipiendi eadem officia aut beneficia, advertimus ea quae alias explicavimus; nimirum huiusmodi absolutionem inservire scopo auferendi quamcumque dubitationem circa valorem collationis, quippe DD. nec minimae notae, autumarunt collationes factas suspensis esse irritas; de facto autem absolutio inservit ad auferendum defectum inidoneitatis, quare suspensus est inhabilis muneri assumpto *exercendo.* Praeterea non intendit Papa suas gratias conferre indignis, quos inter maxime recensentur censurati; quocirca in litteris pontificiis aufertur quodcumque vinculum censurae ut prospiciatur valori earumdem litterarum; arg. *c. 1 De rescrip. in 6.*

vatio, ob causam suspensionis, nullibi cauta est. S. Alphons. *VII, 316, d. 3.* - Unde non quoad *officia* sed quoad *beneficia* sequimur D'Annibale. - De ista suspensione proinde seorsim est disserendum.

164. Qui simpliciter suspenditur *a beneficio,* suspensionem incurrit a fructibus percipiendis et ab administratione beneficii. Praeterea si iste plura habeat beneficia. ab omnibus intelligitur suspensus quae habet in ea dioecesi cuius Ordinarius suspensionem inflixit; *ex cap. 37, in fin. De elect., in 6* (I. 6). At in hoc propositum DD. in contrarias abeunt sententias, inquirentes an hic dicendus sit etiam suspensus a beneficiis in alia dioecesi habitis, et diversimode interpretantur caput iam citatum, et *caput 14, De foro comp., X,* (II, 2), uti videre est apud Thesaurum, *De poenis, I, c. 26.* - Verum quae tenenda sit certa sententia desumendum videtur a principiis iuris generalioribus. Iamvero in *cap. 37, De elect.* agitur de compromissario scienter eligente indignum ex quo suspenditur a beneficiis quae obtinet in ea Ecclesia, quia, ait Bonifacius VIII: « *Restringitur etiam dicta poena solum ad ea beneficia quae sic peccans in illa obtinet Ecclesia quam taliter eligendo specialiter noscitur offendisse* ». Ergo suspensio est ita coarctata a positiva voluntate iuris communis. In *cap. 14, De foro comp.,* quaestio est de clerico patrante crimen extra dioecesim ubi beneficium obtinet, qui tamen ab Episcopo loci, ratione delicti, iudicatur et non *suspensione* sed *privatione* beneficii plectitur; et cavet Pontifex: « *quod per Episcopum in cuius dioecesi deliquit, sententia poterit promulgari in eundem. Sed ab eo in cuius dioecesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda* ». Quapropter in isto casu Episcopus *domicilii* exequitur sententiam *privationis* latam ab Episcopo competente *ratione delicti.* Cf. *V, II, 323 sq.*

Quocirca non unus fingi debet casus quoad rem nostram, seu quoad suspensionem a *beneficio;* nempe aut censura est *latae*

sententiae, aut est *ferendae sententiae;* et, iterum, haec fertur vel a iure communi vel a iure particulari. - Primo si crimen mereatur suspensionem *l. sent.* ex iure communi hanc incursam fuisse declarat Episcopus in cuius territorio beneficiarius deliquit, vel beneficium habebat. Et quando huiusmodi suspensio sit *latae sententiae ex iure communi*, uti omnes aliae poenae et censurae, ligat quacumque in dioecesi ad quam se extendat ius commune, quamvis unius tantum Ordinarii praecesserit sententia declaratoria. Adeo ut si in una dioecesi deliquerit et in alia habeat beneficium, unus Ordinarius *declarat* incursam suspensionem, alius *exequitur*. Huc spectet regula quae statuitur cit. *cap. 14.* Unde suspensio a beneficio *ipso iure* incurrenda ex sententia iuris communis, vim habet clericum suspendendi a quibuscumque beneficiis in diversis dioecesibus possessis, quamvis in una tantum deliquerit, dummodo lex ipsa non limitet suspensionem ad unum tantum expressum beneficium; arg. *Extrav. Ambitiosae cit.* cf. n. 161. Verumtamen iudex ferens sententiam *declaratoriam*, de eadem alios Ordinarios, quorum intersit, monere debet (1).

Quum vero suspensio est a *iure communi ferendae s.*, ita ut expostuletur sententia *condemnatoria* iudicis applicantis hanc poenam clerico delinquenti, tunc suspensio tenet clericum quoad beneficia omnia etsi possessa in diversis dioecesibus, si haec sit intentio legis non indubie expressa; et huc facit *cit. caput 14, De f. comp.* - Si ius autem decreverit hanc poenam valituram solum in loco in quo delictum fuit patratum, uti *in cap. 37 iam cit.*, suspensionis effectus restringitur ad certum beneficium, et planum est. - Proinde quotiescumque haec limitatio non exprimatur aut certe non subintelligatur,

(1) Suspensio *a beneficio*, prouti advertit Suarez, *XXVII, 1, 9* aequivalet suspensioni *a beneficiis*, uti suspensio *ab ordine, ab officio*, a *iurisdictione* prohibet ab *omni* officio, ab *omni* ordine, ab *omni* iurisdictione; quia indefinitus terminus aequivalet universali.

uti explicat Suarez, *l. cit.*, *1*, tunc iudex condemnans, ipse pro beneficiis in sua dioecesi possessis exequitur sententiam, aliis vero Ordinariis in quorum dioecesibus clericus alia beneficia possidet, denunciat sententiam quam quisque pro suo munere executioni demandet. Cf. V, II, *l. c.*

E contra quando suspensio statuitur ***non ex iure communi*** sed ex ***iure particulari***, quaeritur an haec suspensio teneat quoque clericum quoad beneficia in alia dioecesi possessa. - Communis Theologorum et Canonistarum sententia est, taliter suspensum intelligi suspensum etiam a beneficiis quae extra dioecesim obtineat. Ita Suarez, *XXVII*, *1*, *17*, *seq.*, *potissimum arg.*, *cap. 14*, *cit. De foro comp.*; quod tamen hanc sententiam non evincit quia decernit beneficii *privationem*, non *suspensionem*, uti explicavimus. Praeterea Suarez, cum communi DD. opinatur hunc effectum sequi a suspensione ab officio, non minus ac a suspensione a beneficio, siquidem proprium est censurarum, ex ipsa voluntate iuris communis et quia attingunt *statum* personarum, ut censuratum istae afficiant, et sequantur uti umbra corpus, ubique terrarum. - Ast D'Annibale (I, 382. not. 33), negat suspensionem a beneficio esse censuram; quia prohibet a iuribus *mere temporalibus*; et plures DD. citat in suam partem. Concludit autem suspensum a beneficio, ***si plura habeat beneficia, suspensum esse a beneficiis quae in ea dioecesi possidet.***

Sententia cl. D'Annibale est certe probabilis et hanc in praxi sequi possumus praesertim quia, ex receptis moribus, Episcopus nisi contrarium expresse edicat, intelligitur voluisse suspendere a beneficiis tantum in sua dioecesi possessis; sed *abstracte* puto veriorem sententiam contrariam. - Videtur enim, ipsam suspensionem a beneficio ferri posse uti censuram quod aperte fatetur Suarez, *XXVII*, *2*, *1*; quamvis in *Disp. I*, *Sect. 1*, *6*. admiserit, in genere censuras versari non posse nisi circa ***iura spiritualia***. Revera iste Doctor in *Disp. XXXVI*, *3*, *11*, explicat

suam mentem asserens, non omnino abhorrere a conceptu censurae ut prohibitionem contineant quoad bona temporalia sed *annexa spiritualibus* et proinde ordinata ad salutem animarum, qualia sunt bona beneficialia. Et huic sententiae plane adhaeremus, maxime postquam Const. *Apost. Sedis* clare significavit, in disciplina eccles., pro fidelium utilitate, conceptum censurae *late*, non *stricte* sumi, et usurpari (1).

165. Modo dispiciamus de omnibus et singulis quae suspenduntur iura per suspensionem *a beneficio simpliciter*, vel per suspensionem. dumtaxat, *a fructibus percipiendis*, aut ab *eius administratione*, quibus distinctis iuribus iam diximus coalescere *ipsum beneficium*. Suspensus a beneficii fructibus, in primis,

1) cogitur, per se aut per alium, officium implere, nam suspensio *a beneficio* non ad se trahit ab *officio suspensionem;* unde parochus ita suspensus Missam pro populo celebrare debet.

2) Nihilo secius fructus percipere non potest provenientes ex bonis beneficialibus, seu reditus ex fundis et alios proventus ex censibus, decimis, constituentes dotem beneficii. Cf. Suarez, *XXVII, 1, 30.* At ea percipere posse videtur quae sunt oblationes, *incertae* uti vocant, seu obventiones patrimonio seu doti beneficiali extrinsecae. Proinde, docet D'Annibale, (I. 382) ipsas distributiones quotidianas, quas canonici ex mente Tridentini Concilii lucrantur, percipi non ratione fundi *beneficialis*, sed *praesentiae* in choro, et hinc non recensendas esse inter fructus per suspensionem a perceptione prohibitos. At contra opinantur

(1) Verum ipse Suarez, *XXVII, l. 22,* cum communi admittit, suspensionem a beneficio, ex intentione *expressa* vel *tacita* Superioris se referre non semel ad speciale beneficium; quare ab aliis, quae forte possideat suspensus, non iubetur suspensio. - Item admittit Suarez, *l. cit.*, non improbandam esse benignam interpretationem qua huiusmodi suspensiones passim, ex receptis moribus, intelliguntur se referre ad beneficia tantum quae suspensus obtinet in dioecesi ubi suspensionem incurrit.

Suarez, *XXVII, 1, 29;* Glossa, *in Clem., 2, De vita et hones. cleric. v. suspensus;* Schmalzgrueber, *V, 29, 302;* et probabiliori ratione, quia etiam distributiones sunt fructus beneficii et dantur ratione beneficii. Sed contraria opinio est probabilis et hanc sequi possumus in praxi.

3) Verum quia fructus non intelliguntur nisi deductis expensis, beneficiario relinquendi sunt reditus sufficientes ad solvendas taxas, pensiones et praestationes, utputa aedituis, Vicariis debitas et ad adimplenda pia onera Missarum, anniversaria. et alia legata. Eiusmodi enim obligationes non sunt munera officii quibus beneficiatus satisfacere debet quamvis fructus non percipiat beneficii, sed ista sunt onera quae inhaerent reditibus beneficii eosque minuunt; quaeque adimplere oportet, erogatis iisdem reditibus, ne aliis fiat iniuria.

4) Quaeritur an pensiones *ecclesiasticae* veniant beneficii appellatione adeo ut suspensus a beneficio, a pensione quoque suspensus censeatur? Et Suarez, *XXVII, 1, 15,* respondet: « *certum est comprehendi, quia est beneficium* »; sed responsio non placet Cardinali d'Annibale, *I, 382, not. 33,* quia versamur in odiosis; et in poenalibus - *capienda est occasio quae praebet benignius responsum;* ex l. 129, *De reg. iuris.* Et haec opinio videtur longe probabilior.

5) Demum ex adverso, quia suspensio *ab officio* non secum trahit suspensionem *a beneficio*, beneficiarius istius reditus percipere ius habet quamvis officio non incumbat. At Glossa, ad *cap. 8, De aet. et qualit. ordin.*, monet et *suspensionem a beneficio* infligendam esse si suspensus est in mora petendi absolutionem. - Item docet Fagnanus, in *cap. Quaesitum. n. 30, De cohabit. clericor.* Cf. quae supra diximus, n. 153, agentes de *insordescentia* in censuris.

166. Quaeritur an clericus ita suspensus possit invocare privilegium *competentiae* ex cap. *Edoardus,* ad fructus deducendos *ne egeat.* - Respondetur, in causis ex delictis provenien-

tibus seu criminalibus hoc privilegium invocari non posse, et relinqui Ordinarii prudentiae et moderationi, consulere ne clericus ad emendicandum coactus maiora scandala provocet. At ratio habenda est discriminis quod intercedit inter *poenas* et *censuras*. - Nam *poena* infligitur ad certum tempus, unde Superior cavere debet qua ratione interim reus suae consulat sustentationi. At ex adverso in infligendis *censuris* hoc intenditur ut clericus suae inopiae taedio affectus, quam citius a contumacia desistat.

167. Suspensus vero a *sola beneficii administratione* ea peragere non potest administrationis propria, veluti, iudicia promovere, credita exigere, at potest praesentare, iure patronatùs, ad beneficium et praesentatum instituere, suffragium dare, beneficia conferre et ita porro.

168. Quia in Ecclesia quoque adsunt personae morales ex pluribus personis physicis coalescentes, veluti capitulum, Eccl. collegiata, monasterium, quaeritur an hae personae suspensioni sint obnoxiae. - Ratio dubitandi esse potest, quia in istas personas excommunicatio haud ferri valet, uti exploratissimi iuris est; siquidem ista poena *medicinalis*, SPIRITUALIS, applicanda non est personae morali quae dumtaxat existit *fictione* iuris.

Nihilominus aliae censurae, nempe suspensio et interdictum, feruntur in personas morales. Ratio differentiae est, quia excommunicatio est omnium censurarum gravissima et arcet a bonis universis religiosae societatis et ab ecclesiasticis auxiliis directe ordinatis ad sanctificationem et salutem animarum; quocirca admitti non debet, ut aliquis etsi innocens, huic censurae subsit, quia illius communitatis pars est. - E contra aliae censurae quippe leviores continent prohibitiones, ferri quoque possunt non ut poenae sed prouti sunt privationes quae tenent etiam innocentes.

Revera suspensio ferri potest in collegium, in capitulum quatenus persona moralis est; arg. *cap. 16*, *Sess. 24* Concil.

Trid., ubi capitulum quod sede vacante Vicarium Capitularem non constituit tempore et modo ibi praescriptis, prohibetur a facultate illum constituendi pro ea vice: haec suspensio *ab officio* est. - Sed haec est suspensio partialis *ab officio;* suspensio ferri potest simpliciter *ab officio;* et tunc his muneribus interdicit quae ad iurisdictionem capituli pertinent; scilicet, prohibet capitulum quominus conventus capitulares habeat, beneficia conferat. - Si suspensio feratur *a divinis* ista percellit actus cultus divini quae fiunt in communi. - Etenim suspensio *ab ordine* non potest cadere in capitulum seu collegium, qua tale; cum illi actus non fiant per totam communitatem sed per singularem personam. - Suspensio demum *a beneficio* ita afficit capitulum seu collegium, quatenus tota communitas aliquando habet beneficia sibi unita; et ab huiusmodi beneficio intelligitur suspensa communitas; arg. *cap. Quisque - De electionibus in 6,* (I, 6). Cf. Suarez, *XXVIII, 3, 1 seq.*

Suspensio ferri potest in singulos qui aliquam communitatem componunt aut alicui clero addicti sunt; veluti si suspendantur omnes clerici alicuius Civitatis, haec suspensio est proprie censura quae singulos *distributive*, non *collective* sumptos afficit.

Demum suspensio ferri potest in ipsam communitatem et in singulos, adeo ut non solum suspensione afficiantur iura vel universa vel nonnulla quibus pollet collegium sed etiam iura vel universa vel nonnulla quae singulis personis competunt. - Exempli causa, haec decernuntur cap. *Quia saepe, 40. De electione, in 6* (I, 6): « *Quia saepe contingit quod cathedralibus... Ecclesiis vacantibus, Capitula, Conventus, Collegia et singulares earumdem personae bona a Praelatis ipsarum dimissa... occupant, inter se dividunt... Nos... decernimus ut ii qui praemissa de cetero praesumpserit, eo ipso sint et tamdiu maneant ab officio et beneficiis quibuscumque suspensi...* etc. ». Quare huiusmodi suspensio una simul tenet et collegium et personas singulas iisdem addictas.

Absolutionem quod attinet, communitates absolvi non possunt nisi in foro externo; quia istae censurae effectum sortiuntur potissimum quoad forum externum; personae vero singulae quatenus suspensione ipsae ligentur, absolvuntur vel in foro interno vel in externo. Cf. D'Annibale, *I, 388*.

169. Qui violat suspensionem ab officio sive *lat.*, sive *fer. sent.*, sive *ab hom.*, sive *a iure*, incurrit irregularitatem exercendo *ordinem* censurâ prohibitum. - Inquam - *ordinem* - nam *iurisdictionem* administrando suspensus ab officio vel a iurisdictione non fit irregularis. Unde incurrit irregularitatem sacerdos qui suspensus *ab officio* vel *ab ordine* vel *a divinis* absolvit a peccatis; nam absolutionem impertiens exercet ordinem sacerdotalem, quamvis absolutio non valeat sine iurisdictione. - Ex adverso suspensus a iurisdictione si absolvit a peccatis, nihil agit sed irregularis non fit. - Suarez, *XXVI, 2, 4*, opinatur incurri irregularitatem quum exercetur ordo prohibitus etiam a censura impropria seu a poena qualis est suspensio lata ob crimen omnino praeteritum aut in certum tempus; arg. *cap. 1, De sent. et re iud. in 6* (II, 14). - D'Annibale, I, 386 et 411, not. 24, advertit, quia versamur in odiosis, censuram intelligi debere stricta et propria significatione; nisi aliud expresse statutum sit in iure, veluti in *cap. cit.*, unde fit irregularis qui suspensionem violat irrogatam ad annum. Cf. S. Alphons., *VII, 314, 317*. - Nihilominus verior et pene *certa* sententia est quae tenet absque ulla distinctione, irregularitatem incurri ob spretam suspensionem sive proprie haec *censura* sit sive *poena*. Nam S. Cong. Concil. in *Sagonen. 21 Iun. 1625* quam refert Benedictus XIV *De syn.* XII. 8, n. 5, et in *Lucionen. 8 April. 1848* irregularitatem edixit provenire etiam ex violatione suspensionis in *poenam* latae. *Acta S. Sedis XIX, p. 575.* Quare sententiam D'Annibale sequi non possumus. De his redibit sermo infra in *tract. de irregularitatibus*.

TITULUS VII.

De poenis proprie dictis.

Huc ref. tit. 37, x, lib. v; tit. 9 in 6; tit. 8 in Clem.

Summarium. — 170. Traduntur poenarum proprie dictarum natura et species. — 171. De inhabilitate non naturali iure sed inducta iure positivo in poenam. — 172. De privatione officii, beneficii ecclesiastici. — 173. De *remotione oeconomica* a beneficio parochiali, vel *perpetua* per modum *permutationis* seu *translationis* ad aliud beneficium; vel *temporanea.* Haec appellatur etiam *inhibitio* seu *decretum inhibitorium* ut distinguatur a *censura suspensionis.* — 174. De privatione fructuum beneficialium — 175. De privatione vocis activae et passivae. — 176. Depositio a beneficio, ab officio est poena admodum gravior semplici privatione. — 177. Degradatio praeterea efficit ut clericus destituatur privilegiis clericalibus. Quia solemnis et tristis est ritus degradationis, distincta est degradatio *verbalis* et *realis.* — 178. Degradatio, non secus ac depositio aut simplex beneficii privatio non decernitur nisi in casibus a iure communi statutis. — 179. De forma servanda in exequenda degradatione reali. — 180. Quare irregularitates recenseantur inter poenas, quamvis primo et principaliter sint impedimenta ad ordines suscipiendos aut ministrandos. — 181. De privatione sepulturae ecclesiasticae. — 182. De multis.

170. Poenae *proprie dictae*, quatenus a censuris distinguuntur, ordinatae sunt ad effectum *exemplaritatis*, nimirum ut per bonum exemplum delinquentis poenas luentis, auferatur delicti malum exemplum. - Nihilominus ipsae prohibitiones quae praecipiuntur *per censuram*, possunt etiam decerni in *poenam;* et hoc fit quando ita feruntur ut non intendant *directius* obtinere delinquentis emendationem, sed in primis ordinis externi restaurationem. - Privationes (1) autem bonorum sive spiritualium sive temporalium nonnisi in poenam iuberi possunt, prout suo

(1) Siquidem censurae prohibent *usum* rei, sed re non *privant.*

loco explicavimus. - Exinde poenae eiusmodi, quod ad bona *spiritualia* vel *ecclesiastica*, sunt quae aut capacitatem auferunt iuridicam obtinendi officia, beneficia ecclesiastica; aut haec auferunt iam obtenta, aut adimunt alia iura status sive clericalis sive christiani. Sunt nimirum:

1) *inhabilitas* ad officia, et beneficia ecclesiastica;

2) *privatio* officii aut ecclesiastici beneficii;

3) *privatio vocis activae et passivae;*

4) *depositio* clerici;

5) *degradatio* e statu clericali;

6) *privatio sepulturae ecclesiasticae;*

Hae poenae privant bonis seu iuribus spiritualibus et ecclesiasticis et suapte natura ordinatae sunt ad clericorum crimina compescenda, si demas privationem ecclesiasticae sepulturae quae indiscriminatim clericos aut laicos afficit; et hodie, pene ubique gentium, est unica poena quam in laicos urget ecclesiastica potestas. - Item *irregularitates* explicabimus, at hae, etsi *ex delicto* provenientes, discrepant a poenis.

Temporalia autem bona adimunt: *a*) multae; *b*) carcer; *c*) exilium aut relegatio; *d*) et aliae poenae corporis afflictivae, veluti fustigationes quae adhibitae *citra sanguinis effusionem,* non abhorrent a potestate Ecclesiae coactiva. Cf. *supra n. 63.* At istae et ceterae eiusmodi poenae saepe ab oeconomia externae disciplinae alienissimae sunt vel quia executioni difficile demandari possunt, vel quia moribus fidelium accommodatae non sunt; prouti hodie fit ferme apud omnes populos catholicos. - De poena *infamiae* aliquid dicemus agentes de irregularitatibus. Has proinde innuisse sufficiat; at excipienda est *multa pecuniaria* quae hodie etiam, poenae nomine, utiliter maxime in clericos ferri valet.

171. Modo dispiciemus de poenis quae bona seu iura afficiunt spiritualia aut ecclesiastica, incipientes ab *inhabilitate.* - In primis distinguenda est *inhabilitas poenalis* ab ea quae poenae

nullimode exprimit naturam. Re quidem vera sunt nonnullae inhabilitates ad officia ecclesiastica ex naturali iure provenientes, veluti aetas, amentia, carentia scientiae, coecitas; nonnullae aliae sunt a iure divino uti sexus foemineus, carentia baptismatis. At hae omnes inhabilitates certe non statutae sunt in poenam; imo harum nonnullae non attingunt statum personarum ut puta aetatis defectus, carentia scientiae, neque sunt perpetuae, quocirca verius dicendae *inidoneitates*.

E contra *inhabilitas* ad poenam a iure can. statuta, aufert, ob aliquod crimen, capacitatem iuridicam a subiecto aliunde iure naturali et divino habili quod exinde fit ineptum ad recipienda beneficia, officia ecclesiastica. - Haec inhabilitas, suapte natura, est perpetua nec poenitentia deletur sed dumtaxat dispensatione legitimi Superioris, *arg. c. c. 2. § 2, et 15 De haeret. in 6* (V. 2). Revera in *cit. § 2. cap. 2* statuitur: « *Haeretici autem, credentes, receptatores, defensores et fautores eorum ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium aut officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane* ».

172. Quoad officia vero aut beneficia rite obtenta in poenam decernitur *privatio;* et haec est *l. s.* aut *f. s.* - Si vero agatur de beneficiis inamovibilibus seu quae *manualia* non sint, aut de officiis adnexis huiusmodi beneficiis, poena *privationis* ferri non potest nisi a *iure communi* statuta sit et servatis in eiusdem executione formis processus iure praescriptis.

173. Praeterea ad privationem deveniendum non est, nisi aliae poenae pro emendatione delinquentis adhibitae sint, prouti infra explicabimus, ad praescriptum Conc. Trid., *Sess. V, c. 2, De ref.;* nec non gravissimae ex iure communi expostulantur causae ut decernere liceat *privationem*. Quamobrem, potissimum ope iurisprudentiae et consuetudinis, inductum fuit quoad beneficia curam animarum adnexam habentia: 1) *inhibitorum decretum* seu *suspensio ab officio* ad certum tempus, non in *cen-*

suram sed expresse *in poenam* (1), quotiescumque parochus ob eius agendi rationem in populo grave excitat scandalum et vehementem animorum commotionem (2). Quando hoc decretum casus gravitati et discrimini non consulat, iubetur 2) *oeconomica remotio*, unde parocho aufertur beneficium hactenus possessum per modum permutationis vel translationis. Siquidem ei novum confertur beneficium et quidem reditus aequivalentis si ille remotus fuerit aut sine culpa aut saltem non propter culpam valde gravem. Nam si admodum grave sit parochi admissum vel omissum, tunc decerni potest collatio beneficii etiam inferioris reditus aut conditionis in maiorem poenam. Ratio et limites huius remedii poenalis nec non processus executionis desumuntur ex iurisprudentia S. Cong. Concilii quae pluries ratam habuit et confirmavit hanc poenam eiusque usum moderata est.

Fit locus huic *remotioni* oeconomicae, quum haud ferri potest privatio ob defectum causae canonicae. Proinde remotio decerni solet si ex imperitia aut ex inidoneitate parochi, vel non culpabili, ad officium rite explendum, vel ex animorum aversione et plebis gravi odio excitato, ex adiunctis rerum, forsan parochi culpa expertibus, ipse parochus utile ministerium in eo loco amplius exercere non valet. Revera *caput 5, De*

(1) *Inhibitorium* vel simplex *inhibitio* distingui solet a *suspensione*, quia *inhibitio* significat prohibitionem latam omnino vel in puram poenam vel in provisionem oeconomicam, non in censuram, cui suspensionis nomen congruit. Ita in quadam causa suspensionis agitata in S. C. Concil. *die 17 Decemb. 1864* quum Episcopus parocho praecepisset ad scandala avertenda et turbas sopiendas, *ne ullum parochiale officium obire praesumeret in districtu* parochiae, propositis dubiis: « I. *An sustineatur suspensio in casu.* - II. *An et quomodo sustineatur remotio a paroecia seu potius sit locus reintegrationi, restitutioni fructuum et refectioni damnorum in casu;* prodiit rescriptum ad I et II: *inhibitionem amplius non sustineri ideoque parochum esse reintegrandum* ».

(2) Tunc parocho assignandus est idoneus vicarius, aequa redituum beneficii portione assignata.

rerum permut., *X* (III, 19), iam statuerat: « Generaliter itaque teneas quod commutationes praebendarum de iure fieri non possunt, praesertim praemissa pactione.... Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uno loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere ». Quocirca parochus etsi innocens cogi potest ad beneficium permutandum si aliter bono pacis et spirituali ovium suarum regimini consuli nequeat ullimode; ita ex praescripto iuris; nempe *arg. c. c. 10*, *De renunciat.*, *X* (I, 9); *8*, *De electione*, *X* (I, 6) et *4*, *De cleric. aegrot.*, *X* (III, 6). Verum beneficiorum permutatio et hinc translatio non induit naturam remedii poenalis nisi beneficiatus transferatur *invitus* seu in poenam de uno in alium locum, adeo ut privetur uno beneficio et cogatur aliud suscipere. In hoc consistit vis poenalis *oeconomicae remotionis* quae medium tenet locum inter *suspensionem* temporaneam a *beneficio* et *beneficii* privationem, et compescit culpas et deordinationes quibus non satis prospicit *suspensio*, quibusque a iure communi adnexa non est poena *privationis* (1).

(1) Cit. *caput 5 De rer. perm.* cum communi Reiffen. ita commentatur 38 sq.: « Quod Episcopus subinde possit etiam cogere clericum ad permutandum cum alio beneficium si nempe gravis id causa postulet vel quia minus est idoneus ad praestanda munera beneficii ». Et Concil. Trid., *cap. 6, sess. 21, De ref.* statuit: « Quia illiterati et imperiti parochialium Ecclesiarum rectores minus apti sunt officiis.... Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegati iisdem illiteratis, et imperitis, *si alias honestae vitae sint*, Coadiutores aut Vicarios pro tempore deputare partemque fructuum pro sufficienti victu assignare *vel aliter providere possint*, quacumque appellatione et exemptione remota ». Inde S. Cong. Concilii ratam habuit *remotionem ad tempus* a munere parochiali et ab ipso loco beneficii. Ita in una Eystetten. *Permutationis parochiae die 21 Iul., 11 Aug., 22 Sept. 1742.* Agebatur de quodam parocho adversus quem plures querelae motae erant apud Curiam, unde Curia maxime quia parocho omnium animi erant infensi, prius Coadiutorem ei deputavit, deinde cum eiusmodi provisionem

174. Privatio fructuum percipiendorum ex beneficiis vel pensionibus ecclesiasticis decernitur quoque in poenam. Ita Concilium Trid. *in Sess. 6, c. 1, De ref.* et *in Sess. 23, c. 1, § eodem, De ref.* in clericos non residentes statuit, in primis, poenam privationis fructuum, eamdemque poenam tulit adversus clericos concubinarios in *Sess. 25, cap. 14, De ref.* Aliquando huiusmodi poena videtur recensenda inter poenas *conventionales* (cf. sup. n. 68), quando nimirum magis ponitur uti conditio seu modus pro obtinenda aliqua re aut fructibus capiendis; ut puta *Horarum recitatio* pro acquirendis fructibus beneficii, in vim Const. *Ex proximo.* Pii V. - Hoc notat Thesaurus (P. I, 23), et advertit poenam conventionalem plene incurri et fructus restituendos esse ante quamcumque iudicis sententiam *declaratoriam;* non item poenam proprie dictam, quippe est privativa iuris quaesiti et possessi. Suarez, *De cens., XXIII, 4, 7.*

175. Poena *privationis vocis activae* et *passivae* continet iuris privationem quo possumus vel *eligere* vel *eligi* ad munia, ad officia, ab beneficia ecclesiastica. Quando ius *vocis activae* et *passivae* est iam *quaesitum* eius privatio referenda est inter

in cassum cessisse arbitraretur ad amputandam turbarum et simultatum radicem, decrevit, ut intra quadrimestre tempus de permutanda paroecia parochus ipse sibi consuleret, secus permutatio fieret *ex officio.* - Curiae Procurator fiscalis instabat ut confirmaretur sententia potissimum advertens, ex peculiari more tum Eystettensis dioecesis, tum aliarum Germaniae partium, integrum semper Episcopis fuisse, rectores parochiarum, iusta aliqua suadente causa, ab uno loco amovere atque ad alium transferre, eosque ad beneficii permutationem cogere. Hinc proposito dubio: « An iudicatum Curiae Episcopalis Eystettensis sustineatur in casu » S. Cong. Concil., *die 11 Aug. 1742,* rescripsit: « Affirmative » et *die 22 Sept.* iterum re discussa stetit « *in decisis* » addita clausula « *ita tamen ut permutatio per Episcopum fiat cum beneficio reditus aequivalentis* ». Praeterea S. Cong. Concilii approbavit *decretum inhibitorium,* seu *remotionem temporaneam* ab officio, suffecto Coadiutore ad mentem Concil. Trid., *l. cit.,* in una Taurinen. *Suspensionis, die 17 Iulii 1855.* Remotionem sive tem-

poenas negativas mixtas quae etsi sint *l. sent. ipso iure aut ipso facto* incurrendae, nihilominus expostulant sententiam criminis *declaratoriam* antequam quis teneatur subesse eidem poenae; uti explicavimus n. 71 sq., excepto casu criminis tam publici, tam notorii quod nulla possit tergiversatione celari. Cf. Lucii Fer-

poraneam sive perpetuam per modum translationis aut permutationis approbavit S. Cong. Conc. in Placentina, *die 6 Decemb. 1727;* in Fabrianen. seu Camerinen., *die 6 Decemb. 1784;* in Limburgen., *die 27 Iunii 1857;* in Colonien., *die 5 Iulii 1856;* in Herbipolen. *die 22 Decemb. 1860;* in Bergomen., *die 22 Aug. 1865,* et *die 25 Iul. 1896* in Spalaten. et in aliis. Has videre est *in Thesauro Resolutionum S. Cong. Conc.*; potiores habes quoque apud Acta S. Sedis; *sc. V. I, p. 516. V. II, 283, XI, p. 150, XX, 126.* - Vide *Appendicem.* - In *V. IV, pag. 20*, habes controversiam relate ad amovibilitatem parochorum ex iure peculiari in Galliis vigente. - In *foliis* causarum habes late evolutas rationes tum ab auctoritate tum ab argumentis iuridicis deductas. - Quia *remotioni oeconomicae* aliquando fit locus quamvis parochus dumtaxat *ex odio malae plebis* utile ministerium in sua Ecclesia amplius exercere non valeat, adverti debet in isto casu, *remotionem oeconomicam* poenis nullimode accensendam esse; et planum est. Sed iste casus est perrarus; frequentius enim accidit, parochum ex sua negligentia, socordia aut imprudentia, vel etiam ex inhonesta vivendi ratione sibi odium conciliasse suae plebis. Tunc *remotio oeconomica* ab Episcopo iubetur in poenam et invitus quoque parochus cogitur ad permutandum beneficium. Quamobrem si absque ulla culpa parochus cogatur alium suscipire beneficium hoc sane esse non debet reditus nec conditionis inferioris. — *Remotioni oeconomicae* decernendae praecedat oportet iudicialis cognitio de causis aut culpis unde expostulatur remotio, item praecedere debent monitiones ut parochus curet scandali et turbarum removere occasionem, sed non ea requiritur procedendi ratio exacta ad normas canonum quae necessaria est quum decernitur beneficii privatio adeo ut privationis sententia non sustineatur nisi crimen privationem expostulans, iudicialiter et invicte probatum fuerit; ita rescripsit S. Cong. Concilii in Camerinen., *die 8 Maii 1784;* S. Severini, *die 4 Aprilis 1778;* in Cracovien., *die 16 Feb. 1770.* Cf. - Acta S. Sedis, *I, p. 151-220.* - In remotione oeconomica non requiritur, beneficium alterum collatum esse parochiale, sed requiri tantum solet esse reditus aequivalentis. Cf. Concordien. *diei 20 Febr. 1897.*

raris, *Bibliot. v. Lex., art. 2, n. 25 sq.* At notat Thesaurus *P. I, art. 29, q. III*, ita intelligi privationem vocis *activae « ut eligi non possit ad officia honoris et praeeminentiae; nam ad munera onerosa eligi poterit ut ad officium lectoris, sacristae.... oeconomi »*. Secus enim reus commodum reportare posset ex suo delicto. - Ceterum privatio *vocis activae* et *passivae* est poena gravissima quippe lata iure communi afficit statum personarum.

176. Privatio beneficii aut officii sedulo distinguenda est a *depositione;* et privatione beneficii aut officii poena gravior est *depositio.*

Etenim beneficii privatio clerico aufert, praeter ius percipiendi reditus, officium proindeque gradum, dignitatem aliaque omnia iura beneficio forte adnexa, at iura status clericalis intacta relinquit; unde idem clericus beneficio privatus, per se, aliud beneficium assequi valet et privilegiis omnibus fruitur clericalibus. Per *depositionem* autem nonnulla iura amittit status clericalis; universa vero amittit per *degradationem.* - Revera *depositione* clericus in perpetuum privatur officio et beneficio ecclesiastico, sed non destituitur privilegiis clericalibus, scilicet fori, canonis et immunitatis (1). Nihilominus poena depositionis est gravior quam simplex privatio quia depositio secumfert incapacitatem ad idem beneficium per novam provisionem assequendum et ad alia obtinenda; unde ex depositione oritur *inhabilitas*, ad officia et beneficia ecclesiastica et ista afficit statum personarum; cf. Suarez XXX, *1*, *6*.

Quia depositio non eicit a clero, potest quis deponi tantum ab officio, ut puta si canonicus theologus deponatur ab officio theologali; et Suarez *l. c. sect. 2*, quaerit an depositio

(1) De privilegio *competentiae* vidimus *n. 165* quomodo istud suspendatur, quippe non favet clerico in poenam ob crimen suspenso aut privato reditibus beneficii, sed clericum iuvat *actione civili* compulsum.

ab officio secumferat etiam a beneficio depositionem; et iure merito distinguit depositionem ab officio *ipso iure* latam a depositione *f. sent.*, docens depositionem ab officio *l. sent.* incurri tantum *quoad officium;* quia poenae non excedunt casum suum; depositionem autem *ab officio fer. sent.* extendendam esse etiam, ministerio iudicis, *ad beneficium* quia haec videtur esse intentio legis eiusmodi poenalis et ita observatur in praxi.

177. Degradatio autem non tantum clericum perpetuo privat officio, beneficio, sed eum, praeterea, obnoxium facit laico magistratui a quo, post degradationem, iudicatur et condemnatur quasi laicus, ut non secus ac laici homines poenas sustineat quae sunt eius sceleri a iure constitutae. Bonifacius VIII *c. 2 De poen. in 6* distinguit degradationem *verbalem* et *realem*. - *Verbalis* consistit in ipsa sententia per quam iudex ecclesiasticus edicit, clericum ab officio, a beneficio, a gradu suo fuisse dimotum, et laico foro addictum; *realis* vero est executio sententiae solemnis quae correspondet militis exauctorationi ut advertit Bonif. VIII *l. c.* seu illius *qui militiae deservit armatae cui militaria detrahuntur insignia sicque a militia remotus castris reicitur, privatus consortio et privilegio militari.* Vide Pontificale Rom. *part 3, tit.* 7 (1).

Antiquiore disciplina quando nempe fori privilegium adeo firmiter observabatur ut neque ob *graviora* crimina derogaretur, degradatio non distinguebatur a depositione (2). Clerici vero depositi dicebantur redacti ad *communionem laicam,* quia remanebant penitus obnoxii ecclesiasticae potestati sed quoad

(1) Per se degradationis poena perpetua est, sed si casus incidat vel nullitatis vel rescissionis sententiae haud legitime prolatae, in *Pontificali Rom. part. 3* statuitur - *Ordo suspensionis et reconciliationis* - unde clericus degradatus in pristina iura restituitur.

(2) Degradationis vocabulum sumptum est ex re militari, *Lib. 2, Cod. Theodosiano - De curs. public.*, atque inde iubebatur reiectio militis in inferiorem militiam seu *exauctoratio.*

participationem divinorum inter *laicos* recensebantur (1). - Deinceps clerici taliter depositi, qui more laicorum in Ecclesia posthac conversari debebant, expoliati sunt clericali privilegio, quare e gradu deiecti seu *degradati curiae saeculari* (2) tradebantur iudicandi et puniendi. Cf. *c. c. 8, De crim. falsi X*, (V, 20) et 27, *De verb. signif. X*, (V, 40).

(1) Nimirum conceditur depositis *communio laica*, quae adimitur per *excommunicationem*. Inde patet quomodo excommunicatio sit omnium gravissima poena. Revera *depositus* vel *degradatus*, etsi in perpetuum carcerem detrudatur, tamen communione fruitur laicali, uti cavet, inter celeros innumeros, canon 7, Conc. Aurelianensis III *(a. 538)*, edicens « *Si quis adulterasse aut confessus fuerit aut convictus, depositus ab officio, communione concessa, in monasterio toto vitae suae tempore retrudatur* ». A communione *laicali* distinguenda est communio *peregrina* quae clericum non eiciebat a clero, sed eum, poenitentiae causa, censebat iure clerici *peregrini*. Hi clerici utpote ignoti et destituti litteris *formatis* seu testimonialibus non admittebantur neque ad partecipanda neque ad obeunda sacra mysteria. Clericus *in poenam* redactus ad communionem *laicalem*, in hac perseverabat dumtaxat ad tempus seu quousque acta poenitentia, per absolutionem restitueretur in pristinum gradum. Cf. Soglia qui in *Inst. iur. priv.* § 148 refert quoad presbyteros apostatas, qui tempore eversionis rerum publicarum in Gallia omni crimine se maculaverant, S. Sedem *instructiones* dedisse ad Ordinarios ut istos suorum criminum poenitentes absolverent, at *eosdem ad simplicem laicorum communionem hoc ipso traductos esse nec non omnibus iuribus et privilegiis clericalibus prorsus spoliatos permanere.*

(2) Neque huic conclusioni contradicunt l. 39, *Cod. Theod. De episc. et cleric., l. 53* § *1. eod. tit., eod. Iustinn.* in quibus fit mentio *de clerico curiae tradito;* nam in his locis, *curiae tradere* non significat addicere *foro saeculari*, uti pluribus D. D. persuasit ignoratio antiquitatis, sed significat cooptare in ea collegia destinata publicis muneribus expediendis, a quibus cives adeo abhorrebant ut nonnisi coacti, quasi in poenam, eadem susciperent. Cf. *l. 39, tit. 2, lib. 16, Cod. Theod.* et commentarium Gothofredi ad eamdem legem. - Devoti, *Inst. Can. lib. I, tit. 8, sect. 4,* § *21, not. 2,* opinatur, uti regulam generalem, clerici traditionem *curiae saeculari* seu *foro laicali* non esse antiquiorem Innocentio III, qui eamdem constituit *in cap. 8 De crim. falsi X.*

178. Docet Benedictus XIV *De Syn. dioeces. lib, IX, c. 6, n. 7,* ad degradationem clerici non posse deveniri nisi in casibus a iure expressis quos ipse enumerat ad *decem* casus et singulos recenset, addens clericum *incorrigibilem*, vi *cap. 10, De iud. X*, posse degradatione plecti, quando nempe clericus depositionis et excommunicationis poenis antea coercitus non resipiscit, sed in *profundum malorum veniens contemnit*, tunc *cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat ne iste possit esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendus est potestatem;* sunt verba citati capitis. Haec conclusio apud graviores canonistas recepta est quos recolit idem Benedictus XIV *l. c.* et advertit: « *Ab hac regula, communi usu recepta, non recedat Episcopus* etc. ». Quamobrem sane firmissima dicenda est regula cui consuetudinis legitimae accedit suffragium.

Nihilominus mordicus huic principio contradicit Sebastianus Berardi, *op. cit. V. II, part. II, diss. 4, cap, 1,* asserens Episcopis integrum esse decernere clericorum degradationes aut depositiones ob graviora crimina etsi ista poena expresse edicta non sit iure communi, reprehendens ipsum Bened. XIV, quasi pragmaticorum placitis incaute indulserit. - Verum potissime sua argumenta depromit Berardi ex Decreto Gratiani et ex antiquioribus Decretalibus. Atqui antiquitus non adamussim distincta fuit *depositio* a *degradatione*, adeo ut Devoti *l. cit.* non dubitet asserere, primum Innocentium III in cap. 8 *De crim. falsi* X, (V. 20) certam induxisse legem de clerici traditione brachio saeculari. - Arbitramur ante hoc tempus plures extitisse casus decretae degradationis, maxime arg. *Nov. 83.* Iustiniani Imp., sed nihilo secius legem certam et constantem referre licet ad saeculum XIII. - Praeterea Berardi fallitur in recolendis nonnullis in suam thesim canonibus antiquioribus ubi sermo est de traditione *curiae saeculari*, at ibi curia significat collegium administratorum rei publicae, uti explicavimus in not. 3. - Demum quod nullimode sit probabilis Berardi sen-

tentia, probat communis recepta consuetudo quae est optima legum interpres, quamque laudat Bened. XIV *l. cit.*

179. Quoad formam actus solemnis degradationis, antiquitus fiebat in provincialibus Episcoporum conciliis, ad quae referebantur criminales clericorum causae. Postea ne facile graviora crimina manerent impunita ob non frequentem horum conciliorum celebrationem, statutum fuit arg. *c. c. 4, 5, 7, 8, caus. 15, quaest. 7* in Decreto Gratiani, extra synodos has causas agitandas et definiendas esse, at executioni demandandam esse sententiam *degradationis* praesentibus duodecim Episcopis si agebatur de Episcopo degradando, sex si de presbytero, tres si de diacono agebatur. Sed haec coeremonia, ob nimium Episcoporum requisitum numerum, occasio fuit hominibus *protestantibus* eumdem ritum calumniandi, quasi ex ipsa intentione Ecclesiae comparatum ad impunitatem obtinendam graviorum facinorum. Nimium enim difficile usque fuit tot cogere Episcopos quot exquirebat solemnitas coeremoniae.

Quare Trid. Concil. *sess. 13 cap. 4 De ref.* decernit, clericos Episcopis inferiores esse degradandos ab Episcopo cui « per se seu illius vicario in spiritualibus generali contra clericum in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum etiam ad illius condemnationem nec non verbalem depositionem et per se ipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis ordinibus et gradibus ecclesiasticis, in casibus in quibus aliorum Episcoporum praesentia in numero a canonibus definito requiritur etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen et in hoc sibi adsistentibus totidem Abbatibus usum mitrae et baculi ex privilegio Apostolico habentibus; alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves ac iuris scientia commendabiles existant ». - Haec respiciunt dumtaxat clericos Episcopis inferiores, quia causae criminales quibus Episcopi postulantur de criminibus depositione aut degradatione dignis, sunt reservatae iudicio Rom. Pontificis;

minores vero causae reservantur conciliis provincialibus; ex *Concil. Trid. in sess. 24. cap. 5 De ref.*

180. Praeterea cum communi Doctorum inter poenas recensuimus irregularitates, etsi poenae stricto sensu non sint, eae quoque *ex delicto* provenientes, sunt enim directius impedimenta ad ordines suscipiendos et ad susceptos ministrandos; quapropter ordinantur *in primis* ad servandum decorem sacri ministerii eiusque sanctitatem et dignitatem tutandam, et *secundario* vergunt in poenam illius qui per delictum se ordinibus suscipiendis aut ministrandis indignum reddidit. Verum aliquando non *ex delicto* sed *ex defectu* provenit irregularitas, unde in notione irregularitatis non poenae ratio perpenditur, sed potius impedimenti iuxta Suaresii optimam definitionem (*De cens. 46, 1, 2*) ita conceptam; scilicet irregularitas est - « *impedimentum ad ordines suscipiendos, et per consequens ad eos exercendos, iure canonico introductum* ». Dicitur - *iure can. introductum* - cum ex *cap. 18. De sent. excom. in 6* - *nulla irregularitas incurratur nisi in iure sit expressa.* - Quod principium sedulo attendendum est ut *irregularitatis* proprie dictae percipiatur conceptus; quocirca omnes alii defectus una vel alia de causa, plus minusve ab ordinibus suscipiendis vel ministrandis impedientes, ex iure divino vel naturali, erunt amandandi inter *inhabilitates vel simplices inidoneitates.*

Etiamsi irregularitates non sint proprie poenae, tamen autumamus non omnino impropriam esse hanc sedem tractationi de irreg. uti opinatur cl. Gasparri *in Tract. de S. Ordin. V, I, n. 179*, inquiens: « Proinde sequitur immerito auctores irregularitates aliis poenis permiscere; et illogice de illis agere ubi de aliis poenis agunt; a quo peccato neque ipse D'Annibale immunis est. Locus proprius irregularitatum est in tractatu de Ordine; sicuti locus proprius impedimentorum matrimonialium est in tractatu de matrimonio ». At pace cl. Auctoris, advertendum est, irregularitates effectus habere re ipsa poenales,

quare in sua natura cum poenis arctam habent coniunctionem, uti ipse, *l. c.* fatetur « Attamen irregularitas ex delicto est *ad instar poenae gravissimae* quae ex illo delicto contrahitur, iure canonice ita statuente ». Quocirca integer tractatus de poenis reddi non potest absque tractatione de irregularitatibus, ea potissimum de causa, quia irregularitates *ex delicto* provenientes apprime intelligi non possunt nisi delicti notio et requisita explicata sint. Re quidem vera in istis explicandis, quaeritur an *ipso iure* incurrantur, an sententia requiratur saltem *declaratoria*, an et quomodo crimen debeat esse *externum* et *consummatum* et quanam ratione istae distinguantur a suspensionibus, a depositionibus.

Praeterea advertatur, systhema poenale ecclesiasticum non esse absolute evolutum nisi explicatis irregularitatibus et aliis privationibus quibus insontes aliquando ab Ecclesia subiiciuntur, iuxta regulam iuris 23 in 6: « *Sine culpa, nisi subsit causa, nemo puniendus est* ». Sisthema enim Ecclesiae poenale non est proprie *vindicativum*, sed magis criminum et deordinationum *praeventivum* et delinquentium *correctivum*, respondens eius scopo, procurandi singulorum et universae communitatis sanctitatem (1). Quod sedulo adverti debet. Quare etiam irregularitates ex defectu derivantes, si demas vitium corporis, omnes fundantur in aliqua praesumptione animi in crimina propensioris, veluti irregularitas ex defectu natalium, ex haeresi parentum. Ex quibus omnibus concludimus hanc sedem pro tractatione de irregularitatibus esse apprime accomodatam.

(1) Hac de causa DD. quod dolet cl. Gasparri, etiam maximae notae, uti Suarez, Sayrus, Thesaurus irregularitates in tractatione de poenis comprehendunt et explicant. Ait Thesaurus, *P. I, c. 43:* « *Certe* (irreg.) *satis participant de ratione poenae ideo in hoc tractatu comprehenduntur* ». Equidem arbitror irregularitates non absolute et intimius explicari posse nisi comparatis cum censuris et poenis, tanta est affinitas qua illae istis coniunguntur.

At si componi debeat specialis tractatio de sacra ordinatione quae omnia complectatur ad hanc materiam spectantia, patet, locum faciendum esse tractatui de irregularitatibus, non secus ac de matrimonio christiano agi non potest absolute quin de impedimentis matrimonialibus habeatur sermo. Nihilominus maximum intercedit discrimen inter irregularitates et impedimenta matrimonialia; quippe haec, si demas forsan impedimentum criminis, nullimode redolent indolem poenae at derivant ex iure naturali aut divino vel cum eodem arcte cohaerent; dum irregularitates, si unam aut alteram excipias, poenae plus minusve exprimunt indolem, omnes vero pertinent ad *vim coactivam* iuris positivi, prouti fatetur ipse Gasparri, *op. cit. 199;* quod certe non pertinet ad impedimenta matrimonialia, uti docet Gasparri, *De matr. 298.* Quamobrem quum in nostris scholis integer exponatur complexus legum ecclesiasticarum, non improprie agitur de irregularitatibus in tractatu *de poenis* et in tractatione de sacra ordinatione subaudiuntur quae spectant ad irregularitates seu ad subiectum huius sacramenti habile, quod praeterea ab aliis poenis et potissimum a *censuris* ecclesiasticis immune esse debet, prouti plura subaudiuntur quae pertinent ad personam ministri s. ordinationis.

181. Poena privationis ecclesiasticae sepulturae ita describitur a Baruffaldo, *comm. ad Rit. Rom.* tit. 34, n. 4: « *Nomine ecclesiasticae sepulturae non tantum locus sacer, verum etiam pulsatio campanarum, exequiae, luminaria, processiones, suffragia, missae aliaque similia in ecclesia catholica pro defunctis fieri consueta intelliguntur; propterea cui prohibitum unum est aut permissum et alterum permissum aut prohibitum esse censetur* ». In Rit. Rom. *tit. De exequiis* indicantur praecipua crimina ob quae catholici homines ecclesiastica sepultura privantur. - Inquam, *catholici* nam infideles et acatholici, eo ipso quia communioni catholicae vivi partem non habuerunt, nec mortui eadem frui sinuntur. - In genere, publici et notorii

peccatores, ii nempe qui viventes aperte contempserunt Ecclesiae potestatem eiusque sacramenta, quamvis sectae acatholicae se non addixerint; neque ulla dederunt resipiscentiae signa dum morerentur, ii omnes ecclesiasticae sepulturae dari non debent.

Et haec, praeter censuram excommunicationis, est veluti unica poena *proprie dicta,* qua Ecclesia hodie afficiat laicos homines; aliae enim poenae temporales ecclesiasticae a moribus nimis sunt alienae. Nihilominus quia hodie severitas in laicos, ob frigescentem fidem, pareret, fere semper, maiorem contemptum in ecclesiasticam potestatem, exinde maxime emollitus est rigor eiusmodi prohibitionis, et facta hac quaestione, an quum excommunicatus notorius aut publicus peccator moritur quin se Ecclesiae reconciliaverit, sed nihilominus in mortis articulo dederit signa poenitentiae aut expostulando sacerdotem qui tamen eum iam mortuum aut sensibus destitutum invenit, aut Crucifixum osculatus fuerit, aliaque id genus dederit resipiscentiae signa, an scilicet parochus eidem denegare debeat sepulturam ecclesiasticam, S. Sedes respondit: « *In hisce casibus evulgatis resipiscentiae signis dari posse sepulturam ecclesiasticam, vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exequiarum. Quod si in aliquo casu circumstantiae extraordinariae concurrent, parochus consulat Ordinarium et stet eius mandatis* ». Vide apud Gennari - *Consultazioni - Napoli, 1893 pag. 618*, ubi haec et aliae Instructiones secreto datae ad Ordinarios, debita servata moderatione, in lucem eduntur (1).

(1) In decretis Conciliorum et Const. Apostolicis, ut cap. *Rom.* § *Procurationes. De cens. in 6* (III, 20) infertur poena *maledictionis,* ibi « *maledictionem incurrat a qua nunquam nisi duplum restituat, liberetur* ». Item hodie in Const. Apostolicis aliquando in violantes decreta Pontificia ita fertur a Papa poena *indignationis;* scil. *sciant violatores se incursuros Dei indignationem et Nostram et SS. Apost. Petri et Pauli.* Doctores, uti videre est apud Thesaurum, *P. I. c. 42,* quaerunt de effectibus et vi huius poenae. Quia nihil in textibus iuris est expresse cautum, hodie ex receptis

182. De mulctis in poenam inflictis haec teneantur. - Loquimur de *mulctis* in *poenam inflictis*, ut poenam pecuniariam distinguamus a condemnatione in certam summam exsolvendam ob *indemnitatem* praestandam *privato* civi. Quare huiusmodi poena lata in vindictam criminis *publicam* converti debet in bonum *publicum*, seu pecunia inde obveniens destinanda est in *causas pias* (1). Hoc iussit Trid. *sess. 25, cap. 3 De ref.* decernens « Liceat eis (Episcopis), si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias quae locis piis ibi existentibus eo ipso quo exacta fuerint assignentur ». Idem Concilium *sess. 6, cap. 1 De ref.* poena pecuniaria seu amissione quartae partis fructuum unius anni suae praebendae mulctavit Episcopos sine causa legitima a sua dioecesi absentes; et fructus ita detractos iussit, Ecclesiae aut pauperibus loci per

moribus haec indignatio est species *deprecationis* seu *maledictionis* prolatae *a patre in filium*. - Item DD., uti videre est apud Thesaurum, *P. I, c. c. 35, 39,* recensent inter poenas *irritationem actorum*, et *intestabilitatem*. - Quoad irritationem actorum si agatur de iuribus *iam quaesitis* reducitur ad *privationem* iurium; si de *quaerendis* agatur, reducitur ad *inhabilitatem*. - Quoad poenam *intestabilitatis*, seu inhabilitatis ad condendum testamentum haec decernitur iure can. in haereticos arg. *cap. 13 § 5 De haereticis, X* (V, 7). At testamenti factio pertinet ad ius civile, et quia hodie ius civile, saltem penes nos, et pene ubique locorum, non amplius consentit cum iure canonico, prouti olim ius civile romanum, in edicenda hac pena, proinde haec videtur obsolevisse.

(1) In iure germanico (cf. *supra n. 9*), quia *privatis* civibus permissum fuit sumere vindictam de criminibus, mulcta considerata est quasi *indemnitas* quoad damnum *privato* civi ex crimine obveniens: huiusmodi mulcta dicta est *Weregeld*. Cf. Savigny, *Histoir du droit, tom. 1, cap. 3,* Paris 1839, et Boneville, *De l'amélioration, vol. 2, p. 249.* - Codices hodierni civiles qui *mulctam* admittunt, respuunt *publicationem bonorum* seu *confiscationem* assis familiaris; quare admittunt aliquam partem bonorum patrimonialium fisco posse addici, sed non integrum patrimonium. Cf. Carrara, § *680 seq.*

Superiorem ecclesiasticum applicandam esse. Idem decrevit de tertia parte fructuum amissorum a clericis concubinariis, nec non de omnibus fructibus, crescente contumacia, ab iisdem clericis amittendis; *sess. 25, cap. 14 De ref.* - Benedictus XIV. *De Syn. X, 9, 8,* haec tradit: « Iussit Tridentinum *sess. 5 c. 2 De ref.* ut animarum rectores *diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis voluitque ut si ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint per censuras ecclesiasticas seu alias, ad ipsius Episcopi arbitrium, cogantur.* Hinc sibi licuisse putavit Episcopus Novariensis in suis constitutionibus synodalibus parochos huic decreto contravenientes pecunia mulctare. Sed S. C. Concil. die *15 Iun. 1658* etsi de potestate Episcopi non dubitaverit, id tamen fieri non decuisse respondit. Episcopus Assisiensis in sua synodo excommunicationem et quadraginta aureorum poenam decreverat in parochos e sua parochia duorum dierum spatio sine Episcopi licentia absentes. Sed eadem S. Congregatio delendam censuit e decreto excommunicationem *l. s.* et poenam pecuniariam non imponendam certa quantitate sed relinquendam arbitrio Episcopi qui cum casus contingeret ita illam temperaret ut responderet tempori absentiae et reditibus parocho ex sua Ecclesia obvenientibus; uti habetur *lib. 153 Memorialium p. 953.* In synodo Brundusina statutum fuerat ut sacerdotes aliique inferiores clerici inservire deberent Ecclesiae cui iuxta decretum Conc. Trid. *cap. 16, sess. 23 De ref.* erant adscripti, singulis dominicis aliisque diebus festis et in tota octava Corporis Christi, atque insuper solemnibus supplicationibus per annum fieri consuetis interesse sub poena ducatorum 50 seminario applicanda, sed S. C. *die 19 Iul. 1618* admonendum censuit Episcopum ne ad poenae' exactionem procederet, eo quod Trid. *loc. cit.* clericis Ecclesiam deserentibus cuius obsequiis in eorum ordinatione sunt mancipati, interdicendum

dumtaxat statuat exercitium sacrorum ». Praeterea eadem S. C. Concil. quantitatem mulctarum quippe immodicam temperavit in Bisaccien. *15 Martii 1738*, et in Acerrarum *23 Aug. 1727*. Circa mulctarum destinationem refert Bened. XIV *l. c. cap. 10. 1*, S. Cong. Conc. tria haec declarasse, videlicet *primo*, mulctas a Tridentino inflictas clericis non residentibus aut concubinariis semper locis piis esse applicandas; *secundo* mulctas indeterminatas quae Episcopi arbitrio decernuntur, similiter non posse nisi in opera pia erogari; *tertio*, poenas quas certa mensura designant canones vel synodicae constitutiones, servari posse integras egenti Episcopo si vere egeat.

Revera, advertit Bened. XIV *l. c.* in poena pecuniaria edicenda illud maxime et sedulo cavendum esse, ne scilicet avaritiae labes aut suspicio obrepat. Quum autem certâ mensurâ mulctas designant canones, tunc si istae egenti Episcopo attribuantur in necessariam sustentationem, non videtur esse calumniis, obtrectationibus locus. Schmalz., *V, 37, 182*. Attamen quae in Episcoporum indigentium utilitatem constituta fuerunt non suffragari ullo modo sive Capitulo sive Vicario Capitulari pluries declaravit S. C. Concil., ita in Mazarien. *6 Dec. 1643 (lib. 17, Decret. pag. 119 a tergo)* et in Elnensi, *28 Martii 1648 (lib. 18 Decret., pag. 464 et seq.)*.

Mulctae seu poenae pecuniariae ab administris curiae episcopalis exactae iuxta encyclicas literas S. C. Episc. et Reg. *5 Feb. 1678* quas refert Clericatus, *De benef. disc. 100, n. 4*. deponendae sunt apud ecclesiasticum virum electum in depositarium mulctarum. Iuxta Fagnanum, *cap. Presbyteri, n. 33, De poen.*, et Monacelli, *Form. leg. tit. 1, Form. 13, n. 7 seq.*, in depositarium eligi debet, quoad fieri potest, canonicus Ecclesiae cathedralis. - Proinde instructio pro relatione status dioecesis ab Episcopo facienda *in visitatione liminum Apostolorum* hanc facit inquisitionem: « *An habeat depositorium poenarum et mulctarum pecuniarium et an eaedem fuerint piis usibus*

applicatae ». Cf. Lucidi, *De visitatione s. liminum, I, c. 2*, § *6*. Hodie, pro hodiernis temporum et locorum adiunctis, S. Cong. Episc. et Reg. instructionem dedit *secretam* Ordinariis locorum de ratione qua deberent per ecclesiasticos viros caute et diligenter administrare et custodire numeratam pecuniam quam vel eleemosynarum vel piorum legatorum vel compositionum aut poenarum nomine fideles ad manus Episcoporum deferunt. Quare hodie *depositarius poenarum* et *mulctarum* in curia intelligitur rite constitutus qui deputatus est ad normam novae instructionis S. Cong. Episc. et Reg., in locis nimirum in quibus vetus disciplina plene observari non potest (1).

(1) Ferrari in *Summa Inst. Can. I, 301* quaerit, an in *poenam pecuniariam*, Sacerdos privari possit ab eleemosynis Missarum manualibus; et *affirmative* respondet, quod ita explicat in *nota:* « Licet huius poenae nullam inveniamus apud auctores mentionem tamen putamus eam licitam et valde opportunam: nam si beneficiatus potest puniri privatione fructuum beneficii sui, etiam sacerdos poterit missarum eleemosynis privari. Insuper haec poena honorem sacerdotis salvum servat si ei privatim indicetur, et salubrius in solo aere punitur qui si bonus est habebit adhuc S. Sacrificii solatium, et si malus abstinebit a sacrificio quod magis propter eleemosynam quam forte propter devotionem celebrat ». Verum consentire non possum cum cl. Auctore quia Sacerdoti nullum habenti beneficium et cui in alia bona imponi non possit mulcta, haec fit tam gravis poena tam grave subaudiens crimen ut non *mulctae* sed *suspensioni a divinis* locus fieri debeat. Praeterea percellere mulctâ eleamosynam *manualem* quam fidelis expresse obtulit Sacerdoti forsan pinguiorem quippe pauperi et hinc destinatam a fideli in opus speciale charitatis, decretum videtur continere nimis odiosum et vehementer contrarium naturae et indoli eleemosynae Missae *manualis*.

§ 2. *De diverso ordine quo poenae inferuntur; quum nempe aliquando a poenis aliquando a censuris initium sumendum sit.*

Summarium. — 183. Recoluntur textus qui diversum ordinem poenarum sequuntur. — 184. Exponuntur regulae quibus statuitur quanam ratione aliquando a poenis, aliquando a censuris in puniendo delinquente initium fiat. - Nimirum ob crimen consummatum et non habens *tractum successivum* infliguntur *poenae vindicativae,* at dein feruntur etiam *censurae* ad rei obtinendam emendationem; ob crimen vero non consummatum aut habens *tractum successivum* initium fit a *censuris* et postea devenitur ad *poenas.*

183. Praesens inquisitio huc spectat ut definiamus quando in applicandis remediis poenalibus incipiendum sit a censuris, quando vero a poenis. Atqui varius poenarum ordo pro variis casuum adiunctis. Re quidem vera in *cap. 10 De iud. X* (II, 1) hic exponitur poenarum gradus, scilicet... « *si clericus in quocumque ordine constitutus, in furto vel homicidio vel periurio seu alio crimine fuerit deprehensus legitime atque convictus, ab ecclesiastico iudice deponendus est. Qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia crescente anathematis mucrone feriri; postmodum vero si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium vel alia legitima poena* ».

Quo in textu initium fit a *poenis* et postea *censurae* adhibentur ad curandam rei emendationem. - Ex adverso in Concil. Trid. *sess. 23, cap. 1 De ref.* hic poenarum ordo statuitur adversus parochos non residentes, nempe « *Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, libe-*

rum esse vult Ordinariis per censuras ecclesiasticas et sequestrationem et subtractionem fructuum aliaque iuris remedia etiam usque ad privationem compellere etc. » Et idem Concil. in *sess. 25 cap. 14 De ref.* adversus clericos concubinarios aut suspectos de incontinentia, ita procedi vult, nempe « *Quod si a Superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque ac pensionum ipso facto sint privati quae fabricae Ecclesiae aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi, applicentur. Sin vero in delicto eodem cum eadem aut alia foemina perseverantes secundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus..... et pensiones eo ipso amittant..... sed etiam a beneficiorum suorum administratione.... suspendantur.... et si ita suspensi nihilominus eas non expellant... beneficiis... officiis... priventur, atque inhabiles ac indigni... reddantur..... Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes iuxta delicti et contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda aliisve modis iuxta sacros canones puniantur* ». Concilium revocans *sacros canones,* intendit urgere praescriptiones editas in tit. 1, *De vita et honestate clericorum*, et in tit. 2, *De cohabitatione clericorum et mulierum*, lib. III, X, ubi, in universum, clerici si moniti et censuris adstricti ab inhonesta conversatione non se abstineant, edicuntur a beneficiis privandi esse et etiam deponendi.

184. Modo in relatos textus advertatur,

1) ordinem et gradum poenarum fuisse iam taxative a iure statutum quando poenae sunt *l. sent.* adeo ut *ipso facto*, crimine consummato, incurrantur. In poenis *fer. sent.* quum crimen est consummatum fit locus sententiae *condemnatoriae* qua iudex exequitur poenam iure statutam. At relinquitur arbitrio iudicis aliqua facultas in moderandis iisdem poenis. Cf. *supra n. 75.*

2) Ob crimina vero iam consummata quae continent in primis non spretum auctoritatis ecclesiasticae, sed contemptum iurium naturalium uti furtum, homicidium, *poenae* inferri solent ab initio, et postea sequuntur *censurae* ad curandam rei emendationem.

3) Clericus antea *depositus* postea *excommunicatur*, quia haec censura gravior est depositione quae privat officio clericali dum excommunicatio arcet a communione christiana, etsi non in perpetuum.

4) Censurae satagunt directius reum a crimine patrando deterrere vel a crimine iam patrato ita removere delinquentem et hic a delinquendo ulterius desistat, si crimen habeat tractum successivum, aut si nullimode tale sit crimen, satagunt ut huius plane poeniteat delinquentem, unde censurae habent praevias *monitiones* et ab hisce incipiendum est. Re sane vera, hac procedendi ratione, Concil. Trid. tum contra clericos concubinarios tum contra Episcopos, parochos aut alios beneficiarios non residentes praescripsit antea a monitionibus et censuris exordiendum esse: cf. *cap. 14, sess. 25, et cap. 6, sess. 21 et cap. 1, sess. 6 et cap. 1, sess. 23, De ref. Concil. Trid.*

5) Verum advertatur quod nihil prohibet, quo minus cum iam sunt inflictae aliquae poenae, postea recursus habeatur, in eodem crimine compescendo, ad censuras eo consilio ut obtineatur delinquentis emendatio. Hoc aperte statuitur in capite 10 quod commentamur, decernitur enim «... *si incorrigibilis fuerit excommunicari debet..*» ad procurandam, postremo remedio, emendationem. Unde crimen iam admissum vindicatur per poenam crimini proportionatam. Si autem in cassum cedant omnia remedia et reus se incorrigibilem ostendat, tunc aggravantur poenae et etiam infligitur censura excommunicationis non ob crimen praeteritum sed ob continuum crimen contumaciae in Ecclesiae auctoritatem.

6) Demum, si auctoritas Ecclesiastica, persentiat se ope-

ram perdere tunc procedit ad *degradationem*, quamvis ipsa adhuc alias poenas corporales posset experiri, ut puta *exilium*, quod infligere est in potestate Ecclesiae. Sed non adhibet aliquando haec media ob delinquentis incorrigibilitatem, quia rei emendationem equidem Ecclesia potissimum exquirit, sed « *cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat...* » nempe ad sollicitandam rei conversionem, « *ne possit* (nimirum delinquens per scandalum suae contumaciae), *esse ultra perditio plurimorum...* », Ecclesia aut recurrit ad suas poenas magis vindicativas, aut, si hoc facilius obtineri arbitretur per brachium saeculare, libenter renunciat iuribus sui fori, delinquentem tradens curiae saeculari puniendum. Ita interpretanda sunt *cit. capitis 10* postrema verba quibus exilii poena relinquitur a iudice laico applicanda in reum inemendabilem, quod est apprime conforme indoli Ecclesiae semper adnitentis ut reus corrigatur.

7) Ex adverso incipiendum est a censuris quando crimen vel nondum est patratum vel saltem non consummatum vel tractum habeat successivum; et devenitur ad poenas usque ad degradationem si crimen hanc mereatur, cum reus, spretis censuris, crimen consummaverit, et omnes alias poenas inemendabilis contempserit.

8) Degradari et deponi sane non possunt nisi clerici, videlicet per deiectionem e statu clericali; at etiam laici obnoxii foro ecclesiastico ob crimina eius competentiae subiecta, traduntur brachio saeculari quando Ecclesia *nihil amplius habens quid faciat* ad obtinendam emendationem, delinquentem e suo foro eïcit.

9) Nemo non videt has regulas de *ordine* et *gradu* poenarum latam pati interpretationem; et potissimum in poenis vel relictis arbitrio iudicis, vel a iudice moderandis, prae oculis habendum esse principium ita enunciatum in *cap. ult.* § *8. Ut lite non contestata X*, (II, 7). « ... *in contumacem est ecclesiastica sententia* (poenalis) *proferenda, ita videlicet quod al-*

terutra poena, quae magis timeri debeat, iudex sit contentus, ad alteram nihilominus processurus si hoc meruerit protervitas contumacis ».

10) Demum *caput 10 De iud.* quod attinet, quaerunt DD. an ordo poenarum inibi statutus semper servandus sit, et utrum ob gravissimum crimen, utputa parricidium, possit clericus statim degredatione mulctari. Est celebris quaestio magnis animis agitata in scholis a tempore florentissimae Bononiensis Universitatis, ceu refert Fagnanus *in suo comm. ad cit. cap. 10 De iud.* - Sententia affirmativa est probabilior uti docet Benedictus XIV, *De syn. IX, 6, 3.*

TITULUS VIII.

DE IRREGULARITATIBUS.

Summarium. — 185. De notione et definitione irregularitatis. — 186. Haec non inducitur nisi a iure communi et pertinet ad forum externum. — 187. Est primario impedimentum seu quasi-inhabilitas, hinc incurritur ipso *iure*, non ex *fer. sent.* — 188. Dispescitur in duplicem speciem quia vel ex delicto vel ex defectu provenit irregularitas. — 189. Est *individua;* hinc prohibet ab omnibus ordinibus. — 190. Et *per consequens* ab exercitio ordinum susceptorum. — 191. Nihilominus est *propria* irregularitas etiam ea quae proveniens *ex defectu* non arcet ab omni actu ordinis *suscepti.* — 192. Est *perpetua.* - Quae cessat suapte vi aut ex voluntate subiecti, *impropria* irreg. est. — 193. Collatio ordinis irregulari facta est *illicita* sed *valida:* pariter collatio beneficii. — 194. Hinc beneficium iam possessum *ipso iure* non aufertur beneficiario si hic fiat irregularis. Ad quid hic teneatur. - Irregularitas, natura sua, non intercipit iurisdictionem. — 195. Exinde irregularitas necessario distinguitur a suspensione, a depositione.

185. Irregularitatis vocabulum, sumptum *a regula* et praemissa propositione *in* denotante privationem, significat alienum *a regula,* seu a canone in quem referebantur omnes clero adscripti, arg. *canonis 2*, *dist. 47* in Decreto, desumpti ex Concil. Nicaeno. Prouti eruditi probant istud vocabulum rudioris antiquitatis introduci coepit sub saeculo decimo tertio, siquidem primo reperitur apud Innocentium III, in *c. c. 10 De renunciat. X,* (I, 9) et 6, *De bigam. non ordin. X*, (I, 21) et 33, *De testibus et attest. X*, (II, 20). At res ipsa seu impedimenta a iure statuta quibus clerici arcentur ab ordinibus sacris, iam ab Apostolis ordinari coeperunt, uti docent Divi Pauli epistolae ad Timotheum et ad Titum.

Verum iure Decretalium irregularitatis notio melius defi-

nita, distincta fuit ab aliis vel inhabilitatibus vel remediis poenalibus; adeo ut Bonifacius VIII in *cap. 18 De sent. excomm. in 6.* recolat generale principium, ope iurisprudentiae tunc communiter admissum - *irregularitatem non incurri nisi fuerit expressa in iure* -.

Quocirca non qualecumque impedimentum ad ordines suscipiendos nomen meretur irregularitatis, sed illud dumtaxat a iure constitutum hac intentione ut removeat ab ordinibus suscipiendis et, per consequens, a ministrandis ordinibus iam susceptis. Unde irregularitas definienda est cum Suaresio, *De cens. 40, 1, 2* (1) « *Impedimentum canonicum ex se directe ac primario impediens acceptionem ordinum ecclesiasticorum et consequenter etiam eorum usum* ». - DD. admodum variant in tradenda irregularitatis definitione; sed ista videtur, quoad *substantialia* elementa, omnium probabilissima. — Nihilominus puto eamdem posse ulterius perfici si addatur istud impedimentum esse *perpetuum* ut distinguatur ab impedimentis non *perpetuis* sed canonicis, veluti impedimento *aetatis.* Suarez omissionem huius requisiti fusius defendit *l. cit. n. 78*, sed eius rationes non viden-

(1) Cl. Gasparri - *De Sacra Ord.* n. 157 ita definit irreg. « *Impedimentum perpetuo prohibens collationem - susceptionem cuiusque gradus clericalis et consequenter ordinum exercitium et ideo etiam beneficii collationem - acceptationem, iure can. constitutum ex aliquo defectu vel delicto propter reverentiam divini ministerii* ». Quae definitio cl. Auctoris nobis videtur aliquantisper egredi fines notionis irregolaritatis, dum recolit inde prohiberi beneficiorum collationem. Nam et aliae poenae et alia impedimenta prohibent beneficiorum collationes; imo irregularitas non vetat conferri beneficium quod adnexum non habeat exercitium ordinis. - Unde ad irregularitatis naturam quae exprimi debet per definitionem, non pertinet quasi proprium et specificum requisitum prohibitio collationis beneficiorum. Hoc probat Suarez *l. cit. sect. II, 19.* Nihilominus patet quaenam fuerit cl. Auctoris intentio; scilicet non reddere irregularitatis abstractam et *philosophicam* definitionem sed magis *practicam* quippe desumptam ab effectibus.

tur satis efficaces. - Item quia irregularitas non habetur *propria* nisi in iure expressa, haec qualitas distinctius significanda est ita concipiendo definitionem irregularitatis, quatenus sit « *Impedimentum perpetuum ex se directe ac primario impediens ordinum eccles. susceptionem et per consequens eorum usum a iure positivo constitutum ob reverentiam divini ministerii* ». Addimus etiam definitioni Suaresianae explicationem finis cui ordinatur irregularitas, nempe *ad reverentiam divini ministerii;* namque prohibitio ordines suscipiendi et per consequens exercendi iam susceptos, directe in *poenam* seu in *vindictam* quoque criminis irrogatur et tunc non est *irregularitas* sed *suspensio* aut alia huius generis poena.

185. Exinde irregularitates constitutae a iure positivo ob reverentiam divini ministerii, suapte natura, pertinent ad forum externum. — Doctores inquirunt an *iure particulari* induci possint irregularitates. Respondet cap. 18 iam *cit.* quo cavetur irregularitates *in iure* exprimi debere: ius vero intelligitur *commune*, cuius est conditor summus Pontifex, non *particulare*. Id declaravit S. Cong. Conc. in Ulyssiponen. *Ord. 13 Ian. 1685.* Cum autem ius etiam commune sit scriptum et non scriptum seu consuetudinarium quaeritur an consuetudo universalis fons esse possit irregularitatis. - Historice demonstrari posset pedetentim per consuetudinem nonnullas irregularitates introductas fuisse, donec iure Decretalium fuerunt confirmatae et melius determinatae. Verum post Decretalium ius, nec ipsum Tridentinum Conc. aliam induxit irregularitatem (1) et modo haud concipi potest consuetudo universalis in Ecclesia qualis expostulatur ad novam inducendam irregularitatem. Nam ex uno capite per iam statutas

(1) Sixtus V an. 1588 pro solo regno Portugalliae constituit descendentes a Iudaeis esse irregulares. Cf. Bened., *De syn. XII, 1, 4.* Idem Sixtus V, Const. « *Cum ab omnibus* » extenderat a. 1587 irregularitatem *ex defectu* natalium; at ius commune vetus restituit Gregorius XIV, Const. « *Circumspecta* » diei 15 Martii 1591.

satis provisum est sacri ordinis decori (cf. Reiffenst. *V, Tit. 37, n. 67 seq.*); ex altero, modo *practice* fere impossibilis est inductio irregularitatis per universalem consuetudinem quae tamen lateat Romanum Pontificem: posita vero notitia sequitur, ex parte Principis, necessitas reprobationis aut consensus saltem *taciti:* unde non remanet locus consensui *legali* seu praesumpto, unde viget ius non scriptum.

186. Irregularitas primo et principaliter non est *inhabilitas nec poena*, sed *impedimentum prohibens removens* ob *notae maculam* insitam ob delictum nostrum vel alterius aut ob aliquod naturale vitium abhorrens a decentia et honestate sacri ministerii. Inde sequitur, eamdem incurri *ipso iure,* et *ipso facto* absque ulla sententia iudicis *condemnatoria* et irregularitatem non intelligi quae sit *fer. sent.* vel ab *homine*. Nam vel posito semel actu criminoso etsi occultissimo vel aliquo obstante defectu, suapte vi, oritur haec indecentia qua quis alienus evadit a s. ordinibus suscipiendis vel a susceptis ministrandis. Quem irregularitatis effectum Berardi, *l. c. cap. II*, ita eleganter exprimit: « *Dum indicitur irregularitas non tam prohibetur irregularis ne ad sacra accedat, quam praelatus ne irregularem sacris officiis per ordinationem addicat* ». Proinde irregularitas *primo* et *principaliter* non est poena quia non attenditur *directe* nec delinquentis emendatio nec delicti vindicta, sed decor sacri ministerii; neque est *inhabilitas*, siquidem omnes mares baptizati *iure divino*, sunt *habiles* sacris ordinibus, vi characteris baptismalis. Quae vero conceduntur *iure divino* Ecclesia auferre non potest: ita Div. Thom. *In Sum. III, 64, 2.* - Quamobrem irregulares sunt indigni vel inidonei et hinc *quasi inhabiles* (1).

(1) Ecclesia valet reddere *inhabiles* personas ad matrimonium ratione contractus naturalis in quem Ecclesia statuere potest conditiones ad validitatem; sed in s. ordinatione licet requiratur consensus in suscipiente adulto, tamen ordo constituitur et efficitur ex divina institutione. - Unde

187. Irregularitates duplici ex causa nascuntur: *ex delicto* et *ex defectu*. - *Ex delicto* proveniunt quando hoc est causa *efficiens proxima* irregularitatis; utputa homicidium voluntarium ex quo homicida fit irregularis. *Ex defectu* derivant si non ex culpa irregularitas incurritur sed vel *ex delicto alieno*, vel ex *aliquo naturali defectu*. Cognoscitur autem an irregularitas, in casibus particularibus, sit *ex delicto* vel *ex defectu* attendendo causam eiusdem proximam (1); nam eadem irregularitas aliquando *ex delicto*, aliquando *ex defectu* oritur. Veluti ex homicidio non *culposo* potest oriri irregularitas *ex defectu*, nempe *ex defectu* lenitatis, veluti in iudice, iure meritoque, reum ad mortem condemnante; ex *culposo* homicidio semper oritur irregularitas *ex delicto*. - Neç est indifferens, unum genus ab alio secernere; non enim una inter haec differentia. Revera irregularitates *ex delicto* ad instar poenarum sunt; quae *ex defectu* vero a poena omnino discrepant, adeo ut has et propter alterius delictum et propter naturale vitium inscii contrahere possimus; illae, e contra, ex actione tantummodo *vere criminosa* sensu et modo iam explicato incurrantur. Insuper Trid. Conc. *in sess. 24, De ref. cap, 6,* decernit, Episcopum irregularitates *ex delicto occulto* dispensare posse: sed non irregularitates *ex defectu*. Unde in dubio an sit *ex defectu* vel *ex delicto*, tenendum est esse *ex delicto*, quia difficilius incurritur et facilius dispensatur. Cf. D'Annibale, I, 408.

nullimode probabilis est illorum opinio qui putant Ecclesiam potuisse ponere conditiones necessarias seu *ad validitatem* ex parte temporis, loci, ministri etc.; uti probat cl. Gasparri, *op. cit. n. 986*.

(1) Nam causa *proxima* irregularitatis in *subiecto* seu in homine irregulari aliquando est defectus, utputa *natalium*, quamvis hic defectus ortum habuerit ex delicto parentum; sed delictum est causa *remota*. Nonnulli non satis advertentes causam irregularitatis *efficientem* debere esse *proximam*, eamque subiecto *irregulari* insitam, opinati sunt irregularitatem ex *illegitimitate* natalium esse *ex delicto*, sed non bene, quod explicabimus suo loco.

188. Ex natura irregularitatis sequitur hanc esse *individuam;* seu prohibere ab omnibus gradibus clericalibus et ab ipsa prima tonsura quae est ianua ad ordines. Ratio evidentissima est, quia inutiliter praeparatur ad ordines qui ab eisdem prohibetur. - Tamen nonnulli Doctores, uti Barbosa in *Sum. Decis. Apost. Collect. 598, n. 1*, per decisionem S. C. C. quam refert cl. Gasparri, n. 167, probare nititur contrariam sententiam (1). - Ast controversia diluitur et plurium discordiarum amputatur radix dummodo advertatur, irregularitates sumi posse

(1) In universum advertatur, S. Cong. Concilii quippe res non *doctrinaliter* sed *practice* expendit, non semel in suis decisionibus irregularitates amplexam esse *improprie* dictas. Proinde ex eo quod *in foliis* causarum vel etiam in rescriptis nomen usurpatur *irregularitatis* quum agitur de aliquo defectu physico vel morali vel de indignitate ex crimine contracta, non statim deduci potest, S. Congregationem *authentice* declarasse saltem implicite, in casu agi de *propria* irregularitate; nam aliquando hoc nomen adhibet *improprie*, prouti adhibetur in praxi et apud DD. - Regula ad percipiendam mentem S. Cong. haec tuto servari potest; nempe S. Cong. egisse de propria *irregularitate* quum pro dispensatione *consulit Pontifici* seu dispensat *facto verbo cum SSmo;* quod significat ex stylo Cong., agi de impedimento iure can. introducto, et hinc *dispensando* a Rom. Pontifice. Quamvis non semel expostuletur *dispensatio a SSmo* pro aliquo defectu qui non est *proprie irregularitas* sed aliqua inhabilitas ex iure nat. aut div. sed *dispensabilis*. Ita defectus s. confirmationis impedit quominus aliquis ordinibus initietur vel ipsâ primâ tonsurâ; uti declaravit S. C. C. in Augustana *die 27 Sept. 1601,* quia absonum est Christi ministrum fieri, qui oleo confirmationis perunctus non sit; inde habetur quaedam inhabilitas sed non irregularitas. Attamen in resp. cit. S. C. C. edictum fuit, *non confirmatum esse male promotum, et ad s. ordines non posse promoveri nisi praevia S. Ap. dispensatione.* - Item quia S. Cong. non vult *decretorie* definire an agatur de *propria* irregularitate aut de simplici *inhabilitate* naturali uti solet hac formula « Pro gratia *dispensationis* et HABILITATIONIS ». - Quando Cong. dispensat ex delegata sibi facultate ponit in rescripto - *vigore facultatum.* — De *impropria* irreg. agitur quum, non *facto verbo cum SSmo,* mandat Episcopis dispensare *pro arbitrio et conscientia.*

stricto sensu aut *lato sensu*, et hoc sedulo adverti debet. *Lato* enim *sensu* si sumantur irregularitates, tunc comprehenduntur etiam omnigena impedimenta quae ab ordinibus suscipiendis vel exercitandis removent, qualia sunt aetatis et scientiae defectus; vi quorum sane aliquis ad primám tonsuram vel ad inferiores ordines promoveri potest, interim a superioribus prohibitus. Natura vero ipsa irregularitatis *stricto* et *proprio sensu* sumptae exigit, ut sit *individua;* irregularis enim a sacro ministerio arcetur, quod cum constet pluribus gradibus qui ab illo indistincte removetur, necesse est ut a quacumque ministerii parte prohibeatur. In hoc consistit *proprio sensu* irregularitas quae a iure positivo inducta est eo consilio ut quis tali laborans impedimento neque ordinibus initietur, neque in susceptis ministrare sinatur.

189. Porro irregularitas, suapte natura, quum sit *individua*, in definitione ponitur ipsam removere ab ordinibus suscipiendis et *per consequens* ab exercitio iam susceptorum; inquam « *per consequens* » nam qui tali macula notatur utpote si nondum ordines suscepisset, eosdem modo suscipere non deberet, consequitur, eumdem prohiberi etiam ab exercitio susceptorum; dedecet enim illum ministrare in gradibus clericalibus. Verum nemo non videt magnum interesse discrimen inter irregularem non ordinandum et irregularem iam ordinatum; cum irregularis iam ordinatus qui non ex sua culpa seu ex defectu contraxerit irregularitatem, utputa ex vitio corporis, si absolute prohiberetur ab omni exercitio ordinum in quibus etiam commode ministrare potest, plane nimis affligeretur, quando aequitas naturalis et maxime canonica dictat, *afflicto afflictionem non esse addendam*. Exinde ius canonicum statuit, in nonnullis irregularitatibus *ex defectu* provenientibus cuidam iam ordinato supervenientibus, *dispensative* permittendum esse eidem irregulari aliquos actus ordinis ministrare; prouti exponemus agentes in specie de huiusmodi irregularitatibus. Sed innui « *dispensative* » quia haec dispensatio pro

impediendo effectu legis communis seu pro relaxanda lege communi necessario subintelligitur.

190. Verum D'Annibale (I. 400) advertens irregularitatum proprium esse ut omnino maneant *individuae*, infert, irregularitates *ex defectu* corporis non prohibentes (1) omnem actum ordinis iam suscepti non esse *proprias* irregularitates sed verius *improprias*. - At non videtur necessarium hac de causa huiusmodi irregularitates amandare inter improprias; nam salva

(1) In propositum iuvat advertere, Cardinali D'Annibale in hoc etiam usuvenisse prouti in nonnullis aliis quaestionibus, ipsum nimis arcte adhaesisse *abstractis* iuris principiis et regulis, seu *philosophicis* institutorum legalium *notionibus*. Sed *in iure omnis definitio periculosa est, rarum enim est quod perverti non potest;* uti tradit lex 50 ff. *De diversis reg. iuris*. - Re sane vera ius positivum est *eminenter practicum* unde periculosum est una simplici definitione comprehendere ambitum alicuius instituti iuridici quod natum est amplecti tam varios et distinctos casus. Vide quae docuimus *in prooemio* vol. I. - Ita nobis non probata est notio censurae tam arcte a D'Annibale tradita quae excludit necessario interdictum personale generale, interdictum ad certum tempus inflictum, item suspensionem a beneficio aut ad tempus certum illatum et ita porro. Item in casu nostro notio irregularitatis *propriae* a D'Annibale propositae est tam arcta ut in suo ambitu non comprehendat casus qui non dubie in iure positivo videntur contineri inter irregularitates *proprias*. Equidem propositum Card. D'Annibale in exaranda *Summula*, cui ceterum nulla laus tribuitur non debita, fuit scientiam theologicam moralem exigere ad certa principia iuris, eamdemque vindicare a placitis Theologorum qui non dubitarunt fingere obligationes et praecepta nulli legi innixa; proinde D'Annibale usque studet legem certam adinvenire unde repetat obligationem et passim recolit regulam, - *sine textu erubescor loqui* -; quare sine certa lege aut regula iuris non admittit aliquam fidelibus obligationem imponi posse; sed in hoc studio non semel, quod humanae naturae tribuendum est, incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. — Rem nostram quod attinet, inquisitiones doctrinales in irregularitates primo institutae sunt a *Scholasticis* dictantibus commentarios in IV *Sententiarum, dist. 22-25*, et irregularitates communiter consideratae sunt quasi *censurae* quatenus nempe distinguebantur a poenis proprie dictis et a poenitentiis. Haec sententia communiter attri-

naturali exigentia irregularitatis ut sit *individua*, quasi *per accidens* nempe per dispensationem in universum a iure concessam effectus huius qualitatis impediri potest in casibus particularibus per aliud praevalens ius, uti revera accidit aliquando in irregularitatibus *ex defectu corp.* ob ius praevalens naturale, scilicet ne sine sufficienti causa quis a iure iam legitime quaesito prohibeatur. Cf. cl. Gasparri, *op. cit.*, *n. 171.* Et sane, iuxta effatum scholae, definitiones *aptitudinem significant non actum.*

buta est Thomistis; quum alia schola Theologorum irregularitates poenis proprie dictis adnumeraverit. Hodie Lehemkuhl, (I, 1002) docet: « *Attamen non raro* (irregularitas) *in poenam statuitur eamque vindicativam. Hinc existit divisio in irregularitates* EX DEFECTU *et in irregularitates* EX DELICTO ». *Scholasticis* et *Summistis* succedunt canonistae qui speciales tractatus exarant *de irregularitatibus* et eminent inter hos *Maiolus*, *Burgasius*, *Villadiego*. Sed his accidit, in primis *Maiolo*, nomine irregularitatis comprehendere omnia impedimenta quae iure sive divino sive naturali sive humano removent a s. ministerio. Revera isti cognoverunt irregularitatem non esse *proprie* poenam sed impedimentum, at erraruut complectentes omnigena impedimenta ad s. ordines. Inde magna et gravis confusio in hac materia. - *Suaresio* laus tribuenda est potissimum quippe qui probavit principium - *nullam irregularitatem haberi nisi in iure positivo expressam* - idemque probe applicavit. Sed superiori imo nostra aetate non omnes DD. secuti sunt *Suaresium;* et ipse *Berardi Sebastianus* latissime sumit nomen irregularitatis, sed alii pene omnes DD. hodie Suaresii vestigia premunt. D'Annibale, uti diximus, pressius principio supra enunciato et notioni *propriae* irregularitatis adhaeret adeo ut videatur aliquando nonnulla impedimenta habere uti *improprias* irreg. quae e contra *propriae* irreg. sunt. — Hac de re consulendi sunt praeter iam citatos, Gibalinus, *De irregularitatibus*, Thesaurus, *De poenis*, Sayrus, *De censuris et irregularitatibus*, Layman, *Theol. moral.*, *lib. I, tract. V, p. 5*, - Div. Alphonsus, *Theol. moral.*, *VII, cap. 5*, Boenninghausen, *De irregularitatibus*, Stremler, *De poenis eccles.*, *VII*, Lehmkuhl, *Theol. moral.*, *II, 1002 seq.* et Gasparri, *De sacra ord.*, quem Doctorem saepius laudabimus: quoad historiam cf. maxime, Thomassinus, *De vet. et nov. discip.*, *P. II, lib. 1, cap. 56 seq.* et Philipps, *Kirchenrecht*, gallice redditum per Creuzot, *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux lib. I*, § *46 seq.*

Ita de ratione humanae naturae est *rationabilitas*, quamvis naturaliter usus rationis in infantibus, et in adultis quoque contigit, utputa per amentiam, prohiberi. Cf. Suarez, *40. 1. 12.*

Sane huiusmodi *corporis defectus* tum communiter apud Doctores, tum apud S. C. C. sive agatur de dispensatione impertienda pro ordinibus suscipiendis, sive pro administrandis susceptis semper nuncupatur *irregularitas*. - Recte vero appellatur *irregularitas* defectus qui etsi non omne prohibeat ordinis exercitium in iam *promoto* veluti *per accidens*, tamen penitus non tollitur nisi dispensatione quatenus est impedimentum iuris positivi.

192. Revera non solum *individuae* sed etiam *perpetuae* sunt irregularitates utpote quae nec temporis lapsu nec poenitentia abolentur sed solummodo per dispensationem auferuntur. Proinde illa omnia impedimenta ad ordines suscipiendos aut exercendos quae vi sua cessant, veluti defectus aetatis, scientiae, aut morum honestatis, non sunt *propriae* irregularitates sed *impropriae*. Nam irregularitates quoque provenientes *ex delicto* a iure positivo constitutae sunt et applicantur *primo* et *principaliter* non qua poenae, sed *quasi inhabilitates* quae natura sua *perpetuae* sunt.

193. Nihilominus quia irregularis non est revera incapax sacrae ordinationis, ordines illicite sed valide exercentur ab irregulari et conferuntur irregulari.

Quid iuris de beneficiis? Videretur, horum collationem nullam esse; quum beneficia dentur propter officium sacrum, nempe ordinum exercitium, quod exercere cum non valeat irregularis, hic ad beneficia censetur inhabilis, iuxta regulam *39 iuris in 6*: « Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo ». In specie vero hoc decernere videtur Conc. Trid, *sess. 14*, *c.* 7, *De ref.* et maxime in *sess. 22*, *c. 4*, *De ref.* ubi statuitur: « *Nec aliis in posterum fiat provisio nisi iis qui iam aetatem et caeteras habilitates integre habere dignoscantur; aliter* IRRITA *sit provisio* ».

Verum e contra, actus sustineri debet quousque de eius nullitate evidenter non constet; et in specie beneficiorum collationes ratae habentur nisi nullas et inanes esse decernatur, arg. *c. c. 6. De concess. praeb. in 6* (III, 7), 2 *De haereticis in 6* (V, 2), et 1 § 2 *De homicidio in 6* (V, 4). - Iamvero textus decernens aut declarans, in universum, irregulares esse incapaces beneficiorum sane non habetur. Equidem irregularitas non est proprie *inhabilitans*, sed est *impedimentum* ad ordines suscipiendos. - Textus vero Tridentinus - *sess. 14*, c. 7, *De ref.* - si etiam intelligatur decernere irritas et nullas beneficiorum collationes, quòd tamen asserere non audet vel ipse Suarez *l. c. 2, 32*, hoc spectat dumtaxat *ad homicidam voluntarium*. - Alter vero textus, *sess. 22*, *cap. 4*, *De ref.* non potest intelligi ut iubeat rigorose collationum nullitatem quippe exigit, provisiones beneficiorum et officiorum fieri *habilibus* seu *dignioribus:* sed quis dicet, nullas esse huiusmodi collationes factas personis minus idoneis aut minus dignis? Ergo illa dictio « *irrita sit provisio* » intelligenda est ut irrita fiat provisio seu rescindatur per iudicis sententiam, prouti casus ferat. Quum enim ibi videatur invocari officium iudicis, heic viget poena *fer.*, *non lat. sententiae*, et in dubio quod minus est tenere debemus; scilicet collationes esse *illicitas* sed non ipso iure *irritas*. - Cuius doctrinae practica consectaria haec sunt:

1) Non licere irregularibus conferre beneficia, neque irregulares culpa vacare beneficia collata suscipientes; quippe obstat lex canonica.

2) Quum vero beneficia collata fuerint irregulari, mota quaestione an collatio valida sit, haec declaranda esset irrita quotiescumque collator ignorabat clericum affici irregularitate vel quia in precibus explicata non fuit vel non satis clare expressa; nempe ob vitium obreptionis vel subreptionis in precibus et planum est. - Quid iuris si collator quamvis irregularitatem perspectam haberet, nihilo secius beneficium contulit

irregulari? - Si ageretur de Rom. Pontifice hic censeretur dispensasse; itemque censetur de ordinario collatore, quotiescumque hic in casu eiusmodi polleat facultate. Si hac non pollet, praesumitur iste ignorasse irregularitatem quousque evidenter contrarium non probetur. - Quod si sciens prudens collator beneficium contulerit irregulari, redit quaestio an collatio valida sit vel minus. Iamvero quia recitata principia docent, - beneficiorum collationes quamvis *illicitas*, tamen *validas* esse nisi expresse statutum sit irritas esse, - sequitur, ex simplici causa irregularitatis, beneficium semel collatum auferri non posse. Etenim causae privationis beneficiorum expresse et taxative in iure cautae sunt, ut innuimus, et infra dicemus agentes de irregularitate obtinenti beneficium superveniente (1).

3) Quare beneficiatus dummodo onera beneficii per alium adimpleat facit fructus suos nec tenetur beneficio abdicare. Si onera sunt personalia quae per alium adimplere non valet, tenetur abdicare non ratione *irregularitatis* sed *iustitiae*. Suarez, *l. c. 2, 18.*

(1) Unde non admitterem cum cl. Gasparri l. c. 173, beneficiarium maxime in hoc peccare *quia nemo cum opinione probabili potest licite incohare possessionem rei alienae*, - nam stante *dubio iuris* ob diversas DD. opiniones, viget principium reflexum, *validas esse beneficiorum collationes quae expresso et certo iure non decernantur nullae.* - Doctores qui autumant nullam esse collationem beneficiorum irregulari factam solent citare duas decisiones S. C. Concil., alteram in Augustana *27 Sept. 1601*, relatam a Giraldi, *II sect. 91*, et alteram in Hispalen. *30 Martii 1726;* sed uti fatetur Gasparri *l. c.*, nec una nec altera rem evincunt, quia prima non pertinet ad casum *irregularitatis* sed ad casum *indignitatis* ob male susceptos primam tonsuram et minores ordines ante Confirmationem. Declarata existentia huius defectus quem forsan, uti videtur, collator non aestimaverat, edicit S. Cong. Conc. beneficia fuisse *minus legitime acquisita et novam dandam provisionem*, quia forsan collator si defectum cognovisset probe, non voluisset nec debuisset conferre. — In Hispalen., agitur de *dubia* irregularitate et dispensatur ad *cautelam.*

4) Sed beneficia simplicia, sacri ordinis exercitium non expostulantia sed tantum aliud opus, veluti recitationem *horarum can.*, conferri non prohibentur.

194. Quum vero irregularitas supervenit ei qui beneficium iam obtinet, convenit apud DD. istam non operari beneficii privationem nisi expresse haec cauta sit in iure; (uti factum est contra homicidas in *cap. 1 § 2, De homicidio, in 6*); et hinc clericum irregularem non teneri ad dimittendum beneficium. Quare clericus suos facit fructus si per alios suis muneribus satisfaciat; quae si per alios adimplere non valet, utpote personalia, et muneris omissio sit gravis, *ex iustitia* beneficio abdicare cogitur, arg. *c. c. 10, De renunciatione, X* (I, 9 et 10), *De excess. praelat., X* (V, 31).

Sed ea tantum onera per se adimplere beneficiarius irregularis prohibetur quae implicant s. ordinis exercitium, non ea quae a iurisdictione ecclesiastica statum et vim capiunt vel quae a laicis etiam agi possunt, utputa canonico recitatio *horarum* in choro, at ei cavendum est, advertunt canonistae, ne officiatorem agat canendo - *Dominus Vobiscum* - quod diaconorum est. Item vi iurisdictionis valide et licite Episcopus confert beneficia, sententias fert iudiciales, irrogat poenas, dispensat; parochus assistit matrimoniis quamvis non licite nuptiis benedicat, Suarez, *l. c. 2, 26*, et valide sed illicite absolvit a peccatis, quia irregularitas non intercipit iurisdictionem, sed illicitus est usus illius potestatis innixae ordini sacro. - D'Annibale (*I, 401, not. 18*).

195. Exinde maximi refert secernere et apprime distinguere irregularitates a suspensionibus, quarum proprium est directe impedire usum iurisdictionis. Nec in singulis poenalibus decretis facile est cognoscere an de irregularitatibus agatur vel potius de suspensionibus, praesertim quando hae sunt perpetuae et forsitan contractae in ipsa ordinum susceptione. Praeterea irregularitates a censuris secernere necessarium est, cum

censuras ad certum numerum reduxerit *Constitutio Apost. Sedis* easdem *taxative* significans, at irregularitates nullimode tangit. Quare praestat ex ipso irregularitatis conceptu per summa lineamenta exprimere criterium quo istae secernuntur ab aliis remediis huiusce generis.

Irregularitas *ipso facto*, semper incurritur quippe est quaedam *maculae nota*, sive ex culpa contracta sit, sive absque culpa, arcens a sacris ordinibus *suscipiendis* proindeque *exercendis*, quare est *directius* et *proprius* impedimentum perpetuum quod ad ordines sacros suscipiendos, removens *indirecte* a iurisdictione aut aliis officiis aut beneficiis, et non in poenam, sed ob reverentiam divini ministerii (1). Itaque quando agitur in canone de remedio poenali *fer. sent.* (2) aut de poena proprie dicta aut de censura quae directe et primo prohibet non *susceptionem* sed s. ordinum *exercitium* aut iurisdictionem aut beneficii administrationem aut fructus, aut beneficio aut officio privat aut ipso statu clericali, erit suspensio, privatio, depositio degradatio aut quaecumque alia censura et poena sed non irregularitas. Item omnia impedimenta temporanea quae progressu temporis evacuantur aut poenitentia auferuntur, ve-

(1) Veluti, qui uxorem habens, ea mortua, ordinatur in sacris, is, *(vi Extrav. Un. De voto) matrimonio soluto, vetatur in suscepto ordine ministrare et ad superiores provehi;* et ad quodvis *beneficium et officium ecclesiasticum promoveri.* - At communis et verior est sententia, hic non agi de irregularitate sed de vera *poena* - Cf. D'Annibale (*I. 412. not. 38*). Item qui s. ordines suscipit, non servatis aut spretis regulis canonicis, quippe ordinem recipit ab Episcopo nominatim excommunicato, suspenso, interdicto, vel ab Episcopo non *suo*, vel ab Episcopo *suo* sed in aliena dioecesi, vel furtive, aut per saltum aut sine titulo et ita porro, prohibetur exercere ordines susceptos et superiores recipere sed non vi *irregularitatis* sed *suspensionis.* Cf. Gasparri, *Op. cit. n. 153 sq.*

(2) Revera irregularitates in iure expressae *ipso facto* incurruntur, at nihil prohibet quominus S. Pontifex sententiâ *ab homine* vel a *iure* inferre decernat irregularitatem.

luti defectus aetatis, scientiae, morum vel artis inhonestas, hominem faciunt indignum aut inidoneum s. ordinibus, partim ex iure positivo, partim ex naturali, sed non irregularem, sensu iuris positivi canonici.

§ 1. *Quinam irregularitates contrahere possint.*

Summarium. — 196. Quisquis capax s. ordinationis obnoxius esse potest irregularitatibus. Episcopi et S. R. E. Cardinales has contrahunt quin de iis specialis mentio habenda sit. — 197. Irregularitas *ex defectu* incurritur etiam nobis insciis et invitis. E contra quae *ex delicto*, quippe haec se habet ad instar poenae gravissimae. Sed ex culpa, absque dolo, incurritur irregularitas *ex homicidio*, ratione *quasi-delicti*. — 198. Explicatur textus Concil. Trid. — 199. An impuberes irregularitates *ex delicto* incurrant. — 200. An et quaenam ignorantia excuset ab irregularitate *ex delicto*. — 201. An et quomodo dubium sive *iuris* sive *facti* excuset ab eiusmodi irregularitate. - Quare ex *facto* dubio, excepto homicidio *dubio* quoad auctorem, non incurratur irregularitas. - De dispensatione ad cautelam. — 202. An quis incurrere possit plures irregularitates etiam eiusdem speciei.

196. Hactenus vidimus de causa *efficienti* et *formali* irregularitatis; modo de causa *materiali* seu de subiecto irregularitatis.

1) Iamvero *nemo est capax irregularitatis qui ex Christi institutione non sit capax sacramenti ordinis*. Proinde *a*) foeminae, *b*) homines non baptizati, etsi cathecumeni in charitate Christi maxime ferventes, irregularitatis non sunt capaces.

2) Exinde *omnes homines capaces s. ordinum sunt irregularitatum capaces dummodo in terris habeant Superiorem seu alicuius iurisdictioni subsint.*

Unde inter fideles, dumtaxat Rom. Pontifex est irregularitatum incapax; nam irregularitates pertinent ad *vim coactivam;* irregularitates quoque *ex defectu*, quippe in primis iubent hominem irregularem arcendum esse ab ordinibus suscipiendis eis-

demque ministrandis, at huic imperio subesse non valet Rom. Pontifex quamvis possit obligari suis legibus quoad *vim directivam.* Cf. Suarez, *XL, 7, n. 7.* Schmalzgrueber, *V, 37, n. 71.*

Episcopi autem et Cardinales comprehenduntur in legibus irregularitates constituentibus etsi de iis nulla mentio fiat; arg. *c. c. 10. § Personae. De renunciat. X* (I, 9) et *1 De sent. et re iud. in 6* (II, 14).

197. Quaeritur an quis ignorans aut reluctans irregularitatem contrahere valeat. - Et distingui debet una species irregularitatis ab altera. Nam irregularitates *ex defectu*, quippe provenientes ex facto quod nos vel non posuimus vel liberi et volentes non posuimus, nobis insciis et invitis contrahuntur. - E contra irregularitates *ex delicto* provenientes, contrahuntur ex facto *doloso* aut *culposo externo consummato etsi occultissimo.*

Quamobrem causae omnes, suo loco explicatae, dirimentes delicti imputationem, irregularitatem impediunt. Sed inquam - ex facto *doloso* aut CULPOSO - siquidem etiam ex *culpa* seu ex *quasi delicto* enascitur irregularitas; nimirum ex homicidio non directe voluntario, sed patrato ex omissione debitae deligentiae; quandoquidem tantum facinus poterat et debebat praevideri. Cf. quae docuimus agentes *de quasi delictis*, *n. 33 sq.* In hoc propositum gravis et elegans resolvenda est quaestio.

Cl. Gasparri, *op. cit. n. 191* tradit: « ... *irregularitas quasi poena gravissima supponit culpam gravem. Ita quidem in genere: sed cum irregularitas vere poena non sit, non repugnat induci ex peccato* levi, *si scilicet actus licet in se leviter culpabilis promotionem clericalem reddat graviter indecentem quod nominatim in homicidio verificari potest* ». Sed prouti adnotat idem Auctor, contrarium docent communiter Doctores, seu requiri culpam gravem nempe peccatum lethale, ita Suarez, *XL, 3, 17* et *XLI, 5;* Schmalzgrueber, *XXXVII, n. 76;* D' Annibale, *I, 409.* Sane quae *ex defectu* proveniunt

irregularitates, inductae sunt dumtaxat ob honorem eccl. status quin culpa subsit irregularis hominis; sed quae *ex delicto* oriuntur, absque morali imputatione proportionate gravi, non contrahuntur. Argumentum vero quo innititur sententia horum DD. est pene apodicticum, quod ita refert Suarez, *XL V, 5, 8:* « *Haec irregularitas imponitur propter culpam; est autem poena gravissima; ergo non est verisimile imponi propter culpam tantum venialem* ». Alias, uti notat Schmalzg. *l. c.*, poena culpae gravitatem excederet.

Dicebam hanc quaestionem *gravem* et *elegantem* resolvendam esse quia ex una parte verum est quod asserit Gasparri, et docet ipse Suarez, *XL V, 5, 8,* ex culpa *theologice* levi incurri irregularitatem ex homicidio nempe *culposo* seu CASUALI uti loquitur rubrica *tituli 12, lib. V, X*, sed ex alia parte verum est principium generale communiter enunciatum a DD., nempe incurri irregularitatem *ex delicto* propter culpam *theologice* gravem seu dolum. — Iamvero, ni ego fallor, unum tantum suppetit conciliationis medium inter duo extrema. Etenim cum recenseri non possit irregularitas ex homicidio *culposo* seu *casuali* inter irregularitates *ex defectu* provenientes, quia textus legis loquuntur de *culpa* seu de omissione debitae diligentiae, superest ut *causa proxima* huiusmodi irregularitatis exquiratur in quadam causa *media* inter purum *delictum*, et merum *defectum*. Haec causa videtur esse *quasi-delictum* quod in foro *interno* uti scite advertit D'Annibale (I, 297) (1) vix intelligitur, sed dumtaxat in foro *externo* in quo facta quae aliis nocent et graviter deordinant publicam tranquillitatem compescuntur aliquo remedio poenali quamvis ista posita sint non ex proposito

(1) Haec sunt verba D'Annibale, *l. c.* « Itaque is qui *casu* deliquit innoxius est; qui *dolo* sciens prudens, reus; qui *culpa* in foro quidem *exteriori* (seu civili seu canonico) aliquatenus reus habetur, si culpa fuerit lata, sive quia in doli suspicionem incidit seu potius *quia mali exempli reus est;* in *interiori* non item *quia culpa magis in casum recidit* ».

delinquendi sed *ex omissione debitae deligentiae* seu ex culpa *externe* gravi etsi theologice *levi* aut forsan *nulla*. En notio *quasi-delicti*. - Atqui non est alienum ab indole irregularitatis ut alicui facto *culposo* haec adnectatur a iure posit.; nam irregularitates, suapte natura, pertinent *ad forum externum*. - Sed unus tantum recensetur casus, videlicet homicidium culposum, quotiescumque ex adiunctis *externis* coniicitur, homicidam fuisse in culpa ob omissionem debitae diligentiae.

198. Re sane vera, uti advertimus, irregularitates spectant, suapte natura, ad forum externum; unde iudex ecclesiasticus in conspectu tanti facinoris patrati non ex proposito delinquendi deliberato sed ex culpa seu ex omissione debitae diligentiae, censet auctorem homicidii incurrisse irregularitatem; quippe, nisi evidenter probetur contrarium, praesumit gravi culpae, ut ita dicam, *externae* correspondisse gravem culpam *internam*. Ita intelligendus est textus Concil. Trid. *sess. 14, cap.* 7, *De ref.* ita conceptus: « *Si vere homicidium non ex proposito sed casu vel vim vi repellendo ut quis se a morte defenderet fuisse consummatum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium et beneficia quaecumque ac dignitates* IURE QUODDAMMODO DISPENSATIO *debeatur, committatur loci ordinario aut ex causa metropolitano aut viciniori Episcopo qui non nisi causa cognita et probatis precibus ac narratis nec aliter dispensare possit* ». Quia textus loquitur de controversia dirimenda *causa cognita*, ergo excludit factum *notorium* homicidii commissi absque ulla culpa, sed ex vi maiori seu casu aut ex necessitate legitimae defensionis. In dubio, iudex tuetur legem Ecclesiae arcentem homicidas ab altari, et *dispensat* (1) seu declarat irregularitati

(1) Concilium non agere de dispensatione *proprie dicta* sed de *declaratione* patet ex ipsa ratione loquendi; quippe ait « *iure quodammodo dispensatio debeatur* », sed propria dispensatio non *iure* sed ex clementia Principis expostulatur, uti explicavimus n. 103.

locum non fuisse, *causa cognita*, quotiescumque pateat, gravem culpam *externam* non adfuisse; quod si haec adfuit, praesumit non defuisse culpam *theologicam* (1). Quare hoc homicidium *casuale* unde oriri potest irregularitas pertinet ad *quasi-delictum;* et hoc significat rubrica *cit. cap. in Conc. Trid.* nempe: « *Voluntarii homicidae nunquam, casuales quomodo ordinandi* », et ista concinit rubricae *tituli 12, lib. V, X*, inscripti « *De homicidio voluntario vel casuali* ». At haec principia latius explicabimus agentes de irregularitate *ex homicidio.*

199. An impuberes incurrant irregularitates *ex delicto* non convenit apud canonistas; sed uti explicavimus *n. 28*, § *5* probabilior seu verior est opinio quae tenet, impuberes etsi infantiae proximos - dummodo constet dolo non fuisse expertes -, (quod tamen non *praesumitur*, sed *probari* debet) irregularitates contrahere, quippe istae sunt *quasi-inhabilitates*. Revera S. C. C. in Messanen., *Irregularitatis, 5 Iulii 1838* dispensationem impertire noluit puero novem annorum; at re iterum discussa *die 17 Dec. 1740* dispensavit *ad cautelam;* item se gessit in Tridentina, *Irregularitatis, 13 Martii 1784*. Nihilominus sententia quae tenet impuberes, irregularitates non contrahere est communior: cf. Gasparri, *op. cit. n. 202*. Proinde in dubio iuris, quoad praxim hanc sententiam sequi possumus. - S. Congregatio Concilii dispensando *ad cautelam*, quaestionem reliquit intactam.

(1) Nos explicantes *quasi-delicta* n. 34 docuimus, ista provenire ex culpa *levi;* sed quatenus haec opponitur *latae* dolo aequiparatae. Unde levis culpa, *abstracte* perpensa, in materia tam gravi fit gravis culpa; quia omissio diligentiae in tam gravi negotio est magna negligentia; et *magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est.* Unde cum agatur de decore sacerdotalis ordinis et de vita hominis, sane rigor non est nimius si culpa *theologice levis* mulctatur irregularitate. Huiusmodi homicidium etsi *culposum* in rubricis vocatur *casuale* quia uti adnotavimus *n. 35* antiquitus canonistae docuerunt, *casum* posse coniungi cum *culpa;* et hoc admissum fuit, assumendo *casus* significationem latiori sensu, adeo ut non excluderet culpam saltem *levem.*

200. Irregularitates vero in *dubio iuris* non contrahi itemque in *dubio facti,* infra probabimus. In antecessum paucis expediemus quaestionem, an excuset ignorantia ab incurrendis irregularitatibus *ex delicto*. Recolimus et applicamus principia explicata n. 32.

1) *Ignorantia facti excusat ab incurrendis irregularitatibus ex delicto, dummodo non sit ignorantia graviter culpabilis. At ignorantia facti leviter culpabilis aliquando non excusat, veluti in homicidio.* - Inquam *ab incurrendis irregularitatibus ex delicto;* nam irregularitates *ex defectu* contrahuntur nobis insciis et invitis. At non excusat ignorantia *graviter culpabilis* seu *crassa* et *supina;* quae excusat dumtaxat quando irregularitas lata est in *audentes*, in *praesumentes* aliquid facere, adeo ut excuset etiam *affectata* si incurrenda decernitur irregularitas a *scienter* aliquid perpetrantibus. - Ignorantia *leviter* culpabilis non excusat ex *quasi-delicto* homicidii, ut supra exposuimus, et uti innuimus n. 32, § 2.

2) *Ignorantia legis sive divinae sive naturalis sive ecclesiasticae vetantis factum cui adnexa est irregularitas ex delicto non excusat. Sed haec est simplex praesumptio quae cedit veritati seu contrariae probationi.* - Hanc regulam iam explicavimus *sub* § *3 num. 32.* Inquam legis - sive *divinae* sive *naturalis* sive *ecclesiasticae* - quia nonnulli DD., uti videre est penes S. Alphonsum *VII, n. 350,* autumant excusare ignorantiam legis ecclesiasticae prohibentis aliquod factum quamvis hoc cognoscatur prohibitum lege divina aut naturali. Sed haec sententia est aliena quammaxime a genuino conceptu criminis ecclesiastici: cf. supra n. 16; et ipsius irregularitatis. Verum versamur *in dubio iuris;* imo istam sententiam graves sequuntur DD., veluti Schmalzg. *l. c. n. 105.*

3) *Ignorantia irregularitatis seu huius poenae lege ecclesiastica adnexae cuidam delicto non excusat.* - Hanc regulam explicavimus sub § *1 n. 32.* In propositum haec regula

clarior fit et accommodatior quia irregularitates sunt poenae impropriae et quasi inhabilitates adeo ut DD. qui expostulant irregularitatis expressam notitiam ad hanc incurrendam videantur subvertere conceptum irregularitatis nec non criminis eccles. Nihilominus contraria sententia est communis et S. Alphonso *VII, 351* habetur *satis probabilis:* cf. Schmalzg. *l. c. n. 108.* At hanc nos dicemus *extrinsece* probabilem, non sane *intrinsece.* Verum hoc satis est ut versemur in *dubio iuris.* — Sed Schmalzg. *l. c. n. 108* docet regulam a nobis expositam *in praxi receptam, tenendam omnino esse.* Non minus decretorie eamdem complectitur Suarez, *XL, 5, 9 sq.*

201. Praeterea quaeritur an qui dubius est utrum ipse incurrerit irregularitatem quia versatur vel in *dubio iuris* vel in *dubio facti*, irregularitatem incurrisse dicendus sit. Ad rem istae regulae teneantur:

1) In primis quatenus dubium est *subiectivum*, quis sedulam operam adhibere debet ad inquirendam veritatem; fas enim illi non est ita dubitanti, non praehabita inquisitione, se habere ab irregularitate immunem; secus enim se exponeret periculo violandi legem Ecclesiae, quod est grave peccatum. Dumtaxat excipiendus est casus quo urgeat gravis necessitas et tempus non suppetat deliberationis quia periculum est in mora, utputa quum beneficii capessendi amittitur occasio nisi statim istud acceptetur. Etenim leges ecclesiasticae non obligant cum tam gravi incommodo. Schmalzgrueber. *l. cit. n. 78;* S. Alphons., *VII, 346.*

2) Si praehabita diligenti inquisitione quis sibi efformare non valeat *probabilem* conscientiam quia obstat non spernendum grave dubium sive *iuris* sive *facti*, tunc recurrendum est ad principia generalia quae determinant non incurri irregularitatem dubiam sive *ex iure* sive *ex facto.* Suarez, *XL. 6.*

3) Quoad *dubium iuris* non incerta est voluntas legislatoris, quum in *cap. 18, De sent. excom. in 6* edicatur, *non incurri irregularitatem nisi haec in iure sit expressa.* At

expressum dici non potest quod inter probatos auctores est controversum. Suarez, *XL, 5, 19.*

4) Quoad *dubium facti* regula generalis est, ex *dubio facti*, nempe *positivo* atque *obiective* tali, irregularitatem non incurri, quia nullibi hoc iubetur in iure; irregularitas vero non incurritur *nisi in casibus in iure expressis.* Schmalzg., *l. c. num. 85* (1).

5) At regulae generali facienda est exceptio quoad *dubium patrati homicidii,* quando nimirum *certum* est factum sed dubitatur quinam fuerit homicidii auctor. Tunc enim quum dubitatur an Titius an Caius, *clerici in sacris constituti,* istud patraverint et uterque dubius haeret an ipse homicidium patraverit, uterque est irregularis, ita expresse iubente iure, in *c. c. 20* et *24 De homicid. X* (V, 12) et additur ratio: *cum sit consultius in huiusmodi dubio abstinere quam celebrare.* Hac inducti ratione, nonnulli DD. (uti videre est apud Suarez, *l. c. n. 13 sq.*) opinati sunt in *dubio facti* semper incurri irregularitatem, sed iure merito hos reprehendit Suarez, *l. c.* et Schmalzg., *l. c.;* siquidem in poenalibus non licet de uno casu ad alium extendere vim praecepti poenalis (2). Quocirca dumtaxat in *dubio facti homicidii* incurritur irregularitas; neque cum dubitatur

(1) Sed quando dubium non est spernendum, ad populi scandalum removendum et periculum laedendi decorem ordinis eccles., Episcopus, sua sententia, declarare debet an locus sit irregularitati. - In genere iudex *facti* quoad existentiam vel minus irregularitatis est Episcopus. Cf. *c. c. 1, 2. 7, De corp. vitiat. X* (I, 20); et *Acta S. Sedis XI,* p. 423.

(2) Revera si quis obiiciat, Doctores efformasse regulam generalem, *irregularitatem non incurri nisi expressam in iure,* deductam ex parte non *dispositiva* sed *exornativa,* respondemus reapse vim illius regulae non desumi ex verbis capitis *exornativis* (quippe ex verbis *exornativis* nullum ius constituitur) sed ex communi praxi et ex receptis moribus. - Ex adverso DD. et iurisprudentia respuit aliud generalius principium *in dubiis tutior est pars eligenda,* quia in moralibus non est consentaneum humanae libertatis iuribus et officiis.

an homicidium perpetratum sit, (hoc enim non est expressum in cit. legibus) sed cum homicidium est certum, at graviter dubium est an istud tu patraveris, tunc enim, non obstante dubio, irregularitatem incurres (1).

6) Quamobrem, praxim quod attinet, advertatur aliquem uti dubiam irregularitatem habere posse *a*) aut ratione *iuris* aut ratione *facti*, *b*) et isto dubio quem affici posse sive antequam actum ponat, unde forsan irregularitas oriri posset, vel postquam actum aut ipse aut alius posuerit; nimirum quis dubius haeret de irregularitate vel forte INCURRENDA videlicet ex *delicto*, vel forte *incursa* sive ex *delicto* sive ex *defectu.*

In *primo* casu stante dubio quis sibi efformat conscientiam *practice certam* et huic innixus irregularitatem *ex delicto* non incurrit. Ut puta quis dubius haeret an censuram commiserit suspensionis et timet ne ex celebratione missae fiat irregularis. Iamvero, si dubium non diluatur post sedulam inquisitionem, ipse celebrans non fit irregularis etsi postea detegatur suspensioni revera subiacuisse dum celebravit. Nam revera non deliquit agens ex conscientia *practice certa* vi principii reflexi. Suarez, *De cens. XI, 3, 8.* In *secundo* casu quis, post diligens dubii examen, etsi dubium grave perseveret, se habere potest uti non irregularem et se gerere uti ab hac immunem quin ullam expostulet dispensationem ne *ad cautelam* quidem, maxime quando agitur de ordine *bona fide* recepto; quia in dubio *possidet* liberum exercitium ordinis rite suscepti. — Si agatur

(1) Et notat Schmalz., *q. 84,* hanc irregularitatem vigere dumtaxat: *quoad effectum abstinendi a celebratione et petendi dispensationem quia ..... de his relati textus loquuntur, nullo autem modo ita dubitans censendus est irregularis quoad privationem beneficiorum aliasque poenas irregularibus impositas.* - Sed hoc sane est verum, quatenus haec irregularitas est *impropria* seu non omnes habet suos effectus. - Irregularis autem ex homicidio *dubio* non secus ac quisque alius irregularis est *indignus* sed non *inhabilis* ad beneficia.

de ordinibus suscipiendis per se, vigente dubio, quis licite ordines suscipit nulla praevia dispensatione *ad cautelam*. Sed praxis est S. C. Concilii stante dubio dispensare *ad cautelam*, quippe hoc expostulat dignitas et honor ordinis sacerdotalis. Ceterum in irregularitate *dubia*, dispensare valet Episcopus qui in casibus *dubiis* hac pollet potestate. Nec inutilis est dispensatio *ad cautelam;* nam exinde affertur irregularitas quae extitisse dein comperitur, veluti quando postea detegetur vel defectus natalium, vel baptismum fuisse collatum homini iam baptizato, quod antea dubium erat. Cf. D'Annibale *I, 231 not. 9 et 406*.

202. Quaeritur an ab uno subiecto plures irregularitates incurri possint. — Et posse contrahi plures irregularitates diversae speciei, non dubii iuris est; siquidem quis fieri potest irregularis, una simul, ex bigamia *similitudinaria*, ex vetito ordinum exercitio, ex defectu natalium et ex bigamia *vera*. Imo uno actu plures irregularitates contrahi possunt; prouti fit si quis *suspensus ab ordine rebaptizet*.

An vero plures irregularitates eiusdem speciei ab uno subiecto contrahi possint, non ita explorati iuris est. - Inter diversas sententias hoc videtur probabilius, nimirum irregularitatem *ex defectu*, in uno subiecto, cuiusque speciei unam dumtaxat contrahi posse; quia istae irregularitates consistunt *in defectu* uti in sua *causa proxima; defectus* vero, quasi *negatio* cuiusdam qualitatis, in sua specie unus consistit etsi repetantur actus unde progignitur. Quocirca iudex qui suo functus officio mille homines capite condemnat, unam contrahit irregularitatem ex defectu lenitatis.

Ex adverso irregularitates *ex delicto*, oriuntur, veluti ex *causa proxima*, ex ipso delicto. Plura autem delicta unius speciei patrari posse ab eodem subiecto nemo sane est qui ambigat. Quamobrem posito delicto utpute causa efficiente, consequitur effectus, nimirum irregularitas; proindeque iterato delicto eiusdem speciei, multiplicatur irregularitas. - Distinguit D'Annibale, (I, 405)

et hunc laudans cl. Gasparri 197, item docet, nempe irregularitates non multiplicari ex actibus in eodem subiecto repetitis, ita ut Sacerdos suspensus Missam pluries celebrans unam incurrat irregularitatem; multiplicari vero ex actibus in diverso subiecto repetitis, quare Titius decem homines occidens et decem rebaptizans viginti incurrit irregularitates. Et hoc firmatur exemplo impedimenti affinitatis quod non multiplicatur ex copula cum eadem persona pluries habita, bene vero ex copula habita cum diversis personis. - Sed haec argumenta, salva reverentia in cl. Auctores, non persuadent, quia causa *efficiens* irregulatitatis *ex delicto* non est *subiectum* in quod cadit actus sed ipsum *delictum* quod repeti potest in idem subiectum. Nec valet comparatio, nam impedimentum affinitatis consistit in relatione inter duas personas; et relatio desumitur et multiplicatur ex termino seu ex *subiecto* copulae, adeo ut copula producat affinitatem; sed haec non potest multiplicari nisi varient subiecta seu termini huius *relationis* (1). Alias, *supra n. 180*, advertimus quammaxime distare ab impedimentis matrimonialibus irregularitates potissimum *ex delicto*, quippe quae sunt ad instar gravissimae poenae et hinc plures incurruntur eiusdem speciei ab eodem subiecto, non secus ac plures censurae *l. sent.* eiusdem speciei ab uno homine incurri possunt.

(1) Suarez, *X, L. II, 1, 2,* tuetur sententiam quam nos tenuimus, seu multiplicari irregularitates, pro numero delictorum. Item videtur docere Schmalzgr. *l. c. n. 122.* Nihilominus quia sententia contraria est probabilis, quis petens dispensationem non obligatur utputa explicare singulas vices quibus celebravit suspensus, sed satis est si dicat se celebrasse suspensum. Cf. S. Alphons., *VII, 353.* Gasparri, *op. cit. 213.*

§ 2. *De modis quibus tollitur irregularitas, in primis, de dispensatione.*

Summarium. — 203. Qua ratione, praeter dispensationem a R. Pontifice concessam, irregularitas contracta tolli valeat. — 204. An et quomodo baptismum tollat irregularitates. — 205. Per quaenam dicasteria Curiae et quanam forma dispensationes impertire soleat Rom. Pontifex. Quae exprimenda sint in supplici libello. — 206. De potestate qua pollent Episcopi in negotium dispensationis. — 207. De privilegiis Regularium in hoc propositum. — 208. De vi et extensione concessae dispensationis. — 209. An vigeant et quomodo tollantur irregularitates *mentales* seu provenientes ex nonnullis delictis *occultis.* — 210. De ordine subsequentis tractationis.

203. Quia *perpetuae* sunt, suapte natura, irregularitates, quae *ex defectu* ortae sunt non tolluntur processu temporis; sed, praeter dispensationem (1), auferri possunt per aliquam causam *extrinsecam extraordinariam* qua adimitur aut minuitur corporis *defectus,* sive per miraculum sive per operationem chirurgicam unde, ut puta, cruribus motus vel oculis additur virtus visiva (2). Quae vero *ex delicto,* neque lapsu temporis neque

(1) Irregularitates *dispensatione* tolluntur non *absolutione* uti explicavimus; sed aliquando, sensu minus proprio, dicuntur *absolvi*, praesertim eae quae sunt *ex delicto.* Cf. *Conc. Trid. Sess. 24, c. 6 de ref.*, et D'Annibale *I, 403 not. 32.*

(2) Excludimus causam naturalem ordinariam veluti *temporis processum,* nam defectus qui hac ratione evanescunt nonnisi *improprie* irregularitates vocantur. Advertimus suo loco, Suarez irregularitatibus non tribuere requisitum ut sint *perpetuae* et ita arguit: (LI, 2, 3) « *Non esse de ratione irregularitatis ut absolute perpetua sit, sed solummodo ut durante causa eius semper insit, non tamen repugnat quod talis causa vel per alia remedia vel solo tractu temporis auferri possit.* » Nemo non videt, hac ratione comprehendi etiam irregularitates *improprias;* quia *propriae* nascuntur ex causa, suapte natura, *perpetua,* quamvis *extraordinario* modo haec adimi vel cessare possit.

poenitentia aut emendatione auferuntur, sed expostulatur decretum Rom. Pontificis qui legem relaxat, in universum, per *abrogationem* vel in casu particulari per *dispensationem*.

Abrogata lege quae irregularitatem inducit sive *ex def.* sive *ex delic.*, sive quoad omnes sive quoad aliquos tantum casus, auferuntur nedum irregularitates huius speciei *contrahendae* sed etiam *contractae;* siquidem non sunt propriae *poenae* quae primo et principaliter afficiant subiectum *in vindictam* criminis, sed sunt *quasi-inhabilitates*, seu impedimenta. Haec autem non amplius urgeri possunt, semel abolita lege, qua inducta sunt.

At singulare est in irregularitate *ex defectu natalium* ut haec *per ingressum in religionem* penitus tollatur seu relaxetur pro ordinibus suscipiendis *usque* ad *presbyteratum* inclusive. Schmalzg. *V, 37, 111.* Sed requiritur professio *solemnis*, nec sufficiunt *vota simplicia* quae hodie nuncupantur ante professionem *solemnem*. Ita edixit S. Congr. Super statu reg. *d. 20 Ian. 1860.*

204. Acris fuit inter veteres controversia an per baptismum tollerentur defectus et criminum maculae unde enascuntur irregularitates; et Augustinus contra Hieronymum disputavit: cf. *c. c. 1 et 2, dist. 26.* Hic autumabat defectus bigamiae per baptismum auferri. Praevaluit Augustini sententia asserentis solummodo peccata per baptismum deleri, non defectus naturales, quae doctrina ab Innocentio I recepta fuit in *can. 3, dist. 26*, inde principium, nempe *per baptismum ablui peccata ex quibus post baptismum enasceretur irregularitas, non vero tolli defectus causantes irregularitatem statim ac quis baptismali aqua ablutus fuerit.* Proinde homicidium ante baptismum patratum per baptismum ita abluitur ut irregularitatis causa cesset; sed defectus natalium, quippe non est peccatum ex parte filii, per baptismum auferri non potest, et hinc *post baptismum* in mare generat irregularitatem. - Nam improprium est loqui de irregularitate *ante* baptismum contracta; cum antea contrahi non pos-

sint nisi defectus postea in viro baptizato irregularitatem generantes. - Sed in *ipso suscipiendo* baptismo contrahi valet irregularitas; veluti cum quis adultus baptizatur ab haeretico, prouti infra explicabimus.

205. Rom. Pontifex utitur potestate dispensandi ex consulto aut alicuius S. Congregationis aut alicuius Officii Curiae et dispensationes expedire solet aut per *Breve* aut per simplex *rescriptum*, seu *memoriale*.

Cum irregularitas est publica, dispensare solet aut per Breve a Secretaria Brevium aut per Memoriale a Secretaria Memorialium expeditum aut per rescriptum S. Congregationis vel Concilii vel Episcoporum et Regularium vel SS. Rituum, praesertim cum adsit aliqua quaestio enodanda a respectivis Congregationibus circa existentiam et qualitatem irregularitatis. - S. Dataria dispensat quoad collationes beneficiorum. - SS. Congregationes vero de Propaganda Fide et a Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis dispensationes expediunt pro regionibus respective sibi subiectis et, prouti explicavimus (Cf. Vol. II, 113-216), valde latam habent competentiam. Verum Congregationes et Officia hactenus recensita dispensant si irregularitas non est occulta et non redoleat crimen haeresis, quippe de casibus occultis dispensationes impertitur S. Poenitentiaria (1), et de irregularitate ex haeresi cognoscit et dispensationem decernit S. Officium. - S. Congr. de Prop. Fide, per se, etiam in istos casus est competens, quamvis negotii expeditionem aut Poenitentiariae aut S. Officio, respective, remittere in more habeat.

Rescripta dispensationum edi solent in forma *commissoria* seu *mixta* at non semel etiam in forma *gratiosa*, sed ne actum agere videamur conferantur quae explicavimus, *V. II, n. 100.*

(1) S. Poenitentiaria dispensat super quacumque irregularitate et inhabilitate ex quocumque delicto etiam homicidio voluntario et ex quocumque defectu proveniente, in casibus tamen occultis et in foro conscientiae tantum. Cf. *V. II, 270.*

Supplices libelli si dentur ad S. Poenitentiariam exarari valent quocumque in idiomate (1); sed si ad alia dicasteria mittantur vel lingua latina vel italica vel gallica exprimi debent.

Quia una irregularitas dispensari valet, alia non relaxata, proinde in precibus explicari debent singulae irregularitates quibus aliquis forte detinetur. Sed revocanda sunt quae docuimus n. 201, nimirum irregularitates ex defectu, probabiliori opinione, non multiplicari etsi causa proxima eiusdem speciei irregularitatis pluries ponatur. Exinde si iudex vi sui officii plures homines capite damnavit, debet dicere, se ex officio plures sententias capitales edidisse, vel etiam sententiam capitalem tulisse. - Item quamvis non probaverimus sententiam quae negat per plures actus eiusdem delicti in eodem subiecto positos plures contrahi irregularitates *ex delicto*, tamen ista sententia est probabilis, hinc in libello sufficit exprimere speciem irregularitatis, exemp. c. se Missam celebrasse censura irretitum quin numerus determinetur Missarum celebratarum. In genere dispensatio non aufert irregularitates quas orator debuisset exprimere et non expressit, nisi Superior dicat: « se dispensare *ab omni vinculo irregularitatis* » aut alia formula significet huiusmodi propositum. Quod tamen, nisi expresse dicatur, non intelligitur comprehendere irregularitates *dolo* reticitas, aut gravissimum aliquem casum speciali mentione dignum, veluti homicidium voluntarium. Cf. D'Annibale *I, 407, not. 21.* Gasparri, *n. 213.* — Significari praeterea debet effectus in quem dirigi vult dispensatio, an nempe pro ordinibus minoribus aut maioribus suscipiendis, aut pro beneficio obtinendo. S. Alphons. *VII, 353.*

(1) Cf. Acta S. Sedis I, App. 6 *in fine*. Data occasione, nos recolemus iurisprudentiam S. C. Conc. in declarandis et dispensandis irregularitatibus. Equidem in supplici libello facti species nitide enucleari debet, at de quaestione iuris vel de iurisprudentia S. Congr. non oportet mentionem facere.

206. Episcopi ex potestate *ordinaria* (1) dispensare possunt per decretum Concil. Trid. *sess. 24, c. 6 De ref.* in irregularitatibus *ex delicto* occultis, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum. - In irregularitatibus *ex defectu* occultis vel *ex delicto* publico nihil potest Episcopus. Iuvat iterum referre verba conciliaria: « *Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare* ». In eodem textu dein subsequitur concessio potestatis *absolvendi* sed haec pertinet ad *casus* occultos *reservatos* et expostulat varias conditiones quae non afficiunt potestatem dispensandi. Cf. *supra n. 112*.

Advertatur ad intelligentiam textus:

1) nomine *Episcopi* comprehendi Episcopos privative ad alios omnes praelatos etiam Superiores, puta Archiepiscopos quoad subditos suffraganeorum, uti declaravit S. C. C., ceu refert Suarez, *XLI, 2, 7*, et Fagnanus, *in comm. cap. 15, De temp. ordin. n. 26.* — Quare Vicarius Generalis indiget speciali mandato.

2) Episcopus dispensat suum subditum, nempe clericum adscriptum suo clero si agitur de promovendo; neque sufficit *titulus familiaritatis*, uti decrevit S. C. C. *die 5 Feb. 1604*, apud Card. Petra *in Comm. Const. VIII, Greg. IX, « Etsi a Sacris » n. 45;* si agatúr de iam promoto dispensat Episcopus

(1) Equidem facultas Episcopis facta per Conc. Trid. pertinet ad ius commune. - Praeterea Episcopi *speciali* utuntur potestate in irregularitatem ex *defectu natalium*, in qua dispensant ad ordines minores et ad beneficia minora. De his specialibus facultatibus dicemus, agentes de singulis irregularitatibus, modo disserimus de potestate *in genere* quoad irreg. dispensandas. - Quoad iurisprudentiam S. Cong. Concil. cf. Hispalen. *25 Ian. 1726*; Vigilien. *23 Sept. 1673.* Richter edit. *Conc. Trid.* refert plures decisiones S. C. C.

domicilii; ex declaratione S. C. C, apud Garcias « *De beneficiis* » *p. XI, cap. X, n. 239;* cf. Gasparri, *op. cit. n. 219.*

3) Dispensandi facultas heic concessa prodest etiam pro foro externo quia in decreto Trid. ibi nulla fit limitatio, quae postea ponitur pro absolutionibus a casibus reservatis. Item S. C. C. apud Garcias *l. c.* et Suarez *l. c.*

4) Delictum vero debet esse occultum seu remotum a publica notitia. Hinc non est occultum quando in oppido vel in civitate populosa iis personis innotescit quae aut plures numero sunt aut propositum habent divulgandi factum quod exinde iam publicum dici valet.

Personarum vero magis quam numerus, indoles et propositum pensanda sunt. - Hoc criterio *relativo* arbitramur intelligendam responsionem a Fagnano relatam *l. c. n. 127 seq.* qua S. C. C. edixit, non esse *occultum* delictum patratum coram *duobos* vel *tribus testibus* quippe hi in iudicio rem probare valent. Revera hoc factum non est *absolute* occultum sed aestimari debet occultum, si hi duo vel tres testes factum neque divulgent neque divulgare aut alias probare intendant. Cf. *Act. S. Sedis XIV, pag. 155 seq.*

5) Factum ad forum contentiosum censetur deductum quando libellus *accusationis* iam a publico magistratu est susceptus et instauratur inquisitio criminalis sive per secretam inquisitionem sive per citationem editam in accusatum. Si hic eximatur ab impetitione per declarationem - non *esse locum* processui, - tunc factum uti occultum haberi potest, non secus ac antea. Cf. *supra n. 112, not. 1.* Ex responsione S. C. Concil. relata a Fagnano *l. c. n. 138 seq.* si iudex est incompetens, ex eius praeventione neque factum aestimatur deductum ad forum contentiosum, neque attenditur notorietas facti aut *infamia* facti, inde sequuta.

6) Praeterea factum debet esse publicum *qua est delictum, irregularitatis fons;* hinc quis *occulte* excommunicatus

publice celebrans Missam, irregularitatem incurrit a qua Episcopus potest dispensare. Sed e contra eam dispensare non valet quam incurrit *publice* excommunicatus *occulte* celebrans Missam; ita decrevit *S. C. C. die 9 Sept. 1582*, apud Fagnanum *in comm. ad cap. 4, « De cohabit. cler. et mul. » n. 106 sq.* Nimirum delictum debet esse occultum *formaliter.*

7) Quando et quomodo homicidium dicatur voluntarium videbimus suo loco.

8) At ex generalioribus iuris principiis ob tacitam supremi legislatoris voluntatem dispensare potest Episcopus in casibus dubiis uti supra advertimus: cf. D'Annibale (I, 406). Praeterea dispensat in casibus non dubiis quando dispensatio non differri posset sine periculo gravi aut scandalo. Imo nulla dispensatione opus esset si irregularitas sine incommodo gravi manifestari non posset, utputa irregularitas ex homicidio; nulla lex enim humana obligat cum huiusmodi incommodo.

9) Quaeritur, an in casu necessitatis dispensatus ab Episcopo, deinde onus habeat recurrendi ad Sanctam Sedem; et D'Annibale ita resolvit quaestionem *l. c. 406.* « Ad ordines suscipiendos (Episcopus dispensat) sic et simpliciter; ad exercendos ut reor, sub ea conditione, ut is qui irregularitate laborat, recurrat quamprimum ad S. Sedem ». Ratio differentiae est, quia irregularis, iam ordinatus, non indiget nisi ut interim effectus irregularitatis suspendatur, e contra *quoad promovendum* oportet radicitus impedimentum auferre quo ab ordinibus suscipiendis prohibetur; ius commune autem non censetur concedere nisi quod necessarium et minus est.

10) Quia Episcopus hac pollet potestate ordinaria, haec transmittitur *in Vicarium Capitularem* non in Vicarium generalem nisi ex speciali mandato aut in casu necessitatis, ex praesumpta voluntate, quando Episcopus adiri non possit: cf. Reif. *1, tit. 2, n. 474* et Fagnanus in cap. *Veniens n. 7, De filiis presbyterorum.*

207. Diximus Tridentinum indultum non comprehendere Superiores Regulares. - Sed ne horum subditi privarentur huiusmodi beneficio iuris communis, S. Pius V, Const. - *Romani Pontificis - diei 21 Iulii 1571* Praelatis Regularibus ordinum religiosorum cum *votis solemnibus* quoad *suos subditos* indulsit eamdem potestatem Episcopis factam a Trid. Concilio *loc. cit.* Imo concessum fuit Superioribus Regularibus ut possent *suos subditos* dispensare in irregularitate ex bigamia et ex homicidio, at in nonnullis tantum casibus ex indulto Sixti IV: cf. Const. Bened. XIII - *Pretiosus - 25 Maii 1725;* et Breve Leonis XII - *Plura inter - 11 Iulii 1826;* et responsionem S. Cong. Concil. in Brixin. *12 Dec. 1733.*

Praeterea *confessarii Regulares* ex privilegio Minimis indulto a Sixto IV et exinde extenso omnibus Regularibus, vi communicationis privilegiorum, dispensant poenitentes in omnibus irregularitatibus in quibus Episcopi dispensare valent suos subditos: cf. Gasparri, *229.* - « *At inferiores confessarii in irregularitatibus nihil possunt ne in iubilaeo quidem; nisi potestas eas dispensandi vel absolvendi ipsis mandata fuerit nominatim* » ita docet D'Annibale *I, 406.*

208. Quando aliquod exoriatur dubium quoad vim et extensionem dispensationis haec teneantur principia. — Per se, potestas dispensandi, generaliter (1) concessa est veluti *privilegium* praeter ius; quare *latam,* non tamen *extensivam* interpretationem recipit. Ipse vero actus dispensationis per se *strictam* recipit interpretationem, seu proprium *declarantem* sensum verborum, unde neque *restrictivam* neque *extensivam* admittit interpretationem sed *declarativam.* D'Annibale (I, 407). Hisce adhaerens principiis haec docet cl. Gasparri, *l. c. 214:* « Dispensatus ad *ordines minores* non poterit *sacris* initiari,

(1) Inquam *generaliter* concessa, nam pro singulo casu concessa aestimatur quasi actus dispensationis.

imo dispensatus ad *ordines*, si minores nondum habet nequit promoveri ad maiores, bene vero si minores habet; dispensatus ad subdiaconatum non poterit ulterius ascendere; dispensatus ad *usum susceptorum ordinum* nequit novum ordinem suscipere; dispensatus ad *beneficium obtinendum* nequit ordinem recipere cuius actus a beneficio non requiritur, sicuti nec praelaturam; dispensatus *ad ordinem* nequit beneficium obtinere actum illius ordinis non requirens, praesertim beneficium quod praelationem vel iurisdictionem habet adnexam. E contrario dispensatus *ad beneficium* potest ordinem recipere et exercere cuius actum beneficium requirit; dispensatus ad *ordinem recipiendum* potest eumdem ordinem exercere, obtinere beneficium quod requirit actum illius ordinis et recipere etiam ordinem inferiorem qui in illo continetur; sicuti dispensatus *ad usum ordinis* superioris potest et inferiores ordines exercere ». Cf. Suarez, *XLI, 3, 3* qui haec tradit et probat.

Dispensatio concessa pro foro interno non valet pro foro externo; sed Episcopus potest recipere attestationem de dispensata irregularitate in foro *interno* eamque habere uti dispensatam in foro *externo*, prouti explicavimus *n. 107*.

209. Demum dispensationem quod spectat, inquiri debet quomodo intelligendus sit textus *capitum 4 et ult. « De temp. ordinationum »* X (I, 11) *et 17. « De cohab. cleric. et mul. »* X, (III, 2) unde plures Doctores efformarunt regulam « *nulla crimina occulta, excepto homicidii crimine, irregularitatem parere atque impedire s. ordinis susceptionem* » uti refert Layman, *lib. 1, tract. V, cap. 4;* quod tamen principium est a veritate alienum quia a delicto occulto, in genere, dummodo externo et consummato, irregularitas enascitur; prouti evincitur ex Trid. *sess. 24, cap. 6 De ref.* Verum citata fragmenta se referunt ad crimina occulta quae non faciunt irregularem sed tamen plane indignum s. ordinationis; et pro disciplina tunc viginti Pontifices statuunt, huiusmodi occulte indignos seu criminosos

hortandos esse ut a sacris ordinibus abstineant, sed cogi non posse, exceptis clericis Regularibus ex *cap. 5, De temp. ord.* — Deinde Trid. Conc. in *sess. 14, De ref., c. 1,* statuit, ob huiusmodi crimina occulta clericos prohibendos esse *ex informata conscientia.* Quare tunc non habetur *irregularitas* sed vera *indignitas* a qua Ordinarius dispensare non potest. Improprie huiusmodi naturale impedimentum dictum fuit in nonnullis documentis pontificiis *irregularitas mentalis.* Cf. Schmalz., *L. V, tit. 37, n. 74.* Exinde *suspensio* ferri dicitur *ex informata conscientia*, at haec ratio procedendi est omnino *extraordinaria.*

210. Hisce in genere praestitutis, modo ad irregularitatum species descendemus, cum primis agentes de irregularitatibus ex delicto, quippe proprius nostro scopo respondeant; postea de illis ex defectu, tandem de irregularitatibus aliquando ex delicto, aliquando ex defectu provenientibus.

Ex delicto dumtaxat seu nunquam ex defectu provenit irregularitas quae vel ob iterationem baptismi vel ob vetitum ordinum exercitium incurritur. De hisce modo agemus.

CAPUT I.

DE SINGULIS IRREGULARITATIBUS EX DELICTO TANTUM PROVENIENTIBUS.

Huc refer. tit. 16, lib. I et 42 lib. III, et 9, 27, 28, 29, 30 lib. V-X et in Clem. tit. 15, lib. III.

Summarium. — 211. Quaenam irregularitates dicantur communiter a DD. provenire *ex delicto*. — 212. At ex his nonnullae aut *ex delicto* non provenire aut *ex delicto* tantum non provenire dicendae sunt.

211. Pragmatici hoc versiculo comprehenderunt delicta quae, ex iure, irregularitatem pariunt, nempe: « *Fonte reus. sacris, censura, crimine, leto* ». Reus *fonte* dicitur qui baptismum reiteravit. - *sacris*, *censura* reus fit qui aut ordinem exercet non susceptum aut ordinem exercet in loco nominatim interdicto, aut ordinem exercet censura prohibitum. - *Crimine* reus est irregularis, non ob quaecumque crimina sed ob certa crimina quae adnexam habent *infamiam iuris;* et haec sunt haeresis et apostasia; insecutio hostilis contra Cardinales vel in hoc cooperatio; duellum; bigamia aut trigamia unde quis duas vel tres *simul* uxores habet; damnatio ad triremes quoad illos qui de facto navigarunt et alia crimina quae a iure *infamia* notantur (1). - Demum *leto*, quod ad incurrendam irregularitatem, reus est qui aut homicidium aut mutilationem patrat. Revera DD. antiquiores, non tantum Maiolus sed etiam Suarez,

(1) Antiquiore disciplina ob ista crimina *post baptismum* patrata imponebatur publica poenitentia et publici poenitentes inter clericos adscribi non poterant, arg. *c. c. 60, 66, 68 dist. 50.* - Inde clericis, ob ista crimina non imponebantur *publicae* poenitentiae sed *privatae*, et postea aditus tantum patebat ad communionem *laicam*. Cf. Thomassinus, *l. c. P. II, lib. I, cap. 56 sq.* et Philipps, *l. c. t. I,* § *54.* Cum in desuetudinem abierit publica poenitentia ob delicta occulta, tantum delicta publica poenitentiae

Navarrus, Layman, S. Alphonsus, Tamburrini, Mazzotta inter irregularitates *ex delicto* eas comprehendunt quae illo versiculo continentur, iuxta communem doctrinam ita concinnato a Pragmaticis.

212. Verum progressu aetatum, inter canonistas, melius conceptus irregularitatis, quatenus in primis est impedimentum et quasi inhabilitas, distingui coepit a poenis proprie dictis et a censuris. Inde crimina quae ex iure adnexam habent *infamiam*, aestimata sunt parere irregularitatem non quasi poenam seu vindictam criminis, at magis ob ipsam infamiam seu ob defectum famae. - Hac de causa irregularitatem *ex infamia* nos etiam recensemus inter irregularitates ex defectu; et inibi explicatur quibus criminibus cohaereat haec infamia et hinc irregularitas. - Praeterea homicidium et mutilatio, aliquando delictum constituunt et irregularitatem secumferunt *ex delicto* ad instar poenae, at non semel ista facta sunt actus legitimi et iusti. Item bigami aut trigami qui duas aut tres habent uxores, non *simul* sed *successive*, sunt irregulares *ex defectu* ob bigamiam *veram* at postea inductae fuerunt etiam bigamia *interpretativa* et *similitudinaria* quae pro diversis casibus aut *ex delicto* aut *ex defectu* irregularitatem secumferunt. Quamobrem irregularitates exinde provenientes hoc proprium habent ut aliquando *ex delicto* aliquando *ex defectu* proveniant; et de his specialem instituimus tractationem.

Itaque *ex delicto* exclusive irregularis est qui *fonte*, *sacris*, *censura* reus est, iuxta significationem supra explicatam.

publicae subiicebantur et poenitentes arcebantur a s. ordinatione; arg. *c. c. 4 et 17 De temp. ord.* X (I, 11). Cum saeculo duodecimo ipsa *publica* poenitentia sensim abolita sit contrariis moribus, in publicis delictis considerata est *nota infamiae;* prouti explicat Bened. XIV *De syn. XI, c. 2, n. 17.* - Supra *n. 209* advertimus quoad crimina *occulta,* Trid. Concil. *sess. 14, c. 1 De ref.* facultatem fecisse Episcopis procedendi *ex informata conscientia.*

§ 1. *De irregularitate ex iteratione baptismatis eiusque receptione a ministro haeretico.*

Summarium. — 213. Ratio historica et origo huius irregularitatis. — 214. Hanc incurrunt rebaptizans, rebaptizatus et ministrans rebaptizanti. — 215. Baptismum debet esse *publicum*. — 216. De baptismo reiterato vel absque dolo vel sub conditione. — 217. An haec irregularitas prohibeat etiam susceptorum ordinum exercitium. — 218. De baptismo recepto a ministro haeretico. — 119. Est irreg. ex delicto.

213. Titulus *De sacramentis non iterandis, 16, lib. I, X*, prohibet in genere ne sacramenta characterem imprimentia, nempe baptismum, confirmatio, ordinatio reiterentur. At in libro V in quo expresse agitur de poenis titulus *nonus* inscribitur: *De apostatis et reiterantibus baptisma* et *in cap. 2, h. t.* decernitur irregularitas dumtaxat in baptisma reiterantes; quare non incurrunt reiterantes confirmationem aut ordinationem, quia nullibi in iure reperitur expressum. Schmalz., *h. t. n. 39;* Suarez. *XLII, 3, 6.*

Ecclesia irregularitate mulctavit baptismum non alia sacramenta reiterantes, ad compescendam haeresim in Africa grassantem, quae, ante damnationem, sanctos quoque viros habuit patronos, asserentes fidem in baptizante requiri, adeo ut baptizatus ab haeretico vere baptizatus dici non posset. - Revera canones *65, dist. 50; 3, dist. 98; 10 et 21, caus. 1, quaest. 7* irregularitatem decernunt in rebaptizatos ab haereticis; sed haec poenalis prohibitio, - *ita ab omnibus intellecta est et communi usu recepta*, - docet Suarez, *De Sacram. Baptismi, q. XXXI, art. 4, n. 18,* ut omnes tangat reiterantes baptismum. Et nemo sane audet in dubium vocare huiusmodi irregularitatem ita generaliter intellectam et usu receptam.

214. Ex *cit. cap. 2, tit. De apost.* Doctores communiter determinant vim et conditiones huius irregularitatis. Iamvero

receptum est usu et communi DD. doctrina, fieri irregulares *rebaptizatum*, *rebaptizantem* et eum qui *ministrat* rebaptizanti, non vero patrinos. Revera *caput. 2, cit.* non loquitur nisi de *ministrante* rebaptizanti; sed exinde per interpretationem *declarativam* prouti fit in *contentis* (cf. n. 75 sq.) Doctores communi suffragio induxerunt *a fortiori esse* irregularem *rebaptizantem* et planum est. *Rebaptizatum* vero esse irregularem etiam ex *citato capite* sed maxime ex *cit. canonibus* relatis in Decreto Gratiani evincitur. - Cf. Thesaurus, P. II, *v. baptisma c. 1;* Schmalzg., *h. t. 36;* Perhing. *h. t. nn. 13, 16 et 17*.

215. Baptismum debet esse *verum* et *perfectum* adeo ut nullo laboret defectu substantiali neque in *forma* neque in *materia*, neque ex *intentione* ministri, et praeterea *publice* reiteratum sit oportet; seu *publice* constare debet de *primo* baptismo administrato et de *secundo* reiterato. Quare ex *occulto* baptismo irregularitas non oritur. - At quaeritur an baptismus debeat esse *solemnis* ratione ritus, uti videtur interpretari D'Annibale, (I. 410) qui praeterea vult baptismum haberi *notorie* publicum, docens: « At vero publicum alii *notorium* accipiunt, alii *solemne:* ergo irregularitas non intelligitur nisi ex notorio utroque (idest dato et iterato); atque *hoc* praeterea solemni ». Revera verior videtur sententia illorum qui tenent, ex baptismo dumtaxat *publico* etsi non *notorio* oriri irregularitatem, sed stante dubio aliam sequimur sententiam. - Verum etiam in hac sententia *notorium* accipimus *relative* seu prouti expostulat subiecta materia, adeo ut reiteratio baptismi praeseferat *publicam* iniuriam primo baptismo, seu *actu* publicam. Nam in genere seu quoad praxim Poenitentiariae dicitur *publicum* quod etsi *actu* nondum devenit ad notitiam publicam sed mox deveniet ob voluntatem paucorum hominum qui rem cognoscunt: et hoc potest dici *publicum* sensu iuris, sed non sane *notorium*. At cl. Gasparri autumat sufficere baptismum esse *publicum*, *n. 325;* nihilominus versamur in dubio *iuris*.

216. Quia haec irregularitas *ex delicto* provenit, non incurritur absque *dolo;* et planum est. Quare si rebaptizatus sit infans vel rei plane ignarus etsi postea reiterationem laudet et ratam habeat, irregularitatem effugit; item si rebaptizans aut ministrans ignorent validum baptismum antea collatum (cf. supra n. 26-32).

Quamobrem rebaptizans et rebaptizatus, irregulares non fiunt, si, respective, actum ponant reiterationis *sub conditione* etsi dubium sit parum probabile, dummodo tamen conditio *serio* posita sit seu afficiat voluntatem reiterantium, quatenus noluit revera reiterare baptismum, quamvis forsan peccent ob temeritatem. Suarez, *XLII, 2, 1;* Sayrus, *VII, 8, 23.* - Benedictus XIV tam in *Inst. eccles. 84, n. 9 sq.*, tam *lib. 7, cap. 6, n. 3, De Syn.* disserens de casu quo parochus baptismum rursus conferat sub conditione, re nullimode explorata, sed tantummodo ea de causa quia baptismus collatus fuit ab obstetrice, et de baptismo taliter collato semper dubitare fas est, opinatur huiusmodi parochum fieri irregularem. Hoc confirmat *in Inst. Eccl. VIII* ex Catechismo Rom. *De effect. baptis. n. 57* et ex auctoritate Divi Caroli Borromaei. Et haec sententia est longe verior quia *cum nulla est suspicandi causa* baptismum iterum conferre etsi sub conditione continet gravem *iniuriam* in sacramentum et culpam *latam* quae aequiparatur dolo. - Attamen versamur in *dubio iuris.*

Quando vero dubium subest, vel non admodum grave et baptismus administratur *absolute* seu non sub conditione, aderit peccatum ob praetermissam conditionem sed irregularitas non incurritur. Cl. Gasparri, *n. 326.*

217. Cum in *cit. cap. 2 De apostatis*, nulla mentio fiat de impedimento ministrandi in ordinibus iam susceptis, nonnulli Doctores, quos inter et D'Annibale putant, irregularitatem ex iteratione baptismi non prohibere nisi promotionem ad ordines, non vero susceptorum exercitium, ea de ratione quia hoc non

est in textu legis sufficienter expressum. At principii est nimis rigida applicatio quando iam constat, ex natura irregularitatis, *per necessariam consequentiam* sequi impedimentum ab ordinibus iam susceptis; unde cum cl. Gasparri, *op. cit. V, I, 331* puto falsam esse hanc sententiam, nec practice tutam, quippe S. C. Conc. *in Murana, Irregularitatis, 14 Nov. 1716* quemdam sacerdotem temere rebaptizantem irregularem declaravit seu impeditum ab ordinibus ministrandis; nam propositis dubiis: « 1° An orator incurrerit irregularitatem ex iteratione baptismi; 2° An sit locus dispensationi in casu. S. C. reposuit ad 1um *Affirmative* ad 2um *Affirmative, peractis exerciliis spiritualibus* ». Cf. Giraldi *op. cit. P. I, Sect. 812.* - Sed ex modo quo concepta est responsio (cf. n. 188) non certe deducitur, inibi agi de *propria* irregularitate; quocirca magis insistimus in ratione intrinseca iuris.

Ex hac particulari quaestione liceat ascendere ad criterium generale circa intelligentiam principii in hac materia fundamentalis, scilicet *irregularitates non incurri nisi in iure sint expressae;* nam verba legis suboscura vel incerta ex praxi communi et communi sententia Doctorum fuerunt aliquando sufficienter declarata uti probat Reiff. *l. sop. cit.*, ita ut Sacra Trib. magis inhaeserint consuetudini legis *declarativae* et communi doctorum sententiae, quam litterae legis. Nam prohibetur interpretatio extensiva sed est necessaria interpretatio *declarativa* qua legis nimis indeterminatae exponitur sensus; ita argumentatur Suarez, *De Sacram. Bapt. disp. 31, sect. 5, num. 17.*

218. Denique irregularis est qui baptismum suscepit a *ministro haeretico* uti decrevit Felix III Rom. Pont. in epistola approbata a Conc. rom. et missa ad universos Episcopos (a. 487) relata partim *in can. 10, caus. 1, q. 7*, quae ita se habet: « *Qui in qualibet aetate alibi quam in Ecclesia catholica aut baptizati aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam*

prorsus non permittantur accedere, quibus satis esse debeat quod in catholicorum numero sunt recepti ». - Uti clare significant verba - *alibi quam in Eccles. cathol.*, - receptio baptismi a ministro haeretico constituit crimen *ob vetitam communicationem cum haereticis in divinis*. - Nam in suscipiendo baptismo ea habetur communicatio in divinis quae ex parte baptizati redolet favorem in haeresim et hinc quamdam suspicionem de haeresi; unde non attenditur an haereticus sit excommunicatus *vitandus* aut *toleratus*, an baptismi administratio sit *occulta* aut *publica, solemnis* aut *privata*. - Sed excusat gravis necessitas, maxime si agatur de haeretico tolerato cum deficit minister catholicus. Cf. Bened. XIV, *De syn. VI, c. 5, n. 2;* et Thesaurus, *P. II, v. Baptism. c. 5.*

119. Quocirca res est de irregularitate *ex delicto* et quamvis canon statuat, istam incurri *in qualibet aetate*, tamen intelligi debet in *qualibet* aetate *doli capace;* quare Cong. Concil. in una Romana *die 21 Maii 1718* (apud Ricther, *edit. Conc. Trid. Sess. 23, c. 4 De ref.*) rescripsit, baptizatum ab haereticis in aetate duorum annorum irregularitatem non incurrisse. - Sed impuberes *doli capaces* verius dicendi sunt irregulares fieri, sed versamur *in dubio iuris;* cf. supra n. 199 et Gasparri *n. 476*. Proinde etiam *bona fides* seu ignorantia *iuris* aut *facti* excusat, sed haec non praesumitur, nempe in foro externo. Cf. supra n. 200 et D'Annibale (I, 433).

§ 2. *De irregularitate ex vetito ordinum exercitio.*

Summarium. — 220. Triplici ex capite contrahitur haec irregularitas — 221. Ex *primo* capite irregularitatem incurrit *clericus* ministrans in ordine non suscepto. — 222. An incurratur irregularitas si ordo exerceatur vel ex *ioco* vel ex *simulatione*. — 223. Explicantur casus potiores quibus incurritur irregularitas. — 224. Ex *secundo* capite fiunt irregulares clerici qui violant suspensionem *ab ordine;* nec non excommunicationem et interdictum. — 225. An irregularitas

sequatur sive suspensio sit *censura* sive suspensio sit *poena.* — 226. Quando suspensio est simplex *prohibitio,* certe ex eius violatione non oritur irregularitas. — 227. Non fit irregularis qui ordinem exercet in eius *susceptione.* — 228. Clericus qui actum ponit etiam laicis competentem veluti baptismum privatum, vel actum iurisdictionis, non fit irregularis. — 229. Haec irregularitas prohibet et a susceptis et a suscipiendis ordinibus. — 230. Ex *tertio* capite fit irregularis clericus qui celebrat in loco nominatim interdicto. — 231. At huiusmodi irregularitates quae incurruntur ex vetito ordinum exercitio sedulo distinguendae sunt a *suspensionibus* in iure latis adversus male *ordinatos.*

220. Modo dicendum est, de alia specie irregularitatis provenientis ex *vetito ordinum exercitio:* quam irregularitatem incurrunt

1) exercentes ordinem non susceptum, ex *tit. 28, lib. V, X, De clerico non ordinato ministrante;*

2) ordinem iam susceptum sed censura impeditum exercentes, ex *tit. 27, lib. V, X, De clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante;*

3) celebrantes in loco nominatim interdicto, ex *cap. 18, § 1, De sent. ex. in 6.*

221. Ex 1° *capite* incurrit irregularitatem:

1) clericus, ministrans in ordine non suscepto. Inquam - clericus; nam *laicus* hac lege non tenetur. Cl. Santi in commentario *cit. tit. 28* opinatur, ex *cap. 1, h. t.* etiam laicos incurrere irregularitatem. Sed non bene, quia rubrica tituli nimis clara est et determinat limites prohibitionis dum cavet expresse: « *De clerico non ordinato ministrante* ». Equidem obstat, in veteribus codicibus *Corporis iuris* legi: *De non ordinato ministrante.* Verum quidquid sit, sufficiat innuere, nos versari *in dubio iuris,* quocirca exulat irregularitas quoad laicos. Cf. D'Annibale, *I 411, not. 23.*

2) Clericus fit irregularis exercens ordinem *non suum,* nimirum si exerceat *solemniter* seu ita exerceat quomodo non

habens illum ordinem exercere non potest. - Siquidem clericus non subdiaconus si cantet epistolam sine *manipolo*, aut clericus non diaconus evangelium *sine stola* non fit irregularis. Praeterea debet ordo exerceri ex *temeraria praesumptione*, adeo ut excuset ignorantia *crassa* et *supina*. Quaeritur an excuset *affectata?* Hanc excusare opinatur cl. Gasparri, *n. 336*, advertens in textibus legis compesci, *propter temeritatem*, *usurpare praesumentes;* sed nos suo loco *n. 32*, § *4*, iuxta communiorem sententiam probavimus, exinde excusare dumtaxat ignorantiam *crassam* et *supinam*.

222. Praeterea, quid iuris, si quis in ponendis s. ordinis actibus non habeat intentionem peragendi quod facit Ecclesia? Et hoc fieri potest quum minister sive *ex ioco* agat, sive ex *simulatione*. - Quando huiusmodi actus sit *iocosus* et scenicus, sane in eo grave est piaculum, sed irregularitati non est locus, quippe neque specie tenus sacer ordo exercetur. - Gravior quaestio est *in simulatione*. Cum primis, in nonnullis actibus qui in esse suo perfecti sunt ex institutione Ecclesiae absque intentione agentis, proinde intentio nihil mutat. Illius generis sunt nonnullae caeremoniae, veluti canere evangelium *cum stola* pertinet diacono, ita ut subdiaconus hoc sibi usurpans exerceat *actum non suum*, eiusque intentio nihil mutare valeat. - E contra alii actus constant ex parte coeremoniali quasi *accessorie* sed *principaliter* ex certo fine cui destinantur, quem finem intendere debet minister; ita se habent absolutio sacramentalis, confirmatio, s. ordinatio. - Cl. Gasparri, *n. 337*, adhaeret sententiae Suaresii autumantis simulantem non effugere irregularitatem quia, uti docet Suarez, *XLII, 4, 18:* « ... haec lex solum intendit punire sacrilegium quod committitur in usurpatione ministerii alicuius ordinis; ad quam usurpationem sufficit voluntas faciendi exterius ministerium, licet fiat sine intentione conficiendi sacramentum quae moraliter impossibilis est sine errore. « Haec sane est gravis ratio quae tamen non movit D'Annibale qui in *nota 29,* (I, 411),

ita expedit quaestionem ». « *Et in his quae ex intentione agentis statum capiunt, effugit irregularitatem, v. c. si a peccatis absolvat; in aliis non item, ut ecce si baptizet solemniter, non propter baptismum (hic enim non valet) sed propter coeremonias baptismi* ». Et haec sententia videtur verior quia actui criminoso nihil deesse debet, ut, suapte natura, sit certus actus in se perfectus (cf. supra n. 19), et maxime quia non video quomodo *simulatio* concilietur cum *temeraria praesumptione* exercendi ordinem sacrum (cf. n. 221). Quare in hac sententia incurritur irregularitas si solemnes exerceantur coeremoniae quae comitantur s. ordinationem, confirmationem; hae enim, in esse suo, non pendent ab intentione agentis, sed irregularitatem effugit clericus non sacerdos qui audet confessiones excipere sed absque intentione ponendi actum sacramentalem. - Ceterum versamur in dubio iuris.

223. Quamobrem ad instar principii sit, ex hoc capite irregularitatem incurrere clericos qui ordinem quem non habent praesumant exercere, prouti exercent ministri in eo ordine constituti. Proinde (1):

1) Sacerdos qui in Ecclesia latina audet confirmationem administrare absque privilegio Rom. Pont., aut sacra olea conficere, altaria consecrare certe fit irregularis. An clericus qui impertitur benedictiones proprias sacerdotum fiat irregularis controvertitur: cf. Giraldi, *Exp. Iur. Pont. I, Sect. 865.*

2) Fit irregularis diaconus administrans extremam unctionem, non vero eucharistiam in casu necessitatis. Diaconus eucharistiam administrans etiam extra casum extremae necessitatis non fit irregularis, quamvis nulla adsit necessitas; quia in isto casu illicite sane, sed tamen actum exercet suae pote-

(1) In hisce violationibus datur parvitas materiae, et irregularitas expostulat gravem culpam, unde clericus non diaconus qui agens hebdomadarium in choro dicat *Dominus vobiscum* partes usurpat non sui ordinis et forte peccabit sed non fit irregularis.

statis. Suarez, *XI, 3, 24.* - Alii clerici inferiores in *casu extremae necessitatis* valent eucharistiam administrare; at praeter hunc casum clerici eucharistiam administrantes fiunt irregulares; neque Episcopus potest ipsis hoc ministerium mandare. Gasparri, *l. c. n. 341.* - Quia antiquiori Ecclesiae disciplina etiam laici domi asservabant eucharistiam docent Theologi, ita D'Annibale, (III, 395), Lehmkuhl, (II, 134), ab Episcopo hodie etiam, in gravi necessitate, veluti tempore pestis, permitti posse laico ut aliis vel sibi ministret suis manibus eucharistiam. In Collectanea S. C. de P. F. sub *n. 728* huiusmodi facultas in quodam rescripto *diei 10 Aug. 1841 ad 3*, adiudicata fuit Vicario Apostolico Tunkini occidentalis (1).

3) Item Episcopus est irregularis conferendo ordinem quem non habet, quia conferendo ordinem exercet.

4) Sacerdos qui ordinem nulliter collatum exercet irregularitatem incurrit, quam effugit si in ordine conferendo tantum omissae fuerunt coeremoniae caute supplendae.

5) Benedictus XIV renovans Praedecessorum constitutiones in Const. « *Sacerdos in aeternum* » et in alia « *Divinarum* » gravissimas decrevit poenas contra clericos in ordine non suscepto ministrantes.

6) Nihilominus haec irregularitas non afficit ordines susceptos quos exercere potest: cf. Reiff. *h. t. n. 2*, Schmal. *h. t. n. 4.*

7) E contra diaconus baptizans *sine delegatione* parochi

(1) Hoc proposito dubio sub *n. 3:* An permitti possit in hoc persecutionis tempore ut fidei confessores ad mortem propter fidem damnati et quibus in carcere defertur SS. Eucharistiae sacramentum occulte possint illud suis manibus accipere et sese occulte communicare, ne sacerdos illos more ordinario communicans a persecutoribus agnoscatur et prehendatur, vel satiusne sit in illo casu ab illis confessoribus communicandis abstinere, maximo cum illorum animae detrimento? rescriptum fuit *ad n. 3.* « *Affirmative quoad primam partem, dummodo nulli irriverentiae aut conculcationis periculo tantum sacramentum exponatur* ».

extra casum necessitatis non incurrit irregularitatem, nec sacerdos sine approbatione Episcopi audiens confessiones, nec parochus suspensus matrimonio assistens. Nam neutra in hypothesi clericus ordinem exercet quem non habet, sed illicite exercet, aut actum s. ordinis, aut actum iurisdictionis, aut utrumque. Cf. D'Annibale *n. 411, not. 23.*

224. Ex 2° *capite* fiunt irregulares clerici exercentes ordines dum sunt *censura* innodati; arg. *c. c. 10 De cleric. excom.* X (V, 27) *et 18, 20, De sent. ex.* (V, 11) *et 1, De sent. èt re iud.* (II, 14) *in 6* (1). - Quare non incurrit irregularitatem qui ordinem exerceat non susceptum aut non reservatum clericis, veluti *ordines minores* (2). Unde quia in Ecclesia occidentali clericus non pollet potestate *confirmationem* ministrandi absque privilegio Rom. Pont., si nihilo secius *confirmationem* ministret, ex altero capite, non ex hoc fit irregularis. Quod attinet ad actus *iocose* vel *simulate* positos recolantur quae diximus supra n. 222. Item in hac re datur parvitas materiae, unde Episcopus suspensus *ab ordine* non fit irregularis si populo benedicat ei genuflectenti in via. Siquidem expostulatur ut ordinis sacri exercitium sit graviter prohibitum. - Unde non incurritur irregularitas si ordines sacri exerceantur vel ex necessitate, utputa ad evitandam infamiam, vel a suspenso *tolerato* ad petitionem aliorum. - Lehmkuhl, (I, 1009).

Quid iuris si censura dubia est et clericus hac irretitus celebret? Si censura *certe* lata est at dubitatur an iusta et valida sit, clericus ordines ita prohitos exercens fit irregularis.

(1) Haec irregularitas videtur sensim inoluisse *receptis moribus;* nam in Decretalibus Gregorii IX *expresse* non constituitur; et in *Sexto* invocatur et explicatur veluti iam constituta et communiter recepta.

(2) Attamen *ordines minores* - si *solemniter* - exerceantur seu ex *suo officio* a clericis censura innodatis, pariunt irregularitatem; ita intelligendus est Fagnanus *in comm ad cap. 2 h. t.* ubi *n. 17* hoc probat per declarationem S. Poenitentiariae *20 Decemb. 1650.* Idem probat Const.

Schmalzgrueber V, 27 *n. 36 sq.*, et Reiffenst. *eod. tit. n. 15,* cf. *supra n. 87.* - Si censura est dubia quoad *factum* seu an lata sit, irregularitatem non incurrit clericus qui nihilominus celebret dummodo prorsus *negativum* seu spernendum non sit dubium. Schmalzgrueber, *loc. cit.* Cf. supra n. 201, ubi de *dubia* irregularitate.

225. Sed gravior quaestio est an incurrat irregularitatem clericus exercens ordinem prohibitum ex *censura impropria*, veluti ex suspensione ad certum tempus, unde quaeritur an irregularitati sit locus sive violetur *censura* sive *poena* ordinum exercitium prohibens. Cl. Gasparri conflictus opinionum ita describit, *l. c. n. 358.* « Nonnulli negant, quia irregularitas legitur in iure statuta tantum pro violatione censurae. Alii affirmant ex citatis iuribus. Tandem alii cum S. Alphonso, *l. VII, n. 314*, distinguunt: nempe affirmant si suspensio infligitur per modum statuti aut praecepti ob crimen futurum, uti in citatis iuribus, vel etiam praeteritum sed habens tractum successivum; negant si suspensio fertur ab homine per sententiam ob meram punitionem criminis omnino praeteriti. Alteram, (nempe *affirmantium*) putamus unice veram esse. Nam in primis qui violat suspensionem in ipsum latam ab Episcopo *ex informata conscientia* ob crimen praeteritum, irregularem evadere, non obstante appellatione, tradit S. C. C. in *Sagonen. 21 Iunii 1625*, quam Benedictus XIV, *De Synod. XII, 8, n. 5* refert etc. » Inter Auctores autumantes irregularitatem oriri tantum ex violata censura, non poena, recensendus D'Annibale, (I, 386) aiens: « Mihi prior sententia videtur verior; nisi suspensio lata fuerit a Rom. Pontifice (cui datum est derogare regulis iuris cano-

Bened. XIV - *Inter praeteritas* - *3 Dec. 1749*, § *48 sq.* - Sed *hodie* quia etiam *laicis*, permittitur exercitium *ordinum minorum*, hi nunquam videntur exerceri aut forsan exerceri non posse a clericis *solemniter*. Cf. De Angelis *h. t. p. 309.* Santi *h. t. n. 3.* Ita *practice* videtur resolvi quaestio quam agitant citati DD.

nici); et hac expressa lege ut is qui illam violat, irregularitati obnoxius fiat ». Idem docet Lehmkuhl (I, 902-1009). - Quocirca versamur in dubio iuris. - Sed praestat distincte cognoscere in quo consistat opinionum lucta, ut secernantur certa ab incertis.

Expressa lex est incurri irregularitatem, 1) ob violatam suspensionem-poenam in *cap. 1, De sent. excom. in 6*, ubi iudex non servans debitum procedendi modum in ferendis censuris suspenditur ad mensem et declaratur irregularis si suspensionem violet.

2) In *cap. 1, De sent. et re iud. in 6*, statuitur suspensio *ad annum* in iudicem eccles. male iudicantem, qui praeterea declaratur irregularis si hanc suspensionem violet.

3) Item non videtur ambigendum ob violatam suspensionem *ex informata conscientia,* etsi in certum tempus, inflictam et hinc veluti poenam, incurri irregularitatem, quia S. Cong. C. ita pluries respondit, prouti notat Bened. XIV *loc. cit.;* item in Lucionen. *8 Aprilis 1848;* et in Inst. S. Cong. de Prop. Fid. *20 Oct. 1884* (de suspensione ex informata conscientia) *art. 11* decernitur: « *Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus in altari ministrare seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in irregularitatem* ».

4) Item violatio suspensionum *l. s.* quae continentur in Const. - *Apost. Sedis* - etsi latae ad annum, ad triennum, secumfert irregularitatem. Equidem hae suspensiones *pro censuris* habendae sunt. Cf. Suarez (XXIV, 2-4), Lehmkuhl, *l. c. n. 4*, et supra *n. 154, not. 1.*

Isti videntur casus recensendi sub expressa legis voluntate, quamobrem violatio *suspensionis-poenae* parit irregularitatem. - Porro praeter hos casus versamur *in dubio iuris* adeo ut locus non fiat irregularati, cum fàs non sit de uno casu ad alium extendere legem poenalem. - Quocirca non possumus adhaerere

sententiae cl. Gasparri autumantis *l. c.* « Exinde absque ulla cunctatione deducimus fieri irregularem clericum *depositum* aut *degradatum* qui nihilominus sacros ordines exercere praesumit. *Atque haec omnia adeo clara esse videntur ut non leviter dubitemus de aliarum opinionum probabilitate* » (1). Sed non dicerem carere probabilitate sententiam S. Alphonsi quae videtur melius respondere canonum intentioni, quando asserit ex violatione suspensionis latae ob crimen *praeteritum* non incurri irregularitatem; (cf. *n. 86*, § *4*), quaeque a D'Annibale, *loc. cit.* quoad hanc partem dicitur *verissima prorsus.*

226. Denique quia suspensio aliquando non est *censura* neque *poena* sed simplex *prohibitio* quaeritur an ex violatione huius suspensionis incurratur irregularitas. Et communiter DD. uti videre est apud Suarez (XXVIII, 4, 5), opinantur exinde irregularitatem non incurri, quia haec nullimode in iure expressa reperitur.

Verum DD. qui autumant. induci irregularitatem ex violatione cuiuslibet suspensionis hoc maxime inferunt, quia ex violata suspensione *ex informata conscientia* incurritur irregularitas et quia in *cit. capitibus* in genere cavetur de violata *suspensionis poena.* Sed istae rationes non videntur efficaces quippe decisiones S. C. particularem respicunt casum, et neminem latet, suspensionem ex *informata conscientia* latam, posse proprie censuram esse quando nempe monitiones praemissae sint. Ipsa temporis praefixio ad magis deterrendum comminata, quando aliunde in animo superioris propositum insit *absolvendi* suspensum si resipiscat, non aegre conciliari potest cum censurae indole. Unde in casu quem indicavit S. C. C. praesertim non relatis omnibus rerum adiunctis non facile est coniicere, an de censura vel de poena proprie dicta ageretur.

(1) Ceterum in *cap. 10, De cleric. excom.* expresse declaratur immunis ab irregularitate qui *celebrat* MINORE *excommunicatione ligatus.*

Praeterea nihil probant in *cap. 1, De sent. excom. in 6*, verba adnotata a cl. Gasparri, *l. c.* « *poenam suspensionis* » cuius violatores decernuntur irregulares; quum idem caput incipiat iis verbis « Cum medicinalis sit excommunicatio... » et constituto poenae medicinalis processu, in medio huius decreti praescribatur « Et haec eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari ».

227. Non censetur ordinem ministrare qui eumdem suscipit; tunc enim dicitur *ordinari* non ordinem exercere; prouti tradit. Bened. XIV, *De Synod. XII, 3, 7.* - Episcopus vero suspensus *a collatione ordinum* non fit irregularis conferendo primam tonsuram quae in odiosis non dicitur ordo; at irregularitatem incurreret si suspensus fuisset ab *ordine pontificali.* Quid iuris si suspensus ab *usu pontificalium* his uteretur utputa in conferendo aliquo ordine vel prima tonsura? Gasparri, *367*, opinatur Episcopum incurrere irregularitatem etsi sine insignibus pontificalibus ordines exerceat quia, prohibito *usu pontificalium*, intelliguntur prohibiti actus qui *pontificalia insignia* expostulant. Sed contra sentit Sayrus (IV, 16, 25), et D'Annibale (I, 381) qui docent ex violata suspensione *ab usu pontificalium* non incurri irregularitatem. Cf. supra n. 160. Equidem suspensio *ab usu pontificalium* non ad se trahit alteram, seu suspensionem ab *ordine pontificali.*

228. Quia clericus non fit irregularis dum ea exercet quae etiam a laicis poni possunt, vel administrat potestatem iurisdictionis, proinde non fit irregularis baptismum *privatim* conferens, prouti *laici* quoque conferre possunt; aspergens aquâ benedicta, res domestico usui addictas aut etiam cadaver, more laicorum, absolvens a censuris aut censuras ferens absque ulla solemnitate et absque insignibus ordinis sacerdotalis; item assistens matrimonio, sed quin tamen impertiat benedictionem nuptialem; et ita porro. Cf. Gasparri, *n. 361* qui haec refert ad tradita a Pirhing, *XXVII, n. 36;* cf. Reiffenst. *eod. tit. n. 6.*

229. Haec irregularitas prohibet, et susceptos ordines exercere et ulteriores ordines suscipere; hoc enim fert natura irregularitatis propriae, nisi expresse contrarium caveatur.

230. Ex 3° *capite* incurrit irregularitatem:

1) qui celebrat in *loco* nominatim interdicto;

2) clericus *personaliter* interdictus; arg. *c. c. 18, 20, De sent. excom. in 6* (V, 11).

Irregularitatem autem non incurrit 1) qui adsistit alii celebranti, quia hoc non cavetur in *cap. 18, § 1, De sent. ex. in 6;* cf. D'Annibale I, 411 *not. 26;*

2) item clericus *generaliter* interdictus ordines exercens aut clericus non interdictus qui sacra administrat personis interdictis non fit irregularis, prouti docuimus supra n. 151.

3) Clerici ex hoc capite irregulares et a susceptis ordinibus ministrandis et a superioribus suscipiendis prohibentur.

231. Quia non facile est distinguere irregularitatem a suspensionibus; ab iis suspensionibus praesertim contractis in ipsa ordinum susceptione, mirum non est plures DD. finxisse irregularitates quae revera aut simplices poenae sunt aut supensiones.

1) In titulo 13, *De ordinatis ab Episcopo qui Episcopatui renunciavit, lib. 1, X*, adversus clericos sacris ordinibus initiatos ab Episcopo qui sedi et dignitati renunciavit, decernitur non irregularitas, sed suspensio: non secus ac ex *cap. 2, eiusdem tit. X*, in ordinatos ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto non irregularitas, sed suspensio irrogata est.

2) Nec non in titulo 29, libri V, *De Clerico per saltum promoto*, et in 30 Tit. eiusd. libri, *De eo qui furtive ordinem suscepit,* non statuuntur irregularitates sed suspensiones in clericos hac ratione male ordinatos. Dicitur vero, *per saltum*, promotus clericus qui ordinem superiorem suscipit, inferiore adhuc non suscepto, quae collatio ordinis, quamvis suspensione perculsa, est valida, si excipias ordinem Episcopatus non praemisso presbyteratu; saltem consecratio est dubia. Cf. Gasparri,

n. 22 sq. - ***Furtive*** autem dicitur ordinatus qui sine examine, vel reiectus ab ordinario vel ab eo non vocatus, in ordines se intrusit. In iisdem titulis et sparsim in aliis capitulis suspensio infligitur etiam in Episcopum ordinantem. Sed, uti planum est, abrogatae sunt suspensiones huiusmodi *latae sententiae*, quae non continentur in Const. *Apost. Sedis* inter « *Suspensiones l. s. R. P. reservatae* ».

Caput II.

DE SINGULIS IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU PROVENIENTIBUS.

Huc ref. tit. 17 et 20, lib. I, et tit. 6, lib. III, X.

Summarium. — 232. Causa proxima harum irregularitatum est *dumtaxat* defectus, quamvis hic oriatur ex delicto. — 233. Singulae irregularitates quae sub isto capite recensentur. — 234. At hae miscendae non sunt irregularitatibus *impropriis.*

232. Irregularitates de quibus modo dicemus a ceteris distinguuntur ratione causae *efficientis proximae,* utpote quae non ratione *delicti* sed ratione *defectus* - dumtaxat - constitutae sunt. Quod sedulo adverti debet; siquidem defectus huiusmodi fere semper a *delicto* originem habent patrato vel ab ipso irregulari vel ab alio, sed nihilo secius irregularitas est ex *defectu;* seu non est ad *instar poenae,* et incurritur nobis insciis, non excusatur ab ignorantia, a metu, ab errore, neque ab Episcopo dispensatur, etsi occulta, neque baptismo deletur.

Porro non est alienum a notione irregularitatis, eamdem irregularitatem, veluti ex homicidio provenientem, aliquando ex *defectu,* aliquando ex *delicto* provenire. Etenim tum ex homicidio *iusto,* utputa commisso in iusto bello aut ob irrogatam poenam capitalem, tum ex homicidio *iniusto* oritur irregularitas sed in uno alterove casu diversa est ratio *efficiens proxima* irregularitatis, prouti mox explicabimus.

233. Quae ex defectu *dumtaxat* proveniunt, attingunt vel statum personarum iuridicum, et istae ex illegitimitate natalium, ex infamia, ex servitute proveniunt; vel corpus attingunt et oriuntur ex deformitate corporis, ex impotentia alicuius membri; vel animum attingunt, et repetuntur ex defectu sanae rationis ob aliquam *causam habitualem,* ex defectu fidei in neophitis, et in iis qui baptismum in mortem distulerunt.

234. Verum irregularitas non intelligitur nisi in iure sit expressa; quare huiusmodi defectus non constituunt irregularitatem quotiescumque non ius positivum, sed ipsum ius naturale aut divinum, ob talem defectum, prohibent ab ordinibus aut suscipiendis, aut exercendis. - Attamen apud Canonistas antiquiores, veluti Maiolum, huiusmodi defectus, ut ecce defectus scientiae, aetatis, recensentur inter irregularitates; sed revera dicendae sunt irregularitates *impropriae*, quasi inidoneitates aut inhabilitates. - Incipiamus ab illegitimitate natalium.

§ 1. *De irregularitate ex defectu natalium.*

Summarium. — 235. Origo et ratio huius irregularitatis. — 236. Stante legitimo coniugio viget praesumptio iuris « *Is pater est quem iustae nuptiae demonstrant* ». — 237. Possidet contraria praesumptio si parentes promovendi habeantur uti non legitime copulati. — 238. Etiam *expositi* praesumuntur legitimi sed stante aliquo dubio dispensatur *ad cautelam*. - Ceterum mos viget laudabilis ut a promovendis omnibus exigatur attestatio legitimorum natalium. — 239. Quis nascitur legitimus dummodo nuptiae *iustae* consistere possent saltem tempore nativitatis. — 240. Quibus modis tollatur haec irregularitas. — 241. De legitimatione per *subsequens matrimonium*. — 242. An *subsequens matrimonium* initum praevia dispensatione secumferat legitimationem filiorum. — 243. De dispensatione ab hac irregularitate per *rescriptum* Principis. — 244. De dispensatione concessa a Summo Pontifice. — 245. De potestate dispensandi Episcoporum, vi iuris communis. Limites huius potestatis quoad s. ordines et quoad beneficia duplicia, et alia ex tabulis fundationis expostulantia legitimitatem natalium. — 246. Aliae limitationes quoad filios presbyterorum legitimos aut illegitimos. — 247. Utrum Episcopus valeat dispensare in hac irregularitate quasi ex *delicto occulto*, quando occultus est defectus natalium. — 248. Nomine Episcopi veniunt etiam Praelati non insigniti charactere episcopali sed episcopali iurisdictione pollentes. — 249. De legitimatione per *ingressum* in *Religionem*.

235. Haec irregularitas decernitur in Tit. 17, lib. I, X, « *De filiis presbyterorum ordinandis vel non* ». Iure Decre-

talium non est antiquior haec irregularitas. Gratianus enim in suo Decreto ad *can, 1, dist. 56*, commentatus legem Urbani II nimirum: « *Presbyterorum filios a sacris altaris ministeriis removemus* » scribit: « *Sed hoc intelligendum est de illis qui paternae incontinentiae imitatores fuerint. Verum si morum honestas eos commendabiles fecerit exemplis et auctoritatibus, non solum sacerdotes, sed etiam summi sacerdotes fieri possunt* ». Antea si quae viguit irregularitas ex defectu natalium, potius ex servili conditione parentum quam ex illegitima nativitate proficiscebatur, arg. *can. 21, dist. 54.* Ratio inducendae irregularitatis fuit dignitas et honor ordinis sacerdotalis, occasio autem historica fuit concubinatus clericorum quorum sacrilegi filii severioribus legibus a servitio altaris repellendi erant. At opera iurisprudentiae, de qua non obscure mentionem facit Inn. III, in *cap. 20, De elect., X,* (I, 6) praesertim ob laicorum valde corruptos mores, qui filios spurios curabant ordini clericali adscribere, (cf. Thomasinum, *De vet. et nov. discip., p. II, l. I, c. 81*), irregularitas extensa fuit ad omnes illegitimos seu ad filios naturales, sacrilegos, incestuosos, adulterinos (1); unde in *Sexto* Bonifacii VIII rubrica Tituli ita generaliter concipitur: « *De filiis presbyterorum et aliis illegitime natis* » (2).

(1) Ex cap. 10, *De renunc., X,* (I, 9) illegitimi distinguuntur in *nothos* ex adultera, in *manzeres* ex prostituta, in *naturales* ex concubina, et generali vocabulo in *spurios* stupro, incestu, sacrilegio, aliave nefaria coniunctione susceptos.

(2) Canon antiquior qui cavet de filiis illegitimis non ordinandis, est canon *Apostolica 12, dist. 56,* in Decreto, editus ab Alex. II (a. 1601-1073) quam disciplinam pressius inculcant in *c. c. 13, 14, dist. 56,* Gregorius VII et Urbanus II, eamdemque solemniter in ius commune invexit Gregorius IX, referens in suis Decretalibus *sub cap. 1, h. t.* canonem concil. Pictaviensis a. 1078 quo in Concilio sedit Legatus Gregorii VII. Iste canon illegitimis prohibet *sacros ordines,* sed lex observata est etiam quoad *minores ordines,* vi irregularitatis inde constitutae. Cf. Philipps, *l. c.* § *52,* et Bened. XIV, *De syn.* XIII, 24, 12.

236. Irregularitas quae natura sua pertinet ad forum externum, non producit suum effectum in foro externo nisi *iuridice* de eadem constet; scilicet factum unde irregularitas provenit, non potest praesumi sed legitimis probationibus evinci debet. Quamobrem ad repellendum aliquem ab altari, quippe irregularem ob defectum natalium, utpote ortum ex quocumque damnato coitu, non sufficit invocare publicam famam, suspicionem, ipsam parentum confessionem, quia constante matrimonio viget illa iuris praesumptio. « *Is pater est quem iustae nuptiae demonstrant* » ex *l. 5, ff. De in ius voc.*, et quoad parentum confessionem, valet principium, ex *leg. 5, C. De serv. pign. dato.* « *Nemo meretur fidem allegans turpitudinem suam* ». Lugo, *De iust.* (XIII, 26). Proinde constare debet *medio aliquo iuridico* de natalium defectu, et, in universum, possidet integritas *status* moralis et iuridici cuiuscumque civis, donec clare defectus aut delictum in probatis extiterit, ad irregularitatis impedimentum comprobandum. Hanc doctrinam solemniter confirmavit S. C. Conc. in Syracusana, *27 Iun. 1857* (2). Agebatur de dispensatione ab hac irregularitate ab eo expetita qui iuxta libros parochiales et libros census civilis apparebat legitime natus; sed a parentibus et a publica fama adulterinus dicebatur; et S. C. respondit: « *non indigere* » nempe dispensatione.

Quamobrem filius natus constante legitimo matrimonio praesumitur legitimus quamvis publica fama et alterutrius coniugis, vel utriusque confessio aliud contendat, unde non obstat irregularitas, donec iuridice ista evincatur. Utputa si constet virum impotentia laborasse, aut per diuturnum tempus abfuisse, vel filium editum fuisse 300 dies post mariti mortem, haec et alia huius generis talia sunt documenta quibus in aperto collocatur

(2) Cf. *Acta S. Sedis, I*, p. 350 et *Causae Selectae in Cong. Concil. propositae per Summaria precum* - Lingen. et Reuss. - Ratisbonae, p. 97 sq.

factum illegitimitatis natalium et hinc irregularitas: cf. D'Annibale, I, 49-50.

237. E contra habetur quis uti illegitimus et hinc irregularis seu melius, irregularitatem patitur, etsi irregularis revera non sit, ille qui natus est ex parentibus legitime unitis quorum tamen unio publico documento condemnatur adeo ut parentes vel censeantur soluti, vel non legitimo inter se copulati coniugio. Item habentur illegitimi qui nascuntur ex *sacrilego coitu* seu a parentibus aliunde legitime copulatis sed postquam, servatis iuris praescriptionibus, vel unus vel uterque parens, matrimonio tamen iam consummato, Religionem cum votis solemnibus sit ingressus aut maritus in Ecclesia *occidentali sacris ordinibus* sit initiatus; ex *c. c. 1, n. 14 « De filiis presbyterorum non ordinandis » X* (I, 17) *et 6, De cleric. coniug. X* (III, 3). Cf. Schmalzgrueberg, *IV, Qui filii sint legitimi, n. 35.*

238. Sed quid iuris *de expositis?* Quia facta praesumuntur recte facta donec contrarium constet, quisque natus praesumitur legitime natus donec contrarium probetur. Nimirum quaestio est tantum de *expositis*, quos *legitimos* esse indubie non constat. Hac de causa quum adest circa *expositos* aliqua illegitimitatis suspicio, fit inquisitio et dubium tollitur per parentum confessiones aliaque huiusmodi testimonia. - Tamen praxis est heic in Urbe et in quacumque bene ordinata dioecesi, ut nemo admittatur ad ordines sine testimonialibus de legitimitate natalium et expositi vel repellantur vel *ad cautelam* cum eisdem dispensetur, uti factum fuit a S. C. C. in Sulmonensi, *22 Februarii 1710.* Et hoc conforme est principio iam explicato, nempe satius esse cum ordinandis *dubie* illegitimis, dispensare *ad cautelam*, (cf. supra n. 201). - Ordinati etsi aliquod exoriatur dubium in tuta suae libertatis possessione versari possunt; cf. Santi, *h. t. n. 4.* Quod si irregularitas detegatur post ordines susceptos, haec prohibet eorumdem exercitium. Cf. Suarez,

L. 43. Honorante *Praxis Vicariatus Urbis*, p. 19. D'Annibale I, 412 bis, et Gasparri, *l. c. 236.*

239. Sortitur vero quis natalium legitimitatem dummodo nuptiae iustae constiterint *tempore nativitatis.* - Bened. XIV in epist. « *Redditae sunt nobis* » § *3*, ait quaeri inter DD. an requiratur etiam conceptio in iustis nuptiis sequuta. Quia controversia adhuc sub iudice est, favore prolis sufficit nuptias fuisse *iustas* tempore nativitatis; iuxta *l. 11*, § *et multo magis, C. De natural. lib.* « In quaestionibus in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis, sed partus tempus inspicitur ».

240. Haec irregularitas dispensatur:

1) per subsequens matrimonium;

2) per rescriptum superioris competentis, quo vel inducitur absoluta legitimatio, vel aliquis tantum dispensatur effectus irregularitatis, eodem permanente irregularitatis impedimento;

3) per ingressum in Religionem approbatam cum votis solemnibus.

241. Per subsequens matrimonium tollitur illegitimitas natalium dummodo tamen inter parentes tempore *conceptionis*, vel *gestationis* vel saltem *nativitatis filii*, matrimonium consistere potuerit. Talis enim legitimatio procedit ex fictione iuridica, unde effectus secuti matrimonii retrotrahitur ad tempus conceptionis vel gestationis vel filii nativitatis; quocirca censetur in valido matrimonio genita ac proinde legitima. At haec fictio non est possibilis si nullo in tempore a conceptione ad nativitatem validum consistere potuisset matrimonium ob aliquod intercedens dirimens impedimentum; ex *cap. 1 et 6, Qui filii sunt legitimi, X*, (IV, 17).

242. Quaeritur an parentes qui naturales filios iam susceperunt ex incestuoso coitu, matrimonium dein rite contrahentes ex dispensatione habita super impedimento dirimente, prolem, ante legitimam unionem, susceptam reddant legitimam, vi ipsius

dispensationis. - Controversia haec agitata fuit, *per summaria precum,* apud C. Conc. in Neocastren. et Cathacen. *Dispensationis et Aggregationis;* in qua agebatur de legitimando *ad cautelam* filio suscepto ex incestuoso concubitu parentum qui postea obtenta impedimenti consanguinitatis dispensatione matrimonium iniverant. Dubitabatur enim an hoc subsequens matrimonium vim haberet legitimandi filium incestuosum; nempe dubium erat an S. Sedes dispensans in impedimento intenderet, quasi in radice, sanare illegitimam unionem, retroacto effectu dispensationis ad momentum nativitatis filii. Verum inter Doctores duplex est sententia, altera nempe affirmans, altera negans, filium incestuosum per subsequens matrimonium legitima dispensatione initum, etiam absque speciali legitimationis rescripto, legitimum evadere. - S. C. nolens definitive dirimere quaestionem, respondit sub *die 7 Augusti 1847: « Esse consulendum SSmo pro dispensatione ad cautelam et habilitatione oratoris ad ordines suscipiendos usque ad presbyteratum inclusive etc.... ».* At pro praxi, ad omnes amputandas dubietates utque filiorum legitiminationi prospectum sit, in rescriptis matrimonialium dispensationum clausula apponi solet: « Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam legitimam nuntiando ». Proinde, hac clausula non apposita sufficienter non patet de intentione Pontificis dispensandi; et quia dispensatio non potest praesumi sed debet probari, deberet, saltem ad cautelam, peti dispensatio ab hac irregularitate. Hoc clare videtur deduci ex citata S. C. C. decisione.

243. Revera secundus modus auferendi natalium defectus est *dispensatio* a legitimo Superiore concessa, in certum casum, *per rescriptum.* Quae dispensatio in effectibus iuridicis caute distinguenda est *a legitimatione per subsequens matrimonium*, quamvis et haec sit species dispensationis sed est *a iure* per modum legis; alia est *ab homine* potius per modum singularis concessionis. Quocirca limites et effectus huius *pecu-*

liaris dispensationis repetendi sunt a tenore rescripti; unde eiusmodi rescriptum *dispensationis* aut *legitimationis* differt a *legitimatione* per *subsequens matrimonium.*

1) Nam subsequens matrimonium tollit radicitus natalium illegitimitatem, adeo ut taliter legitimatus non amplius habeatur uti illegitime natus; dum e contra per dispensationem, nisi expresse aliud decernatur, remanet illegitimitas et irregularitas cuius effectus tantum tolluntur seu dispensantur aut ad aliquem ordinem vel ad omnes ordines suscipiendos aut ad officium vel gradum assequendum. Quapropter dispensatio huiusmodi est stricte interpretanda et de uno casu ad alium non potest extendi; ceu disponit Bonif. VIII, *in cap. 1, h. t. in 6,* aiens in corpore secundae paragraphi..... « quam (dispensationem) exorbitantem a iure oportet veluti odiosam restringi ».

2) Ast innui - *nisi expresse aliud decernatur*, nam in aprico est, Summum Pontificem posse dispensando auferre quamcumque irregularitatis labem non secus ac per subsequens matrimonium, et hoc per rescriptum *legitimationis.* Et princeps civilis si concedat dispensationem vel absolutam legitimationem, non concedit, nisi quoad effectus civiles, minime vero ad effectus spirituales et ecclesiasticos; et planum est. In propositum cf. Schmalzgrueber (IV, 17), *n. 92 sq.* et *n. 112, 113,* ubi distinguit et probat effectus *civiles et ecclesiasticos dispensationis et legitimationis.*

3) Verum, legitimatum *per subsequens matrimonium* aut per *legitimationem* a Summo Principe concessam, non potest, sine speciali Sedis Adostolicae dispensatione, promoveri ad beneficia vel dignitates pro quibus ex iure aut ex conditione, apposita in limine fundationis, requiritur natalium legitimitas. - Re sane vera, prouti explorati iuris est, pios fundatores posse beneficiis, capellaniis aliisque iuribus capessendis adiicere conditionem legitimorum natalium ex parte clerici investiendi, vel promovendi, exinde sequitur, huiusmodi voluntatem ipsi Epi-

scopo religiose custodiendam esse. - Ius commune, praeterea, statuit nonnullos casus, quibus requiritur legitimitas natalium, nempe pro promovendis ad Cardinalatum, ex Sixti V Const. « *Postquam* » *diei 3 Decemb. 1586*, nec non ad Episcopatum ex *cap. 7, De elect.* Item in *sess. 23, cap. 18, De ref.* decernitur, in Seminarium admitti debere *legitimo ex matrimonio* natos. Unde Papa solummodo in huiusmodi casibus dispensare potest, quo efficitur ut dispensatio, ex Papae expressa voluntate aliquando natalium defectus auferat latius quam ipsa legitimitas per subsequens matrimonium.

4) In litteris dispensationis solet apponi clausula « *dummodo paternae incontinentiae imitator non sit* » cuius vi Episcopus executor debet inquirere in mores dispensandi, ex decreto S. C. C. *23 Dec. 1596*, sequentis tenoris: « Clausulae illi: *Dummodo paternae incontinentiae imitator non sit*, in litteris dispensationis appositae non aliter per Episcopum satisfieri, quam inquirendo quod nihil bonis moribus indignum compererit; quod si *integro decennio* dispensandus probe vixit debere exequi litteras dispensationis, quamvis prius incontinentiae nomine suspectus esset; sed in casu debere Episcopum accuratius inquirere ad diluendam prioris vitae suspicionem ». Ben. XIV *De Syn. dioec. lib 13, c. 24, n, 22.*

244. Summus Pontifex, quia ut palam est, potestate pollet dispensandi ab omnibus effectibus irregularitatis, quippe ex iure positivo dimanant, hoc sane perficit quando sufficienter exprimit suam voluntatem. De stylo Curiae quaedam in forma Rescripti dispensationis servari solent: ita additur clausula « *Dummodo paternae incontinentiae imitator non existat* » et alia servantur de sueto stylo. Item graviores expostulantur dispensandi causae quo gravior est illegitimitatis casus; exinde adhiberi solet clausula *nisi orator sit adulterinus.* Attamen dispensatio generaliter concessa intelligitur valere pro *quacumque* illegitimitate, vel naturali, vel incestuosa, vel sacrilega, vel adulterina. Quare

vera non est nonnullorum assertio, S. Sedem solitam nunquam fuisse dispensationem indulgere filio *adulterino*, vel *sacrilego*. Sane S. Congr. Conc. in Gratianopolitana *diei 19 Ian. 1884* dispensationem concessit illegitimo *adulterino*, et in *una diei 9 Sept. 1882* illegitimo *sacrilego* ita dispensationem indulsit: « *Pro gratia dispensationis et habilitationis ad suscipiendos sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive; ita tamen ut si commode fieri possit orator post ordinationem transferatur in aliquam dioecesis partem in qua defectus penitus ignoretur* ». Quare in supplici libello satius est exprimere speciem illegitimitatis natalium, an nempe orator sit filius naturalis aut adulterinus aut incestuosus. Verum si haec omittatur expressio, dispensatio inde concessa valet; stylus enim curiae est, nonnullas adiicere clausulas quae satis determinant dispensationis vim pro casibus gravioribus; quaeque occurrunt validitati actus quando facta non sit mentio speciei infimae illegitimitatis. Cf. Corradus, *Praxis dispens.*, (III, 1), et Suarez, *L. 5, 10.*

245. Episcopus ex cap. *De filiis presb. in 6* potest dispensare *ad ordines minores et ad beneficium cui cura non imminet animarum*. Gregorius IX, in *cap. ult. De filiis presb.* excipit a potestate Episcopi non solum beneficia curata sed etiam *dignitates* et *personatus*.

Quaeritur an possit Episcopus dispensare pro canonicatibus Ecclesiae cathedralis, quando nec beneficia curata nec dignitates sunt nec personatus neque adnexum habeant ordinem sacrum. Nam Trid. Concilium in *sess. 24, cap. 7, De ref.* decrevit ut canonicatui Ecclesiae cathedralis aliquis ordo sacer adnecteretur. Quid iuris si in aliqua cathedrali hoc decretum executioni demandatum non sit? Nonnulli autumant, posse Episcopum tunc dispensare uti refert et opinatur Gasparri, *op. cit. 244, not. 4*, at fere communiter negant Doctores quia in genere nomine beneficii non curati seu simplicis non veniunt dignitates, personatus, et canonicatus Ecclesiae cath., arg. *cap. 22,*

De elect. in 6. - Multo magis post decretum Conc. Trid. quo aucta est horum canonicatuum dignitas propter adnexum s. ordinem. Quum vero ordo sacer iisdem canonicatibus adnecti debeat si adhuc adnexus non sit, sequitur ut haec beneficia possidens, debeat esse aptus ad sacros ordines suscipiendos; et est verior sententia. Cf. Santi, *h. t. n. 9.* Ex dictis eruitur, absque dubio, posse Episcopos dispensare promovendos ad canonicatus Eccl. collegiatae.

Quoad hanc Episcopi potestatem demum advertatur, limitationem fieri *in c. 1, h. t. in 6*, ubi decernitur: « dummodo *beneficium* sit tale super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari ». Qua in prohibitione attenditur *qualitas* beneficii, quare Episcopus dispensare non potest:

a) si agatur de beneficio immediate possesso a genitore illius qui dispensationem postulat; ex *c. c. 10 et 11 h. t. X;*

b) si beneficio ex lege fundationis, ex privilegio vel ex consuetudine conditio inhaereat ut clericus beneficiarius sacris ordinibus sit initiatus; *cap. 6, De const. X* (I, 2).

246. At magnopere severior est ecclesiastica disciplina, hac de re, quoad filios presbyterorum *illegitimos*. Nam *legitimos* arcet a beneficiis a parente possessis, quia huiusmodi successio, haereditatis iura redoleret; prouti declarat Concil. Trid. in *sess. 25, c. 7, De ref.* Sed excipiuntur filii legitimati per subsequens matrimonium. Cf. Fagnanum ad cap. *Ad extirpandas, h. t. n. 33.* - Filii *illegitimi* severiore lege arcentur ne foede dehonestaretur ordo clericalis. - Quamobrem de filio presbyteri vel diaconi et subdiaconi *illegitimo*, nempe vel sacrilege progenito post susceptos ordines sacros *in Ecclesia latina*, vel antea illegitime nato, in Trid. Conc. *sess. 25, c. 15 De ref.* decernitur:

a) filios *illegitimos* presbyterorum, non solum, nec *immediate* nec *mediate* succedere posse in beneficia a genitore possessa, sed praeterea in Ecclesiis in quibus patres habent vel

habuerunt beneficium, nullum, quamtumvis dissimile, beneficium obtinere posse;

b) imo non posse in iisdem Ecclesiis ministrare neque in aliis dependentibus ab Ecclesia, in qua pater Rector fuit (1);

c) nec recipere olim a patre beneficium possessum nec super iisdem aliquam pensionem obtinere.

d) Quia clerici quoque non sacris ordinibus initiati beneficia possidere possunt, hinc S. C. C. declaravit horum filios *illegitimos* hisce prohibitionibus teneri, non secus ac filios presbyterorum *illegitimos*. Conf. Garcia, *De benef.*, *p. 7*, *c. 3, n. 15* et Fagnanum, *in comm. ad cap. cit. h. t. n. 34*, et Bened. XIV, *De Syn.*, *lib. XIII, n. 24*. Quae proinde beneficia etsi simplicia obtinere isti non possunt nisi dispenset Summus Pontifex.

247. Quaerunt DD. an si occulta sit illegitimitas natalium possit Episcopus dispensare vi facultatis Conc. Trid. *sess. 24*, *cap. 6*, *De ref.* quasi sit irregularitas proveniens *ex delicto*, nempe parentum. At revera haud probabilis videtur haec interpretatio, quia causa proxima irregularitatis est delictum quando ipse irregularis est delicti patrator; causa enim proxima irregularitatis inveniri debet in ipso subiecto irregularitatis; e contra in filio illegitimo causa proxima irregularitatis est defectus sive inhonestas natalium. Cf. Giraldi, *Expos. iuris pont. I*, *Sect. 128.* Nihilominus ipse D'Annibale, *l. c. 412 bis*, *not. 7*, propter auctoritatem Doctorum contrarium opinantium, haec habet: « Nihilominus aequum puto cum Laym. Episcopum dispensare posse

(1) Nihilominus proposito dubio « an quum pater fuisset in quadam Eccles. capellanus ad nutum amovibilis, possit filius illius illegitimus in eadem Eccles. capellaniam ad nutum amovibilem obtinere » S. C. censuit, oratorem non prohiberi per decretum Conc. *Sess. 25*, *cap. 15 De ref.* quominus tanquam capellanus ad nutum amovibilis possit inservire eidem Ecclesiae. - Calagurit., 1585. - Item S. C. censuit *nepotem legitimum ex filio illegitimo* non comprehendi decreto *c. 15*, *sess. 25*. - Richter *Edit. Conc. Trid.*, p. 465.

ad ordines exercendos eum qui bona fide eos suscepit; et si ad eos suscipiendos dispensaverit, propter probabilitatem prioris sententiae, non sunt inquietandi ». Hoc constituitur ob principium reflexum; siquidem attenta opinionis probabilitate, iurisdictio in Episcopo, etsi revera deesset, suppleretur, prouti in ceteris casibus dubiis (1).

248. Nomine Episcopi veniunt etiam Abbates aliique Praelati iurisdictione quasi Episcopali pollentes; arg. *c. 1, h. t. in 6*, cum Glossa, *ibi;* et hinc Capitulum Cathedrale et Vicarius Capitularis; quippe istud ius pertinet ad ordinariam dioecesis administrationem. At Vicarius Generalis non potest dispensare vi mandati generalis.

Verum non uno nomine quis sortitur Episcopum proprium S. Ordinationis, nempe ex quadruplici titulo, et hinc quaeritur quinam Episcopus cum ordinando vel cum iam ordinato dispensare valeat. In primis certum est, posse dispensare cum *ordinandis* tantum Episcopum, cuius dioecesi hi sunt adscripti seu *incardinati;* cum iam *promotis* vero Episcopum dioecesis, in qua hi domicilium habent, vel quasi domicilium. Gasparri, *l. c. nn. 219, 245.* Quare Episcopus *originis* vel *familiaritatis* non potest dispensare *pro ordinandis,* ut Card. Petra, *in Comm. Const. VIII.* Greg. IX, « *Etsi a Sacris* » *T. IV, n. 45* refert, S. C. C. resolvisse *die 5 Febr. 1604.* « *Illegitimus nequit dispensari ad ordines minores ab Episcopo ratione familiaritatis triennalis* ». Nam in genere ius ordinandi non continet ius dispensandi, neque ab uno iure ad aliud potest inferri, unde ad dispensandum requiritur, ex parte promovendi, erga ordinan-

(1) Ex *indulto Apostolico* maiores facultates obtinent Episcopi, praesertim quoad loca missionum. Cf. *Collectanea de P. F. n. 1176*, et *Collec. Lacensis III, col. 963.* – Item Praelati Regulares gaudent ea facultate ipsis per *indulta* concessa. Cf. *Decreta S. Cong. super statu regularium, d. 20 Ian. 1860;* nec non Const. Pauli III, *Licet debitum* a. 1549 et Leonis XII, *Inter plura* a. 1826.

tem, ea subiectio quae iure communi constituitur ratione domicilii, nisi aliud caveatur expresse.

249. Demum per *professionem religiosam* in ordine approbato emissam *per vota solemnia* tollitur irregularitas quoad ordines sacros suscipiendos usque ad presbyteratum, episcopatu et praelaturis ipsius ordinis religiosi exclusis. - Vota simplicia non talem operantur effectum etsi emittantur, ex hodierna disciplina, peracto novitiatu ab his qui solemniter profiteri cupiunt, in Religionibus approbatis cum votis *solemnibus*, uti declaravit S. C. Super sta. reg. - *die 20 Ian. 1860.* - Exceptio, regulam firmans contrariam, facta fuit pro voto simplici in Societate Iesu ex Greg. IX, Const. « *Ascendente Domino* ».

Ex Const. Greg. XIV, « *Circumspecta filia* » illegitimus recipi non potest in ordine religioso in quo pater eius adhuc vivit. Professio vero religiosa revera tollit irregularitatem; unde qui discedit ab ordine religioso censetur, etiam extra claustrum perpetuo vivens a quocumque vinculo irregularitatis solutus. - Irregularis autem absque dispensatione ordinatus, qui *ingrediatur Religionem*, potest statim in receptis ordinibus ministrare et altiores usque ad presbyteratum suscipere. - Proinde exclusio ab Episcopatu et a Praelaturis est simplex *prohibitio*, non irregularitas.

§ 2. *De irregularitate ex infamia.*

Summarium. — 250. Bona fama et infamia versantur veluti quoad suam materiam, in existimatione hominum. — 251. Infamia, quatenus est etiam merum *factum*, secumfert effectum iuridicum incapacitatis ad munia publica. — 252. Sed haec infamia non est irregularitas. — 253. Haec constituta fuit per infamiam iuris, quippe haec constituit quamdam *moralem publicam* reprobationem. — 254. Hodiernae leges respuunt *infamiam iuris*, utpote nunquam distinctam ab *infamia facti*. At hanc iubere hodie leges civiles se impares esse fatentur; sed iure merito eamdem tuentur leges ecclesiasticae. — 255. Irregularitas

enascitur ex *infamia iuris* ob effectum iuridicum inhabilitatis. — 256. *Infamia iuris* distinguenda est a *poena infamanti*. — 257. Infamia *iuris* est f. s. aut l. s. Quando est l. s. incurritur *ipso facto*, etsi *occulto* quoad effectum nempe inhabilitatis et hinc irregularitatis. — 258. Quando incurratur infamia *iuris* seu quibusnam ex delictis. — 259. Inde quaesitum fuit an ista irregularitas sit ex *delicto* vel *ex defectu*. — 260. Quia dubium est an *ex delicto* occulto irregularitas oriatur, Episcopus dispensat *ad cautelam*. — 261. De *infamia facti*; quando haec incurratur. — 262. Quomodo tollatur.

250. Infamia, uti ipsum vocabulum sonat, significat bonae famae privationem; et fama quae pertinet ad statum personarum (1), a Calistrato in *l. 5, § 1, ff. De extraord. cognit*, recte definitur « *Illaesae dignitatis status legibus et moribus comprobatus* ». Unde deducitur, infamiam importare huius status laesionem vel diminutionem. At iste status dignitatis prouti hic consideratur, nimirum legibus et moribus comprobatus, est ipsi homini *extrinsecus*, quatenus consistit in aestimatione hominum. Sane *fama* dicitur et est *bona hominum existimatio*, *et infamia est mala hominum existimatio*, quo sensu Ulpianus, *in l. 2, § 2, ff. De his qui notantur infamia*, docet, infamiam, *existimationem laedere*. Quod sedulo adverti debet. Suapte enim naturâ crimina subsequitur infamia; non enim potest bene audire criminum patrator, et hoc consistit in *facto* quo continetur sanctio quasi naturalis cuiuscumque criminis.

251. Verum infamia etiam qua est factum naturale, inditum morali actionum imputationi, secumfert *iuridicum* effectum statui personarum *intrinsecum*, nimirum diminuit naturalem capacitatem ad munia publica, scilicet facit naturaliter *indignum*, quam *indignitatem* leges positivae aeque recognoscunt. Quo-

(1) Hinc poena infamiae, ait Thesaurus, (I, 33 fin.) « *non potest immediate imponi a statuto superioris non habentis ius supremi Principis neque induci consequenter ex genere poenae ab ipso statutae* ». Cf. sup. n. 162.

circa cum Bartolo a Card. D'Annibale, (I, 121), infamia describitur: « *Laesae dignitatis status legibus et moribus reprobatus* »; atque in *l. 2, C. De dignitatibus* decernitur: « *Neque famosis et notatis et quos scelus aut vitae turpitudo inquinat et quos infamia ab honestorum coetu segregat, dignitatis portae patebunt* ». Haec est vox iuris naturalis expressa etiam in iure positivo, ne naturale ius pessumdetur. In iure can. inde concepta *regula iuris 87 in 6.* « *Infamibus portae non pateant dignitatum* ».

252. Equidem infamia ita considerata, est naturale factum et hinc solet dici *infamia facti;* at non potest considerari uti irregularitas, quippe a iure positivo repetenda est; nulla enim irregularitas nisi in iure expressa. - Proinde necessarium est *factum* infamiae, eo modo penitus tolli quo ingeritur; nempe non expostulat *dispensationem* sed aufertur per alia *facta* quae hominum proborum existimationem ei conciliant quum resarcit per bonos actus malos antea patratos. Haec natura, et hi sunt effectus *infamiae facti*. - Ista infamia a Suarez dicitur infamia *vulgaris* seu *popularis*.

253. At ius civile romanorum et canonicum constituerunt etiam *infamiam iuris* pro gravioribus criminibus. Siquidem ius positivum *iuris infamiam* decrevit, quasi ut moderaretur mores populi aperte docens quid in honore, quid in reprobatione apud populos esse debeat. Itaque infamia iuris est publica reprobatio quae *a lege iubetur*. Etenim non raro fit, populorum mores non sufficienter exprimere in aliquod crimen detestationem; aut illud detestari quod probrosum et indecorum non est. Quocirca huius infamiae duplex est effectus (1), alter *moralis* ad moderandam

(1) Cf. Carrara, *op. cit.* § *683*. Vide Thomasium, *Diss. 127, v. IV, An poenae viventium eos infamantes sint absurdae et abrogandae.* - Mortui condemnabantur infamia per inscriptionem in columna infami. - Cf. Van Senus, *De infamia.* Traiecti ad Rhenum 1828. Heppe, *De la note d'infamie*

publicam aestimationem in reprobandis criminibus; alter *iuridicus* ad arcendum infamem a publicis muneribus.

254. Verum, hac praecise de ratione, hodiernae leges passim respuunt et coarguunt *infamiae poenam*, quasi inutilem et incivilem quia civium opinioni non possunt imponi legales civium reprehensiones. Porro in civitate hodiernis legibus constituta ubi publica hominum opinio adeo praevalet ut publicarum rerum moderatores constituantur et destituantur ab ipsis civibus, sane *infamia iuris* est poena effectu vacua; quippe infamiae poena reapse non habetur si quod legibus reprehenditur moribus non aeque reprobatur; habebitur quaedam inhabilitas a lege constituta, sed moribus condemnata. Unde non probamus, cl. Gasparri, *l. c. n. 285*, aliorumque sententiam, qui in Calistrati definitione reperiunt notionem *infamiae iuris* qua fit mentio *reprobationis legum*, et *infamiae facti* qua fit mentio *morum populi*. - Infamia sive *facti* sive *iuris* utrumque exquirit, nempe reprobationem legum et morum. Nam quando ius infamiam infligit, se convertit ad cives et iubet moribus reprobari qui infamia a iure notantur; ex adverso quando populus seu publica existimatio aliquem uti infamem detestatur, veluti expostulat ut eumdem leges plectant sua reprobatione, removentes a publicis muneribus; unde ipsa *infamia facti* secumfert effectus iuridicos.

Nihilominus dumtaxat *infamia iuris* est vera irregularitas quia continetur decreto legis de se perpetuo, quodque dispensatione tantum aufertur, dum *infamia facti* naturale praestat impedimentum quod simplici deletur poenitentia.

Verum auctoritas ecclesiastica divinitus collata, non humanitus constituta, cuius est omnes homines docere divina praecepta et eos coarguere qui contradicunt, sedulo vigilando ne mores

en droit romaine, Paris, 1862; Pacheco, *El codigo penal commentado, v. I*; Bonneville, *L'Amélioration de la loi criminelle*, Paris, 1855; Mittermaier, *Delle pene infamanti.*

christianorum a veritate aberrent, ad praecavendos infestos et non infrequentes publicae existimationis errores *dicentes bonum malum* et *malum bonum*, iure merito conservat et tuetur *infamiae iuris* poenam (1).

255. Alter effectus *infamiae iuris* est *iuridicus;* scilicet excludendi infamem ob constitutam irregularitatem a sacris muneribus et iuribus ad quae habilis fieri non valet nisi per *dispensationem.*

256. Poena infamiae distinguenda est a poenis *infamantibus* quia in primo casu infamia consideratur uti poena per se stans; in altero casu infamia est consecutivum ad poenam. Talis est omnis poena *corporalis*, uti damnatio ad opus publicum,

(1) Profundissime de hac irregularitate disserit Suarez, *De cens. Disp. XLVIII.* - Huius sententiam non bene refert D'Annibale, (I, 430), *not. 3.* - In primis non verum est, Suaresium hanc irregularitatem expresse censere inter irregularitates ex delicto; nam *in prol.* ait, his illam *maxime affinem esse.* Deinde distinguit infamiam legalem seu *iuris* et infamiam popularem seu *facti.* Sed fatetur infamiam versari semper circa *factum* malae existimationis; ita profunde examinans requisita infamiae *Sect. I, n. 15:* « In infamia distinguenda esse duo vel tria; scilicet substantiam famae quae est quasi materiale in ipsa et consistit in publica notitia vel opinione et moralitas seu legalitas infamiae quae est veluti formale. Quoad primum ergo constat non auferri ipso facto per legem, quamdiu occultum est delictum. Oportet autem in hac ipsa substantia famae duo alia distinguere scilicet actualem possessionem eius et dominium illius ». Unde concludit, poenam infamiae iuris *latae sent.* incurri etiam crimine occulto et poenam secumferre effectus iuridicos, quamvis *per accidens,* non secumferat publicam notitiam. Attamen per se infamia legalis expostulat *factum* infamiae, imo huc spectat. Quare infamia *iuris tantum* aut *facti tantum,* et infamia *iuris et facti* quam recolit cl. Gasparri *n. 285,* mihi videtur aliena a genuino conceptu infamiae et a doctrina Suaresii, qui disserit *l. c. n. 11 sq.* « *De infamia legali facti* ». Attamen quaestio an poena infamiae *a iure l. sent.* incurratur ipso facto absque sententia *declaratoria* quaestio est, cuius resolutio non pendet a speciali conceptu infamiae, sed a conceptu poenae in genere.

carcer, exilium; item, de iure canonico, depositio, degradatio, et antiquitus publica poenitentia. Cf. Thesaurus, (I, 33 *fin.*). Unde rectissime Schmalzg., *tit. 37, V, n. 166,* ait incurri infamiam vel ipso iure, vel ex sententia iudicis, vel ex genere poenae.

257. Quatenus est poena per se stans, infamia aut est *fer. sent.*, aut *lat. sent.* - Et DD. inquirunt an infamia *l. s.* incurratur *ipso iure* absque sententia declaratoria, non secus ac incurruntur censurae. Atqui DD. in contrarias abeunt sententias ut videre est apud Thesaurum *l. c.* - Inde versamur in dubio *iuris* et quis potest haberi uti non irregularis quousque factum unde oritur infamia est occultum et inde non superveniat sententia declaratoria. Nam si factum est *publicum,* irregularitas ex infamia *l. s.* iam habetur uti incursa, prouti declaravit S. Cong. Concilii *die 9 Aug. 1890* in una Wratislavien, quam infra referemus. - Quod factum vero notum vel notorium in negotio infamiae aequiparandum sit sententiae iudicis, desumitur non tantum ex *c. c. 4 et ult., De temp. ord. X,* sed ex ipso conceptu infamiae. Nam haec consistit, quasi ex sua materia, in publica notitia alicuius facti existimationem laedentis. - Demum ex his quae explicavimus suo loco quoad executionem poenarum *l. sent.* sequitur, *infamiam iuris* quippe *poenam* magis *negativam* mandari executioni absque ministerio iudicis; siquidem infamia iüris ex parte *legis* secumfert effectum *inhabilitatis,* ex parte *facti* privationem bonae famae. At inhabilitas ipso iure incurritur absque sententia iudicis.

Inde sequitur etiam ex crimine *occulto* incurri poenam infamiae *lat. sent.* uti docet Süarez, *l. c. 15 seq.;* etenim ipso crimine patrato etsi *occulto* incurretur ea inhabilitas inhaerens poenae infamiae; quamvis forsan irregularis, ne prodat seipsum, non teneatur se abstinere ab his quibus prohibetur vi irregularitatis. Sed hoc est per *accidens,* quia huiusmodi crimina graviora suapte natura publica esse solent. Quando vero publica fiunt tunc cognoscitur irregularitas iam contracta; quamobrem eius

effectus, iuxta nota principia, retrotrahuntur ad momentum initae irregularitatis. Sed quousque crimen est occultum, quamvis uni vel alteri sit notum, his non licet divulgare factum famosum. Nam saltem *possessio, legitima famae*, in irregulari non amittitur nisi secuta sententia iudicis aut facti secuta divulgatione. Privatis autem civibus non fas est civem spoliare iuribus legitime possessis coram societate. Haec clara sunt in explicato conceptu *infamiae iuris* quae inducit irregularitatem ob inditam inhabilitatem, quamvis non induxerit actualem famae privationem. Cf. Reiffenst. *V, 37, n. 57;* Schmalzgrueber, *eod. loc. n. 166.*

Haec confirmantur citata decisione S. C. Conc. in una Wratislavien. *diei 9 Aug. 1890;* nam agebatur de more duellandi valde frequenti in Germania inter alumnos praesertim Universitatum studiorum, qui, ludi potissimum aut exercitationis causa, parvo cultro instructi in duellum congrediuntur; unde incisionem in vulto solent inferre, at non graviora vulnera. Dubitatum est an inde exoriretur irregularitas et proposito dubio: « *An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur quando duellum ea ratione committitur quae his temporibus inter Germaniae alumnos fieri solet in casu* » prodiit responsum, die suprascripto « *Affirmative a duellantibus eorumque patrinis ex infamia iuris* ». Nullibi vero actum est de necessitate sententiae declaratoriae, neque definitum est, irregularitatem oriri tantum ex duello publico et noto.

258. Quia *infamia iuris* decreta est tum a iure civili romano tum a iure canonico quaeritur an retinenda sit illa regula passim a canonistis admissa: « *Omnes infames infamia iuris civilis sunt infames infamia iuris canonici* ». Verum haec intelligenda est ita ut ii laborent *infamia iuris* in Ecclesia qui iure etiam canonico *infamia iuris* notantur; alii (nisi leges civiles reprobatae sint iure can. veluti, *c. 4, De secund. nup.* (IV, 21) X); sunt infames *infamia facti*, seu ob admissum crimen graviter laedens aestimationem apud probatos viros, post-

quam crimen coeperit esse publicum. Ita D'Annibale, I, 430; et Gasparri, *290 seq.*

Adsunt varii textus in iure can. *infamiam iuris* in graviora crimina decernentes *ipso iure* incurrendam, veluti:

1) in duellantes eorumque patrinos, ex Conc. Trid. *sess. 25, cap. 19 De ref.* (1);

2) in raptores mulieris ac omnes illis consilium, auxilium et favorem praebentes, ex Conc. Trid. *sess. 24, cap. 6 De ref.*

3) in bigamos qui duas simul uxores habent; ex *cap. 4 De bigamis*;

4) in committentes simoniam realem, arg. *can. 15, caus. 1, q. 4 et cap. 1, De simonia inter com. extrav.;*

5) in eum qui S. R. E. Cardinalem insecutus est, percussit aut cepit, ex *cap. 5, De poenis in 6*, ubi praeterea a Bonifacio VIII decernitur infamis qui « vel socius fuerit facientis vel fieri mandaverit vel factum ratum habuerit aut consilium dederit vel favorem aut postea receptaverit vel defensaverit scienter eumdem, sicut reus criminis laesae maiestatis perpetuo sit *infamis* ». Deinde haec infamia fertur in horum filium aut filios, in nepotem aut nepotes, sed isti subeunt *infamiam* si eosdem nasci contingat post patratum crimen. Cf. Gasparri, *294;*

6) et in credentes, receptatores et haereticorum fautores, si satisfacere contempserint intra annum, ex *cap. 13,* § *5, De haereticis*, imo etiam in haereticorum filios, nempe primi gradus si mater, et secundi gradus, si pater tempore nativitatis haeresim professi sint dummodo alicui sectae damnatae nomen dederint et tales decessisse probentur, ex *cap. 15, h. t. in 6,* cf. S. Alph. (VII, 363). Sed ad filios infidelium, puta Iudaeorum haec extendi non debet, arg. *cap. 7, De rescript. X.* - Quoad ipsos haereticos magna est contentio inter DD. an irregulares sint

(1) Si ex duello sequatur mors aut mutilatio reus huius criminis fit etiam irregularis ex homicidio aut mutilatione.

ex defectu famae vel *ex ipso delicto* haeresis quod propriam habeat adnexam irregularitatem, non secus ac homicidium: cf. D'Annibale (I, 431). - De hac quaestione infra agemus.

259. Praeterea quaerunt sed non conveniunt Doctores, an infamiae irregularitas sit *ex delicto* vel *ex defectu;* quum asseverent nonnulli, semper esse *ex defectu* nempe *ex famae* seu bonae existimationis *defectu*, praesertim quia infamia *ex delicto occulto* oriri posse non videtur, quocirca attendendus est primo et principaliter famae defectus apud homines probos. - Sed e contra probabilius est, etiam *ex delicto occulto* infamiam iuris oriri, uti docuimus. Cf. supra n. 20. Quamobrem, hac praesertim ratione moti, alii DD. autumant, irregularitatem *ex infamia* esse *ex delicto*. Cf. Suarez, *XLVIII, 1, 13* et Philipps, § *53*.

Nihilominus animadvertendum est, omnes irregularitates inniti in aliqua *nota-macula* seu *quasi inhabilitate*, tamen divisas fuisse in provenientes *ex delicto* et *ex defectu* attenta earum *causa proxima formali.* Atqui ipsum delictum consideratum est aliquando parere irregularitatem ob consequentem *defectum bonae famae.* Ita filii haereticorum et haeretici ipsi eorumque fautores, omnes utputa infames, prouti infra probabimus, *ipso iure* irregulares denunciati sunt. Iamvero causa proxima defectus famae seu irregularitatis in haereticis est crimen personale haeresis, e contra in filiis haereticorum irregularitatis causa *proxima efficiens* est *famae defectus* sed ex crimine parentum. Quare ipse famae defectus habetur uti causa formalis ad constituendam irregularitatem; quamvis hunc defectum quis patiatur aliquando ex crimine proprio, aliquando ex crimine alieno (1).

(1) Ipse conceptus *infamiae* supra explicatus aperte docet, irregularitatem *ex infamia* non posse fundari nisi *in defectu.* Nam infamia consistit *in privatione existimationis apud honestos homines.* Unde infames arcendi sunt ab ordinibus, quia non habent *bonum testimonium,* quod requirit Divus Paulus ad Timoth., *I, 3, 7.* « *Oportet autem illum* (Episcopum) *et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium*

260. In irregularitatem ex *infamia iuris* dispensandam per se Episcopus nullam habet potestatem; siquidem Episcopus ex *cap. 6, sess. 24, Conc. Trid.* dispensat irregularitates ex delicto *occulto*. Equidem, uti innuimus, nonnullorum sententia est, istam irregularitatem provenire *ex delicto*, dubium tamen est an oriatur ex delicto *occulto*. Quare dubia est in hoc casu irregularitas; et dumtaxat ex hoc capite poterit Episcopus dispensare *ad cautelam*.

261. Infamia *facti* incurritur ob quodcumque publicum crimen quod graviter laedit existimationem hominis apud cordatos et probos viros. De huiusmodi infamia decernit *cap. ult. De temp. ordin. X*, iubens: « *Quaesitum est de sacerdotibus vel aliis clericis qui per reatum adulterii, periurii, homicidii vel falsi testimonii, bonum conscientiae rectae perdiderunt. Respondemus quod si proposita crimina ordine iudiciario comprobata vel alias notoria non fuerint, non debent hi (praeter reos homicidii) post poenitentiam in iam susceptis vel suscipiendis ordinibus impediri* ». Cavetur enim ex criminibus publicis et notoriis, vel ob iudicis sententiam vel ob evidentiam facti, enasci *infamiam facti;* quando nempe non sunt ea crimina quibus adnexa est *infamia* iuris incurrenda vel ipso facto vel ex sententia iudicis, uti docuimus. De hac *infamia facti* plures decernunt canones in Decreto Gratiani, sed sunt apocryphi. Tenet etiam infames *infamia facti* regula « *Infamibus portae non pateant dignitatum* ».

262. Quia - *nihil est tam naturale in iure quam eo genere quodque dissolvi quo colligatum fuit* - (ex l. 34 *De reg.*

incidat et in laqueum diaboli ». Malum vero habere testimonium, idem est ac esse *infamem*. Exinde Ecclesia statuit de *promovendis* ad ordines habenda esse *scrutinia* et interrogationes ad populum. Concil. Trid. *sess. 23, c. c. 13, 14 De ref.* - Quare populus in electionibus et s. ordinationibus partem habuit dumtaxat ad reddendum *bonum testimonium de moribus*. Cf. Philipps, *l. c.* § *53*.

iur.) inde *infamia facti* tollitur *per poenitentiam* seu per contraria facta quae bonam restituunt aestimationem apud probos. Quocirca *infamia facti* est *impropria* irregularitas.

§ 3. *De irregularitate ex haeresi.*

Summarium. — 263. Exponitur status controversiae inter DD. agitatae; an nempe haec irregularitas sit *ex delicto* vel *ex defectu* famae. — 264. Videtur probabilior sententia quae tenet hanc irregularitatem oriri *ex defectu* famae. — 265. Hanc incurrunt haeretici, schismatici, apostatae a fide vel personaliter condemnati vel addicti sectae damnatae. — 266. Hinc irregularitatem videntur effugere alii haeretici hodie tam frequentes uti rationalistae et theistae, at personaliter non damnati. — 267. At irregularitatem incurrunt complices seu *credentes, receptatores, defensores, fautores* si in excommunicatione insordescunt. — 268. Incurrunt etiam filii haereticorum et usque ad *secundum* gradum si pater haereticus, usque ad *primum* si mater haeretica fuit et uterque usque ad mortem. — 269. Quinam dispenset ab hac irregularitate. — 270. At *infamiam* non parit, *exercitium* artis etsi vilioris sed honestae.

263. De irregularitate *ex haeresi* primo inquiritur an proveniat *ex delicto* vel *ex defectu*, nempe ex *defectu famae.* Suarez, *De cens.* XLIII, *1, 4*, opinatur ex delicto provenire; ita Reiffenstuel, *V, 7, 254;* et Schmalzgrueber, *eod. tit. n. 104 sq.* Contrarium videntur opinari Pirhing, *eod. tit. n. 46;* Layman, *l. I, tract. 5, part. 4, n. 12;* Sayrus, *op. cit. VI, 12, 6.* - D'Annibale (I, 431) his adaeret, docens, haeritico nondum condemnato per iudicialem sententiam, istum notari infamiâ, et hanc recidere in infamiam *facti;* siquidem nullo iure cautum est, haereticum incurrere infamiam *iuris, ipso facto.* Postquam vero haereticus condemnatus est quia haeresi cohaeret *infamia iuris,* iste fit infamis proindeque irregularis. - Cl. Gasparri, *l. c. 460 sq.* autumat ex ipsa haeresi seu *ex delicto* contrahi irregularitatem; et hoc desumit ex antiquioribus documentis, veluti ex *can. 21,*

se .352

anus. I. q. 7 ubi refertur epistola S. Leonis M. haereticos prohibentis ab ordinibus suscipiendis; et *dispensative* permittentis susceptorum exercitium. Praeterea recolit duas responsiones S. Officii, alteram diei *26 Nov. 1668* ita expressam sub dubio: « *An alumni collegiorum pontificalium qui vel ab haeresi sunt conversi vel sunt haereticorum filii et ideo irregulares qua irregularitate (quoad appareat) non sublata ad ordines etiam sacros promoti fuerunt et promoventur, num rite et canonice promoti fuerint et promoveantur an vero indiguerint et indigeant dispensatione ab irregularitate iam dicta* » cui rescriptum fuit: « *Alumnos praedictos indiguisse et in posterum indigere dispensatione quoad praedictam irregularitatem; petentibus vero relaxandam dispensationem* »; alteram relatam in Collectanea S. C. de Prop. Fid. datam a S. Officio *die 4 Decembris 1890* ita conceptam: « *Haereticos ad fidem catholicam conversos ac filios haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat esse irregulares ideoque dispensatione indigere ut ad tonsuram et ordines promoveantur* » (1). Inde deducit cl. Auctor, hac irregularitate affici, *ex delicto* haeresis, haereticos *qui damnatae sectae* sunt adscripti sive a nativitate sive ex propria culpa, *etsi nulla iudicis sententia intervenerit;* et his accenset alios *qui per iudicis sententiam personaliter damnati fuerunt* de haeresi, schismate, apostasia *etsi ad aliquam iam existentem sectam haereticam, schismaticam vel ad ethnicam aliquam superstitionem non transierint.* - Alios autem haereticos externos *sed non damnatos nec personaliter nec in propria secta* sive occultos sive publicos putat non esse irregulares nisi

(1) S. Cong. S. Off. iterum confirmavit hanc responsionem *die 3 Februarii 1898.* Huiusmodi quaestionem sub respectu irregularitatis diremit quoque S. Cong. Concilii in Romana 1718 *die 21 Maii.* Vide apud Richter, *Edit. Conc. Trid.,* p. 101.

infamia facti quae inde aufertur per conversionem, absolutionem et publicam errorum retractationem. Porro ratio ob quam illi persuasum est, huiusmodi irregularitatem non oriri *ex infamia*, est eadem irregularitatis antiquitas pene *apostolica*. Tunc vero, advertit Auctor, non vigebat irregularitas *ex infamia* (1).

264. Verum in iure magis videtur fundata sententia D'Annibale et hanc sequor. - Nam documenta allata a cl. Gasparri probant irregularitatem ex haeresi, sed nullimode evincunt, hanc provenire ex *ipso delicto*, non *ex infamia*. Ex adverso infra explicantes quaenam personae contrahant hanc irregularitatem, textus adducemus quibus de irregularitate *ex infamia* in haereticos edita expresse cavetur.

Demum quia cl. Gasparri opinatur huiusmodi irregularitatem incurrere dumtaxat haereticos addictos sectae damnatae, vel haereticos personaliter per sententiam damnatos, istam vero effugere haereticos *publicos* sed non *damnatos sententia*, videtur admittere implicite irregularitatem incurri ex damnatione, nempe ex sententia iudicis, generali sententia damnantis quamdam sectam haereticorum vel peculiariter singularem hominem condemnantis. Sed irregularitas quae contrahitur ex sententia condemnationis non potest esse nisi irregularitas *ex infamia*, quae consequitur ipsum crimen iudicialiter denunciatum vel ipsam poenam. Nam irregularitas *fer. sent.* non intelligitur, at semper incurritur *ipso facto*, ad instar quasi-inhabilitatis, uti docet ipse cl. Gasparri n. 164 (2).

(1) Sed haec assertio non videtur omnimode veritati cohaerere, quia supra vidimus Apostolum Paulum expostulare pro ministris altaris, fidelium *bonum testimonium* adeo ut essent *irreprehensibiles*, nempe etiam quoad *publicam famam*. Praeterea Ecclesiae disciplina in haereticos modo benignior, modo severior habita est. Cf. Thomassinum, *P. II, lib. 1, cap. 62 sq.*

(2) Sane si admittatur, irregularitatem provenire ex *ipso delicto* haeresis, satis non videntur probari *limitationes* a Gasparri appositae; quin

caus. 1, q. 7 ubi refertur epistola S. Leonis M. haereticos prohibentis ab ordinibus suscipiendis; et *dispensative* permittentis susceptorum exercitium. Praeterea recolit duas responsiones S. Officii. alteram *diei 26 Nov. 1668* ita expressam sub dubio: « *An alumni collegiorum pontificalium qui vel ab haeresi sunt conversi vel sunt haereticorum filii et ideo irregulares qua irregularitate (quoad appareat) non sublata ad ordines etiam sacros promoti fuerunt et promoventur, num rite et canonice promoti fuerint et promoveantur an vero indiguerint et indigeant dispensatione ab irregularitate iam dicta* » cui rescriptum fuit: « *Alumnos praedictos indiguisse et in posterum indigere dispensatione quoad praedictam irregularitatem; petentibus vero relaxandam dispensationem* »; alteram relatam in Collectanea S. C. de Prop. Fid. datam a S. Officio *die 4 Decembris 1890* ita conceptam: « *Haereticos ad fidem catholicam conversos ac filios haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat esse irregulares ideoque dispensatione indigere ut ad tonsuram et ordines promoveantur* » (1). Inde deducit cl. Auctor, hac irregularitate affici, *ex delicto* haeresis, haereticos *qui damnatae sectae* sunt adscripti sive a nativitate sive ex propria culpa, *etsi nulla iudicis sententia intervenerit;* et his accenset alios *qui per iudicis sententiam personaliter damnati fuerunt* de haeresi, schismate, apostasia *etsi ad aliquam iam existentem sectam haereticam, schismaticam vel ad ethnicam aliquam superstitionem non transierint.* - Alios autem haereticos externos *sed non damnatos nec personaliter nec in propria secta* sive occultos sive publicos putat non esse irregulares nisi

(1) S. Cong. S. Off. iterum confirmavit hanc responsionem *die 3 Februarii 1898.* Huiusmodi quaestionem sub respectu irregularitatis diremit quoque S. Cong. Concilii in Romana 1718 *die 21 Maii.* Vide apud Richter, *Edit. Conc. Trid.*, p. 101.

infamia facti quae inde aufertur per conversionem, absolutionem et publicam errorum retractationem. Porro ratio ob quam illi persuasum est, huiusmodi irregularitatem non oriri *ex infamia*, est eadem irregularitatis antiquitas pene *apostolica*. Tunc vero, advertit Auctor, non vigebat irregularitas *ex infamia* (1).

264. Verum in iure magis videtur fundata sententia D'Annibale et hanc sequor. - Nam documenta allata a cl. Gasparri probant irregularitatem ex haeresi, sed nullimode evincunt, hanc provenire ex *ipso delicto*, non *ex infamia*. Ex adverso infra explicantes quaenam personae contrahant hanc irregularitatem, textus adducemus quibus de irregularitate *ex infamia* in haereticos edita expresse cavetur.

Demum quia cl. Gasparri opinatur huiusmodi irregularitatem incurrere dumtaxat haereticos addictos sectae damnatae, vel haereticos personaliter per sententiam damnatos, istam vero effugere haereticos *publicos* sed non *damnatos sententia*, videtur admittere implicite irregularitatem incurri ex damnatione, nempe ex sententia iudicis, generali sententia damnantis quamdam sectam haereticorum vel peculiariter singularem hominem condemnantis. Sed irregularitas quae contrahitur ex sententia condemnationis non potest esse nisi irregularitas *ex infamia*, quae consequitur ipsum crimen iudicialiter denunciatum vel ipsam poenam. Nam irregularitas *fer. sent.* non intelligitur, at semper incurritur *ipso facto*, ad instar quasi-inhabilitatis, uti docet ipse cl. Gasparri n. 164 (2).

(1) Sed haec assertio non videtur omnimode veritati cohaerere, quia supra vidimus Apostolum Paulum expostulare pro ministris altaris, fidelium *bonum testimonium* adeo ut essent *irreprehensibiles*, nempe etiam quoad *publicam famam*. Praeterea Ecclesiae disciplina in haereticos modo benignior, modo severior habita est. Cf. Thomassinum, *P. II, lib. 1, cap. 62 sq.*

(2) Sane si admittatur, irregularitatem provenire ex *ipso delicto* haeresis, satis non videntur probari *limitationes* a Gasparri appositae; quin

caus. 1, q. 7 ubi refertur epistola S. Leonis M. haereticos prohibentis ab ordinibus suscipiendis; et *dispensative* permittentis susceptorum exercitium. Praeterea recolit duas responsiones S. Officii, alteram *diei 26 Nov. 1668* ita expressam sub dubio: « *An alumni collegiorum pontificalium qui vel ab haeresi sunt conversi vel sunt haereticorum filii et ideo irregulares qua irregularitate (quoad appareat) non sublata ad ordines etiam sacros promoti fuerunt et promoventur, num rite et canonice promoti fuerint et promoveantur an vero indiguerint et indigeant dispensatione ab irregularitate iam dicta* » cui rescriptum fuit: « *Alumnos praedictos indiguisse et in posterum indigere dispensatione quoad praedictam irregularitatem; petentibus vero relaxandam dispensationem* »; alteram relatam in Collectanea S. C. de Prop. Fid. datam a S. Officio *die 4 Decembris 1890* ita conceptam: « *Haereticos ad fidem catholicam conversos ac filios haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat esse irregulares ideoque dispensatione indigere ut ad tonsuram et ordines promoveantur* » (1). Inde deducit cl. Auctor, hac irregularitate affici, *ex delicto* haeresis, haereticos *qui damnatae sectae* sunt adscripti sive a nativitate sive ex propria culpa, *etsi nulla iudicis sententia intervenerit;* et his accenset alios *qui per iudicis sententiam personaliter damnati fuerunt* de haeresi, schismate, apostasia *etsi ad aliquam iam existentem sectam haereticam, schismaticam vel ad ethnicam aliquam superstitionem non transierint.* - Alios autem haereticos externos *sed non damnatos nec personaliter nec in propria secta* sive occultos sive publicos putat non esse irregulares nisi

(1) S. Cong. S. Off. iterum confirmavit hanc responsionem *die 3 Februarii 1898.* Huiusmodi quaestionem sub respectu irregularitatis diremit quoque S. Cong. Concilii in Romana 1718 *die 21 Maii.* Vide apud Richter, *Edit. Conc. Trid.*, p. 101.

infamia facti quae inde aufertur per conversionem, absolutionem et publicam errorum retractationem. Porro ratio ob quam illi persuasum est, huiusmodi irregularitatem non oriri *ex infamia*, est eadem irregularitatis antiquitas pene *apostolica*. Tunc vero, advertit Auctor, non vigebat irregularitas *ex infamia* (1).

264. Verum in iure magis videtur fundata sententia D'Annibale et hanc sequor. - Nam documenta allata a cl. Gasparri probant irregularitatem ex haeresi, sed nullimode evincunt, hanc provenire ex *ipso delicto*, non *ex infamia*. Ex adverso infra explicantes quaenam personae contrahant hanc irregularitatem, textus adducemus quibus de irregularitate *ex infamia* in haereticos edita expresse cavetur.

Demum quia cl. Gasparri opinatur huiusmodi irregularitatem incurrere dumtaxat haereticos addictos sectae damnatae, vel haereticos personaliter per sententiam damnatos, istam vero effugere haereticos *publicos* sed non *damnatos sententia*, videtur admittere implicite irregularitatem incurri ex damnatione, nempe ex sententia iudicis, generali sententia damnantis quamdam sectam haereticorum vel peculiariter singularem hominem condemnantis. Sed irregularitas quae contrahitur ex sententia condemnationis non potest esse nisi irregularitas *ex infamia*, quae consequitur ipsum crimen iudicialiter denunciatum vel ipsam poenam. Nam irregularitas *fer. sent.* non intelligitur, at semper incurritur *ipso facto*, ad instar quasi-inhabilitatis, uti docet ipse cl. Gasparri n. 164 (2).

(1) Sed haec assertio non videtur omnimode veritati cohaerere, quia supra vidimus Apostolum Paulum expostulare pro ministris altaris, fidelium *bonum testimonium* adeo ut essent *irreprehensibiles*, nempe etiam quoad *publicam famam*. Praeterea Ecclesiae disciplina in haereticos modo benignior, modo severior habita est. Cf. Thomassinum, *P. II, lib. 1, cap. 62 sq.*

(2) Sane si admittatur, irregularitatem provenire ex *ipso delicto* haeresis, satis non videntur probari *limitationes* a Gasparri appositae; quin

caus. 1, q. 7 ubi refertur epistola S. Leonis M. haereticos prohibentis ab ordinibus suscipiendis; et *dispensative* permittentis susceptorum exercitium. Praeterea recolit duas responsiones S. Officii, alteram *diei 26 Nov. 1668* ita expressam sub dubio: « *An alumni collegiorum pontificalium qui vel ab haeresi sunt conversi vel sunt haereticorum filii et ideo irregulares qua irregularitate (quoad appareat) non sublata ad ordines etiam sacros promoti fuerunt et promoventur, num rite et canonice promoti fuerint et promoveantur an vero indiguerint et indigeant dispensatione ab irregularitate iam dicta* » cui rescriptum fuit: « *Alumnos praedictos indiguisse et in posterum indigere dispensatione quoad praedictam irregularitatem; petentibus vero relaxandam dispensationem* »; alteram relatam in Collectanea S. C. de Prop. Fid. datam a S. Officio *die 4 Decembris 1890* ita conceptam: « *Haereticos ad fidem catholicam conversos ac filios haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat esse irregulares ideoque dispensatione indigere ut ad tonsuram et ordines promoveantur* » (1). Inde deducit cl. Auctor, hac irregularitate affici, *ex delicto* haeresis, haereticos *qui damnatae sectae* sunt adscripti sive a nativitate sive ex propria culpa, *etsi nulla iudicis sententia intervenerit;* et his accenset alios *qui per iudicis sententiam personaliter damnati fuerunt* de haeresi, schismate, apostasia *etsi ad aliquam iam existentem sectam haereticam, schismaticam vel ad ethnicam aliquam superstitionem non transierint.* - Alios autem haereticos externos *sed non damnatos nec personaliter nec in propria secta* sive occultos sive publicos putat non esse irregulares nisi

(1) S. Cong. S. Off. iterum confirmavit hanc responsionem *die 3 Februarii 1898.* Huiusmodi quaestionem sub respectu irregularitatis diremit quoque S. Cong. Concilii in Romana 1718 *die 21 Maii.* Vide apud Richter, *Edit. Conc. Trid.*, p. 101.

infamia facti quae inde aufertur per conversionem, absolutionem et publicam errorum retractationem. Porro ratio ob quam illi persuasum est, huiusmodi irregularitatem non oriri *ex infamia*, est eadem irregularitatis antiquitas pene *apostolica*. Tunc vero, advertit Auctor, non vigebat irregularitas *ex infamia* (1).

264. Verum in iure magis videtur fundata sententia D'Annibale et hanc sequor. - Nam documenta allata a cl. Gasparri probant irregularitatem ex haeresi, sed nullimode evincunt, hanc provenire ex *ipso delicto*, non *ex infamia*. Ex adverso infra explicantes quaenam personae contrahant hanc irregularitatem, textus adducemus quibus de irregularitate *ex infamia* in haereticos edita expresse cavetur.

Demum quia cl. Gasparri opinatur huiusmodi irregularitatem incurrere dumtaxat haereticos addictos sectae damnatae, vel haereticos personaliter per sententiam damnatos, istam vero effugere haereticos *publicos* sed non *damnatos sententia*, videtur admittere implicite irregularitatem incurri ex damnatione, nempe ex sententia iudicis, generali sententia damnantis quamdam sectam haereticorum vel peculiariter singularem hominem condemnantis. Sed irregularitas quae contrahitur ex sententia condemnationis non potest esse nisi irregularitas *ex infamia*, quae consequitur ipsum crimen iudicialiter denunciatum vel ipsam poenam. Nam irregularitas *fer. sent.* non intelligitur, at semper incurritur *ipso facto*, ad instar quasi-inhabilitatis, uti docet ipse cl. Gasparri n. 164 (2).

(1) Sed haec assertio non videtur omnimode veritati cohaerere, quia supra vidimus Apostolum Paulum expostulare pro ministris altaris, fidelium *bonum testimonium* adeo ut essent *irreprehensibiles*, nempe etiam quoad *publicam famam*. Praeterea Ecclesiae disciplina in haereticos modo benignior, modo severior habita est. Cf. Thomassinum, *P. II, lib. 1, cap. 62 sq.*

(2) Sane si admittatur, irregularitatem provenire ex *ipso delicto* haeresis, satis non videntur probari *limitationes* a Gasparri appositae; quin

Ordinem vero *subdiaconatus* et *diaconatus* operari manumissionem quando dominus indemnis, aliquo pacto, fieri posset, secus procedendum esse *ad degradationem.*

Praeter defectum *libertatis* in servis promanantem ex condictione subiectionis servilis, consideravit Ecclesia defectum *animi* qui derivat ex abiectissima conditione servorum, quo factum est ut servi constituti in *Ecclesiae dominio* non minus repellerentur ab altari; arg. *can. 4, dist. 54.*

Genus servitutis ad nostra pene tempora in nordicis civitatibus frequentatum, fuit servitus illorum qui dicti sunt servi *adscripticii* seu servi *glebae*, utpote addicti culturae cuiusdam agri, et de his disserit Benedictus XIV *De syn. IX, 11, 5.* Huiusmodi servitus non est contraria iuri naturali et evangelico, quippe fundatur in conventione, sed sane eidem iuri non est admodum consentanea, quum tale iugum ex conventione patrisfamilias imponatur in perpetuum in totam familiam, adempta facultate resiliendi ob mutata adiuncta. Ex communi sententia et praxi hi quoque servi non sunt ordinandi insciis dominis et quin istorum iurium ratio habeatur. Cf. Pirhing. *h. t. n. 8;* et Santi *eod. tit.*

272. Eiusdem lib. I, Decretalium titulus subsequens statuit « *De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non* ». At haec prohibitio non est propria irregularitas sed continetur sub generali interdicto *tituli 50, lib. III, X* « *Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant* ». Quare si quem in sacris ordinibus constitutum contingat eiusmodi negotiis implicari aut implicatum reperiri, nullimode iste prohibetur ab ordinibus susceptis exercendis. Cf. D'Annibale (I, 412 ter.). Nihilominus Episcopus qui ordines contulit caute invigilare debet, ne ulla fraus inde fiat creditoribus quos indemnes facere ipse Episcopus adigi posset si clericus ad ordines promotus impar est aeri alieno solvendo et Episcopus culpa non vacat. Praeterea quando ex sententia iudicis fraudis convinceretur clericus, fieret irregularis *ex*

infamia, uti notat Glossa *cap. un. h. t.* v, *infamari*. Cf. Santi *h. t. n. 3*. Quod vero executores munerum saecularium, veluti procuratores, tutores, redemptores victigalium aut publicarum operarum ad ordines promoveri non debeant, nisi redditis rationibus et omni extincta actione civili aut criminali qua possent pulsari, id naturalis prudentia expostulat, dignitas ordinis sacerdotalis et ipsa constitutio privilegii *fori* et privilegii *competentiae* clericorum, ne hi videantur clericatui nomen dare in fraudem creditorum.

Haec prohibitio spectat ad munera clericis prohibita. - At his interdicta non est tutela et curatela agnatorum suorum, item pupillorum, viduarum et miserabilium personarum et, in universum, causarum piarum administratio; quamobrem obligatio reddendarum rationum in hisce causis nullum praestat impedimentum ordinibus suscipiendis et planum est. Cf. Smalzg. *h. t. n. 3,* Reiffenst. *eod. tit. n. 7,* Pirhing. *e. t. 3.*

273. Quaedam species servitutis quam Deus permittit homines aliquando pati est *possessio daemonis* unde *demoniaci* aut *energumeni*. - DD. quaerunt an exinde oriatur propria irregularitas, et sententiae sunt discordes. Quare irregularitas est dubia et hinc evanescit; et dumtaxat superest ratio simplicis impedimenti. Iamvero dum viget obsessio iure divino et naturali prohibetur et ordinum susceptio et susceptorum exercitium. Quaestio ergo ad eos spectat qui passi sunt huiusmodi obsessiones. - Quia irregularitas in iure non est satis expressa, viget tantum *impropria* irregularitas ex periculo relapsus in obsessionem et ex admiratione populi et aversione animorum adversus huiusmodi infelices homines. - Attamen cl. Gasparri n. 275 autumat exinde enasci *propriam* irregularitatem et potissimum deducit ex responsionibus S. Cong. Concilii, quippe quae in una Panormitana *Dispensationis die 10 April. 1686* de quodam Fratre, clerico Ord. Min. Obs. Ref. S. Francisci, a daemone quondam possesso et a biennio ab hac obsessione

immuni, ad instantiam dispensationis irregularitatis respondit « *Pro nunc negative* ». Et de consimili casu in Mediolanensi *2 Decemb. 1724*, propositis dubiis: « 1° *An orator sit de iure irregularis quoad ordines suscipiendos in casu* »; et quatenus affirmative « 2° *An ei sit dispensatio concedenda in casu* » prodiit rescriptum « Ad 1um *affirmative* - ad 2um *pro nunc negative* ». Atqui in *folio* exponitur lucta DD. quaerentium an irregularitas sit in iure expressa; quocirca irregularitas dicenda est *dubia*. In huiusmodi rescriptis autem S. C. Concil. non facit ius novum sed ius applicat, et dum affirmat *oratorem esse irregularem quoad ordines* SUSCIPIENDOS, non asserit irregularitatem esse *propriam*. Ceterum ipse Gasparri l. c. docet, ob doemonis possessionem non impediri exercitium ordinum *susceptorum*. Quare sermo est de irregularitate *impropria*. Cf. supra n. 190.

274. Etiam *milites*, prouti mandant *canones 1, 4, dist. 51* repelluntur a s. ordinibus; et hoc duplici ex causa. - *Primo* ex ipso naturali iure, quia miles qui stipendia *actu* meretur non potest servitio altaris se addicere et planum est. - *Secundo* quia miles postquam etiam se abdicaverit ab officio militari, tamen, ob consuetam vitae militaris rationem, iste nimis distare videtur a moribus quibus praeditus esse debet clericus. Videlicet eiusmodi homo nisi probaverit divinam *vocationem* et sibi conciliaverit aut integram conservaverit hominum proborum existimationem, non debet s. ordinibus initiari.

Hodie quoad eos qui servitio militari se dant, viget potissimum hoc *secundum* impedimentum. Antiquitus enim veluti sub media aetate, qui militarem vitam amplectebantur, ultro hoc praestabant et in totam vitam; aevo hodierno omnes cives et penes nos et in Gallia etiam *clerici*, iussu legis, milites conscribuntur sed in breve tempus, quo absoluto quisque redit ad sua munia civilia et domestica. Nihilominus qui petunt, post expletum militare curriculum, vel adscribi clero vel ad s. ordines

ulterius promoveri, admittendi non sunt, nisi probatis eorum moribus, prouti dictant Instructio S. Cong. Inquisitionis *diei 16 Sept. 1875*, et alia Inst. S. Cong. EE. et RR. *diei 27 Novembris 1892*. - Cf. apud Gasparri, *543*. Verum huiusmodi impedimenta nonnisi *improprie* irregularitates vocantur.

275. Hactenus de defectu status iuridici seu libertatis. - Ex *defectu fidei* aliquis repellitur ab altari:

a) vel quia *neophytus* est, seu recens baptizatus;

b) vel quia est *clinicus* seu baptizatus in lecto (ἐν τῇ κλίνῃ) instante mortis periculo;

c) vel quia non est *confirmatus*, quatenus nondum suscepit sacramentum *confirmationis*. - Quocumque in casu impedimentum exinde ortum, quod ad s. ordinationem, constitit in ipso *defectu fidei;* siquidem huiusmodi homo non censetur satis constans et firmus ut istum fieri deceat magistrum in Israel.

De neophyto praecipit D. Paulus ad Timoth. (III, 6), istum *ad episcopatum* non esse promovendum, - *ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli* - Sed *canones 1, dist. 48*, (Concil. Nicaeni), *10, dist. 61*, (Concil. Sardic.), *5, dist. 51*, (Concil. Tolet.) statuerunt, neophytos ab omni gradu clericali prohibitos esse, nedum ab episcopatu. - Apostoli praeceptum quoad *recenter* baptizatos, sane consistit in ipso naturali iure; sed quando tempus dilapsum est notabile a suscepto baptismo adeo ut quis amplius dici non valeat *recens* baptizatus, viget ne *perpetuum* impedimentum seu propria irregularitas? - DD. non conveniunt. - Cl. Gasparri opinatur istud impedimentum propriam constituere irregularitatem, quia S. Apostolica consuevit *neophytos* seu illos qui ex Iudaeis ex Muhamedanis, ex alia ethnica superstitione conversi sunt et in *adulta* aetate fuerunt baptizati, ad s. ordines non admittere, nisi praevia dispensatione. Praeter praxim Vicariatus Urbis, recolit rescriptum S. Cong. Concil. in una Adrianensi *31 Maii 1783* in qua agebatur de filio Iudaeorum in aetate 22 annorum baptizato, expetente,

quinque post annis a baptismo suscepto, clericum fieri et propositis dubiis: 1. *An constet de irregularitate in casu.* Et quatenus affirmative. 2. *An locus sit dispensationi in casu.* S. C. rescripsit: « Ad 1um *Affirmative.* Ad 2um *Affirmative, nempe esse locum dispensationi arbitrio Episcopi* ». Atqui hoc rescriptum non probat agi, *in casu*, de irregularitate *propria* quia decernit *esse locum dispensationi arbitrio Episcopi.* Sed haec irregularitas, utpote *ex defectu*, si *propria* esset, dispensaretur a R. Pontifice et hinc decerneretur dispensanda *facto verbo cum SSmo.* In praxi teneatur monitum Bened. XIV. *De Syn.* (XII, 1, 6) qui docens neophytos non esse irregulares advertit. « Aliud quippe est, descendentes ab infidelibus ab ordinibus prorsus excludere; aliud cum cautela et delectu illos promovere..... Etenim quamquam Ecclesia ex hominibus coaluerit ab infidelitate conversis, nunquam tamen neophytos inter sacros Ecclesiae ministros coaptari permisit, nisi antea probati certum suae fidei dedissent testimonium ».

276. *Clinici* seu qui baptismum differunt in eventum *aegritudinis* pene *mortalis* merito sunt suspectae fidei; quamobrem, si convaluerint, a sacro ministerio prohibentur. Nam Ecclesia iubet, iam a remotiore aetate, infantes recens natos, quamprimum commode poterit, esse baptizandos. Sane hanc legem commemorat Cornelius Papa in Epist. ad Fabium Episcopum Antiochenum, apud Eusebium, *Hist. Eccles., lib. VI, cap. 43* (1). Et in Decreto in *can. unic. dist. 57*, refertur canon Concil. Neocaesariensis ita conceptus: « Si quis in aegritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est; *nisi forte ipsius*

(1) Nihilominus uti advertit Bened. XIV, *De Syn.* (XII, 6, 7), homines sancti, veluti Constantinus Imp. et ipsi Augustinus et Ambrosius baptismum distulerunt in *adultam aetatem*; sed in eis pietatis *studium* et *fides probabilis fuit.* - Quare si haec ratio non excuset, qui differt baptismum peccat in legem Eccl. et fit irregularis, sed sensu *improprio.*

studium et fides probabilis fuerit et hominum raritas exegerit ». Qui non obtemperat isti legi arcetur a s. ordinatione non ratione *delicti*, sed ob *defectum fidei* quem prodit. - Quaeritur an qui adultus suscipit baptismum, non ob periculum mortis sed ob aliud discrimen, veluti ob metum vel ob necessitatem non amittendae haereditatis, an iste patiatur idem impedimentum quoad ordines, quod patitur *clinicus?* Negant plures DD. quia hoc non est *expresse* cautum in iure. Cf. Gasparri, *272*. - Sed obstat aliquod impedimentum *iuris naturalis*. - Imo verior videtur sententia quae tenet etiam *clinicos* esse *improprie* irregulares, uti docet D'Annibale (I, 415); et ipse Suarez (XLII, 1, 6) qui tradit juxta canonem *citatum*, Episcopi *sufficere* dispensationem si *una* saltem ex conditionibus verificetur in canone expressis. - Et haec sententia pro locis ubi maxima adest penuria sacerdotum tuta est practice.

277. In Concil, Trid. *sess. 23, cap. 4, De ref.* decernitur *« Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint etc. »*. Inde enata est controversia an nova irregularitas constituta sit a Concil. Tridentino. Id negant Suarez (XLII, 3, 14) et Reiffenst. (V, 29, 7); at affirmant Giraldi, *Exposit. Iur. Pont. II, sect. 91,* et De Angelis, *lib. I, tit. 11, n. 9*. - Sed ob notionem explicatam de *propria irregularitate*, patet hic agi de irregularitate *impropria* quippe quae evanescit ex *facto* secutae confirmationis, nimirum non est *perpetua*. Quare S. Cong. Concil. in Augustana, *27 Sept. 1601*, quam supra retulimus (p. 286 *not.*) intelligenda est locuta fuisse de irregularitate *impropria* seu de impedimento ad s. ordines recipiendos et hinc ad collationem beneficiorum.

§ 5. *De irregularitate ex defectu corporis.*

Summarium. 278. Irregularitas ex defectu corporis est propria irregularitas. — 279. Quomodo distinguenda ab *impropria*. — 280. Origo historica. — 281. Regulae quae definiunt et moderantur huiusmodi

irregularitatem etiam quoad dispensationem. — 282. Quinam sit iudex de adiunctis facti quibus maxime gignitur irregularitas. — 283. Iudici Ecclesiastico in primis prae oculis habenda est iurisprudentia SS. CC. - Inde nonnulla rescripta afferuntur. — 284. De morbo epileptico et in genere de morbis physico-moralibus. — 285. De defectu staturae. — 286. De deformitate corporis. — 287. De defectibus quod ad singula membra et inde de caecis aut caecutientibus. De oculo *canonis*. — 288. De surdo aut surdastro. — 289. De mutu aut balbutiente. — 290. De defectibns in brachiis; — 291 in digitis et manibus, — 292. in cruribus et pedibus.

278. Quaenam vero propriae sint irregularitates provenientes ex defectu corporis modo dicemus. D'Annibale (I, 413) censet omnes irregularitates *ex defectu corporis* accensendas esse inter *improprias*. At nimis rigida haec sententia videtur nec exacta ad iurisprudentiam praesertim S. C. Conc. - Nam fere quotidie contigit, Episcopos dispensationem petere pro clerico vel promovendo vel iam promoto, aliquo defectu corporis laborante, qui non impedit absolute ministerium ecclesiasticum sed idem reddit minus utile et decorum; et S. C. C. omnibus rite perpensis, deliberat an sit locus dispensationi a SSmo impetrandae. Sane diffitendum non est, aliquando Ordinarios recurrere etiam in casibus *impropriae* irregularitatis, quando dubitant an irregularitas adsit vel minus et tunc S. C. C. vel determinat irregularitatem non existere, vel Ordinariis consulit ut ipsi pro suo arbitrio et conscientia, si satis idoneum et dignum existiment, oratorem a sacro ministerio non arceant, vel *ad cautelam* curat ut dispensetur a R. P. - Proinde mihi videtur explorati iuris esse, ex lege canonica adesse proprias et veras irregularitates *ex defectu corporis*, tamen non esse *taxative* sed solummodo *demonstrative* determinatas. Quocirca in casibus peculiaribus facilis obrepit dubitatio, an vigeat irregularitas, et praeterea apud ipsas SS. CC. non raro appellatur irregularitas quae *improprie* tantummodo talis dici potest. Nihilominus adsunt

certae regulae pro distinguendis *propriis* ab *impropriis* irregularitatibus.

279. Revera irregularitatibus a iure positivo expresse constitutis accensenda non sunt ea impedimenta quae ex iure divino vel naturali aliquos prohibent a sacro ministerio. Ita foemina *iure divino*, caecus vero vel amens, publicus criminosus inemendabilis iure ipso naturali arcentur a ministerio sacerdotali. At inter absolute ineptum, veluti absolute coecum et perfecte sanum adsunt quamplurimi gradus infirmitatis vel deformitatis, non secus ac inter absolute pulchrum et absolute deforme. - Iamvero provincia iuris positivi in irregularitatibus constituendis haec est, ut illi qui aliqua foedantur corporali infirmitàte vel debilitate excludantur a ministerio sacro, quatenus, uti cavet caput 2 *De clerico aegrot. X* (III, 6) « *nec secure propter debilitatem nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus* ».

280. Pro veteri Lege haec impedimenta iubebantur in Lev. *Lib. 21, c. 16 sq.* - In Ecclesia christiana, quinque prioribus saeculis, quia lex vetus coeremonialis per Christi mortem evacuata est, praevaluit disciplina e diametro adversa, nempe, non *corporum vitia sed religionem et vitam contemplari* (1). Sed haud credi potest, prioribus *quinque* saeculis a servitio altaris eos prohibuisse dumtaxat Episcopos, quos ius divinum aut naturalis impotentia repellebat et ipsos nullam habuisse rationem honestatis et decoris sacri ministerii. - Re sane vera a. 449 Gelasius Papa in Epistola partim relata in *can. 1, dist. 36* in Decret. Gratiani edicit quinam *corpore vitiati* et *nonnulla parte corporis imminuti* ad ecclesiasticum servitium venire non debeant. Verum non intendit Pontifex novam condere legem sed probatos mores tueri et *receptam* disciplinam inculcare. Post

(1) Haec disciplina refertur in Const. Apost. *lib. VI, cap. 23*, apud Pitra, *Ius eccles. Graec. hist. et monum. vet. tom. I, pag. 335*. Cf. Thomasinus *II lib. 1, c. 78, n. 1 sq.*; Philipps *op. cit. tom. I*, § *47 sq.*

saeculum quintum decreta conciliorum et Rom. Pontificum rescripta (1) expressius determinarunt, quinam dicendi essent irregulares ex defectu corporis. Postrema decreta, hac de re edita, continentur in collectione Gregorii IX.

281. Modo explicabimus regulas quae moderantur hanc speciem irregularitatum quamvis *abstracte* certi limites determinari non possint, sed potissimum attendenda sunt adiuncta facti *concreti:*

1) Irregularitas oritur *ex defectu corporis* sive ingenito sive acquisito sive per culpam sive absque culpa, quando defectus talis sit ut vel necessario sit perpetuus vel si etiam disparere potest, hoc tamen non arguitur certo ex qualitate defectus, (prouti fieret in defectu staturae in puero) sed forsan vel ex operatione chirurgica vel ex alia causa eventuali et incerta.

2) Quare illi morbi, uti epilepsis, qui aliquando progressu temporis disparent vel saltem disparuisse videntur sed postea iterum insurgunt aut ingravescunt, constituunt irregularitatem et proprie dispensantur a S. Pontifice, et possent dispensari *absolute* sed solent dispensari *relative*, nempe sub clausula *reincidentiae*. Eadem de ratione dispensatio restringitur aliquando ad certum tempus, sub clausula, *usquedum morbus ingravescat*, vel *ad triennium et quatenus morbus non ingravescat*.

3) Defectus vero talis esse debet, relate ad sacros ordines, ut quis ob *carentiam* alicuius membri aliquos ritus sacrae liturgiae congrue seu *rite* peragere non valeat, vel ob *delibitatem* membri *secure*, vel ob deformitatem corporis non sine *scandalo* et populi *admiratione* perficere possit. Revera in *cap. 2 De cleric. aegrot.* Papa presbytero cui duo digiti cum medietate palmae abscissi fuerant a praedone non permisit missam

(1) Cf. CC. Decret. Grat. 10, dist. 34; 10 dist. 55; 3 dist. 33; 1, caus. 7, q. 2; *cap. 4, De cleric. aegrot.* X (III, 6).

celebrare « *quia nec secure propter debilitatem nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus* ». At in *cap. 1 De corp. vitiat.* permissum fuit presbytero Missam celebrare « *cum ipse non perdiderit tantum de digito quin sine scandalo possit solemniter celebrare* ».

4) Haec irregularitas, non secus ac aliae, prohibet susceptionem ordinum et *per consequens* exercitium susceptorum; sed, ob indulgentiam iuris, iam *promoti* ob supervenientem irregularitatem, prohibentur tantumdem ab exercitio illius ordinis quem non *rite* aut *secure nec sine scandalo* exercere valent. - Unde Papa usque faciliorem se praebet in dispensatione impertienda *promotis* quam *promovendis;* arg. *c. c. 2 De cleric. aegrot. X* (III, 6) et 1 *De corp. vitiat. X* (I, 20).

5) Quia diversi gradus s. ordinationis spectant ad conficiendam s. eucharistiam in sacrificio Missae, qui non *rite* aut *secure* nec *sine scandalo* Missam celebrare valet, prohibetur a prima quoque tonsura.

6) Quoad iam *promotos* qui *mala fide* occultantes defectum ordines assequi potuerunt, hi videntur non posse invocare, in suam partem, indulgentiam seu dispensationem iuris permittentis clericis *iam promotis* exercitium illorum ordinum quos sine scandalo peragere valent; siquidem praesumitur ius, quoad hos promotos, nolle dispensare; secus isti ex sua malitia commodum reportarent (1).

282. Quia irregulares non sunt ad ecclesiasticum servitium *promovendi* et iam *promoti*, superveniente irregularitate, ministrare non debent, nisi quatenus iuris indulgentia patitur, munus Episcoporum est invigilare, ne irregulares in sacrum

(1) Hic invocamus *malam* fidem quamvis absolute admittamus principium a d'Annibale inculcatum (I, 406, not. 18), *b.* vel *m.* fidem non inducere irregularitatem quia haec a iure positivo constituuntur et *nostra existimatio rerum veritatem non mutat;* sed *mala* fides in themate attendenda est quatenus videtur obstare indulto dispensationis.

ministerium se intrudant neque in eo ministrent et in *casu dubii* declarare, an irregularitas vigeat vel non. - Praxis est SS. Congregationum, sive expetatur eiusmodi dubii solutio sive dispensatio irregularitatis, ut istae expostulent votum Magistri coerimoniarum qui experiri debet attente defectus quantitatem et qualitatem. Voto Magistri coerimoniarum et precibus Oratoris suum addat votum Episcopus oportet, quod maxime attendunt SS. CC. maxime quando magnopere commendantur mores Oratoris eiusque merita nec non comprobatur Ecclesiae utilitas aut necessitas. - Sed quum facto experimento et examine, *dubia* est irregularitas, dispensat quoque Episcopus, iuxta exposita.

Quoad iam *promotos* declarare an hi irregularitate prohibeantur ab aliquo actu ordinis ministrando, per se pertinet ad Episcopum in cuius dioecesi domicilium habent vel quasi domicilium; imo quique Episcopus de clerico in sua dioecesi peregrino iudicium ferre valet an ei permitti possit sacrorum ministratio. - Praelati Regulares, si eorum subditi clerici ministrent intra monasterium, declarant an irregularitatem incurrerint cuius iudicio Episcopus stare non tenetur quando religiosus celebrat et administrat extra monasterium.

Quoad *promovendos* est Episcopus *proprius* qui sedulo explorat an obstet irregularitas quominus ordines conferantur. Sed litteris acceptis dimissoriis Episcopus ordinans non tenetur dimittentis stare iudicio. Item Episcopus ordinans non tenetur stare iudicio Superioris Regularis. Cf. Suarez, *50, 2, n. 13 sq*. Smalzgrueber *I, 20, n. 15 sq.*

283. Cum referamus ad ius naturale defectus qui *omnimode* prohibent sacrorum ordinum exercitium, superest ut ex *iure positivo* et ex legitima *usuali* vel *iudiciali* interpretatione canonum desumamus criteria ad mensurandam qualitatem et quantitatem defectus unde oritur irregularitas. Nos pro declaratione principii aliqua afferemus exempla potissimum ex iurisprudentia

S. Cong. Concilii ad summa capita reducentes potiores defectus (1).

284. Morbus *epilepticus* seu *comitialis* quo qui afficitur vel in terram ruit viribus corporis deficientibus et extra sensus rapitur vel convulsionibus quatitur nervorum unde omnes actus externi deliberati impediuntur, est sane morbus quammaxime distans a reverentia et securitate requisita in ministerio sacro; unde qui *actu* eiusmodi morbo laborat est omnino inhabilis et dispensationi locus esse non potest. At nonnulli qui ante pubertatem passi sunt hunc morbum, postea plene convalescunt neque in eumdem reincidunt. Quod si in probatis existat nulla viget irregularitas. - Quando vero post *pubertatem* morbi aggressiones habentur, caute S. Cong. Concilii dispensat; veluti in una Reatina et Nursina *die 14 maii 1831* dispensavit cum quodam iuvene qui dum *in seminario moraretur quater vel quinquies in ultimo domicilii sui anno tali fuit affectus morbo* - ita in precibus; et hoc prodiit rescriptum « *Pro gratia dispensationis ab irregularitate dummodo ante promotionem ad subdiaconatum in morbum non inciderit et firma eadem conditione pro susceptione reliquorum ordinum citra dispensationem ab interstitiis arbitrio et conscientia Episcopi Reatini facto verbo cum SSmo* ». Item in Treviren. *die 11 Ian. 1868.* Verum S. Cong. Concilii in una Tudertina - *die 19 Iulii 1704* irregularem minime esse censuit clericum qui deliquio animi ex improvviso correptus (quod tamen medicus ex morbo epileptico

(1) In hac recensione sequimur potissimum Collectaneam iam cit. nempe *Causae selectae in S. Cong. Concil. propositae per summaria precum* collectae a Lingen et Reuss ed. Pustet 1871. - Ubi plures legi possunt per extensum causae quas citabimus. - Ast adverti debet huiusmodi Collectionem nullimode esse *authenticam;* quare rescripta ibi relata nullam habent vim nisi quatenus sunt conformia *originalibus* quae prostant in archivo S. C. - Iamvero aliquando ex oscitantia amanuensium rescripta non bene relata sunt, quod, arrepta occasione, adnotabimus.

processisse dubitaverat) nullum ulterius per plures annos simile deliquium passus fuerat. Item in una Volaterrana *die 9 Iulii 1825*. Cf. Reiffenst. *III, 20, n. 19* - Ferraris v. Irregularitas *n. 12.*

Quum vero agitur de iam *promoto* irregularitas urgetur dumtaxat quoad actus ministerii qui secure et decenter expleri non possunt, prouti expostulat regula iam exposita. Quando autem ex iudicio medicorum et ex adiunctis pateat morbum penitus evanuisse, tunc ipse Episcopus aut Superior regularis, respective, veniam facere possunt sacerdoti libere exercendi suum ministerium. Revera in una Nannaten. Episcopus pro presbytero qui morbo comitiali seu caduco ab aliquo tempore laborabat, dispensationem petiit adeo ut praevia dispensatione ab irregularitate sibi facultas tribueretur qua possit *pro sua prudentia sacerdoti missae celebrationem permittere, assistente tamen alio presbytero, et dummodo morbus non ingravescat*, et rescriptum prodiit *die 21 Iulii 1832* « *Pro gratia dispensationis et rehabilitationis arbitrio, conscientia et iuxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo* ».

At morbus infelicis sacerdotis gravior effectus est in dies et Episcopus iterum recursum habuit ad S. Cong. referens « *Sacerdos ipse valde commendabilis, zelo animarum flagrans, aegritudine angitur eo quod sit ad inertiam damnatus, reveraque fidelibus utilis esse posset si licentiam haberet praedicandi et catechizandi et fidelium confessiones excipiendi quod quidem absque gravi incommodo fieri posse videtur* ». Sane Episcopus probabat, ex attestationibus ipsius sacerdotis, hos ministerii actus interim illum posse explere absque ullo periculo et ad hos petebat habilitari, non ad Missae Sacrificium. Responsum prodiit *die 3 Aug. 1833* « *Iuxta exposita non indigere* ».

Deinde sacerdos a morbo convalescere visus est et ingeminatis precibus apud S. Cong. Concilii ut ei fas esset altare

conscendere, hoc obtinuit indultum *die 19 Aprilis 1845* « *Pro gratia dispensationis et rehabilitationis ad SS. Missae sacrificium cum assistentia alterius sacerdotis et cum reincidentia si in morbum relabatur arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo* ». In Aturen. S. Cong. pro casu haud dissimili, *die 24 Sept. 1832* respondit « *Consulendum SSmo pro dispensatione dummodo celebret cum assistentia alterius sacerdotis* ». Item in Rossanen. *die 24 Maii 1823;* in Tropien. *die 26 Ian. 1878.*

Morbus epilepticus, qui *comitialis*, *sonticus* et *caducus* appellari solet, non immerito habetur uti morbus *phisico-moralis* ob influxum quem in eumdem exercent animi passiones. Quod in eius perpendenda gravitate sedulo adverti debet.

285. *Pusillitas staturae* est causa irregularitatis. - In una Taurinen. *Dispensationis ab irregularitate* Episcopus referebat « In clero meo est clericus D. qui in aetate 24 annorum adeo parvae est staturae ut vix altitudinem unius metri et 33 centimetrorum attingat; praeterea cruribus varus est et aliquantulum gibbosus, capite grosso et debilissimae visivae facultatis. Misi eum ad domum Missionis Taurinensem ut experimentum ad altare subiret et iudicatus fuit irregularis et ad celebrandum inhabilis nisi privatim et in altari pro eo expresse constructo ». Omnibus perpensis rescriptum prodiit *die 29 Ian. 1848* « *Consulendum SSmo ut concedatur facultas Archiepiscopo pro suo arbitrio et conscientia dispensandi et habilitandi* (1) *clericum D. ad omnes ordines usque ad presbyteratum inclusive servatis servandis, dommodo celebret in oratorio privato vel in Ecclesia hora minus frequentata* » et in Pisana in eisdem pene rerum adiunctis rescriptum fuit *die 21 Nov. 1840*

(1) Advertatur, S. Cong. solere *dispensare* et *habilitare* quia irregularitates sunt quasi-inhabilitates; et casu quo non sint *propriae* irregularitates, sunt plus minusve naturales inhabilitates seu *inidoneitates*, ad quas magis spectat rescriptum *habilitationis* quam *dispensationis*. Rescriptum vero aliquando expeditur in forma *Brevis*, uti in rescripto postea allato.

« *Consulendum SSmo pro dispensatione et habilitatione ad ss. ordines usque ad presbyteratum inclusive etiam ad Missae celebrationem in oratorio tamen privato tantum et in altari prudenti arbitrio Archiepiscopi cum consilio caeremoniarum magistri approbando quod conveniat pusillitati eiusdem Oratoris et cum indumentis eidem aptis, per Breve facultativum* ». Item in S. Agathae Gothorum *die 14 Decemb. 1844.*

286. Isti et alii huiusmodi morbi aut defectus totum corpus ita afficiunt ut hominem reddant deformem aut aegrotantem aut alias ineptum s. ministerio. - Exinde repelluntur a s. ordinatione qui syphili (vulgo morbo *gallico*) laborant, qui nimiis capitis doloribus torquentur, leprosi, abstemii; arg. *c. c. 3, 4, De cleric. aegrot. X* (III, 6) et *13, 14, caus. 7, quaest. 1.*

287. Praeterea singula membra aliqua deformitate aut debilitate aliquando laborant unde quis nec *rite* nec *decenter* nec *secure* in ordine ministrare valet.

Oculus vel *oculi* ita possunt esse vel affecti infirmitate ut careat virtus visiva aut vehementer sit tenuis, vel adeo deformes ut risum aut contemptum moveant, veluti in *strabone* qui aciem oculorum in diversa convertit et inaequaliter dum rem intuetur. - Quoad hos defectus maxime distinguendus est *promotus* a *promovendo.*

Etenim qui oculis penitus captus est, equidem, ipso iure naturali est inhabilis ministerio altaris neque dispensationi esse potest locus nedum in *promotis*, prouti exponitur in *folio* Carcassonen. - *Dispensationis ab irregularitate* apud S. C. C. *die 27 Feb. 1869;* dum e contra in Florentina *die 23 Aug. 1727* dispensatio concessa fuit sacerdoti qui caecutire coepit, facta ei venia ut eamdem Missam B. M. V. semper celebret. Item in Venetiarum *die 22 Feb. 1851.*

Quare *promovendos* quod attinet sunt *irregulares*, sensu iuris, tum *caecutientes* ob debilitatem facultatis visivae, tum *deformes* ob insignem defectum unius oculi aut utriusque.

Caecutientes, maxime ob timorem serius ocius supervenientis caecitatis, non solent dispensatione donari, uti decretum fuit in Vercellen. *die 28 Iulii 1860;* in Carcassonen. *die 27 Feb. 1869.* - Ad rem iuvat referre rescriptum nuper editum a S. C. C. in Augustana *die 17 Iunii 1899* quamvis plane habendum sit exceptionis instar. Quidam laicus N., in aetate 24 annorum, moribus et doctrina probe instructus, at oculis prope captus expetebat « ut omnibus ordinibus initiari possit atque ob dictum defectum sibi liceat missam B. M. V. vel pro defunctis celebrare ac officium B. M. V. recitare loco totius divini officii ». Interim hic iuvenis ingressus est quoddam institutum caecis alendis et erudiendis destinatum et certa exsoluta summa, *ibi per totam vitam permanendi ius sibi comparavit.* - Operam dedit studiis theologicis et referebatur in Episcopi commendatitiis litteris « Oratorem possidere biblia sacra, nonnulla sacrae doctrinae, nempe dogmaticae, historiae eccles. liturgiae, asceticae compendia... aliosque libros necessarios qui praefati omnes exarati sunt typis elevatis caecorum conditioni accomodatis.. nec non facile legere Missale ad usum sacerdotum caecutientium accommodatum et cum approbatione S. Rit. Cong. Ratisbonae a Pustet typographo editum ». Praeterea referebatur, posse Oratorem Missam convenienter celebrare et fidelibus convenienter S. Communionem administrare. Deinde precibus ita rescriptum fuit « *Pro gratia dispensationis ab irregularitatis defectu dummodo orator celebret cum adsistentia alterius Sacerdotis facto verbo cum SSmo* ».

Ob defectum unius oculi, ut puta funditus eruti, in homine non semel tanta est deformitas ut stomachum moveat, et tunc non conceditur dispensatio.

Praeterea attendi debet an deficiat oculus *sinister* qui dicitur *canonis*, an *dexter*. Quando deest oculus *dexter* quin ulla specialis obstet deformitas et *sinister* pollet integra facultate visiva nulla adest irregularitas; si secus, casus habetur hominis

caecutientis. - Oculus *sinister* dicitur *canonis* quia si hic desit aut vehementer sit debilis adhiberi debet in legendo *canone* Missae oculus *dexter;* at hoc fieri non potest nisi gravi capitis conversione et inclinatione; inde oritur irregularitas ex defectu oculi *canonis,* in qua tamen solet dispensari quando tanta est acies visiva oculi *dextri* ut cum parva et parum indecenti capitis conversione canon legi possit; in hisce adiunctis dispensatum est in Florentina *die 19 Aprilis 1823* et in Hydruntina *die 21 Feb. 1824.*

Porro ex defectu oculi *canonis* et ex magna debilitate potentiae visivae in oculo *dextro* etiam in iam *promoto* oritur irregularitas et planum est.

288. Surdus qui *auditu* penitus caret nempe in ambabus auribus est sane irregularis sed distingui debet *promotus* a *promovendo.* Nam *promotus* non inde prohibetur a Missa celebranda quia, uti notat etiam Suarez (LI, 2, 9), potest ministrum adhibere qui ei Missae inserviat advertens eius responsiones ex motu labiorum, sed ipse prohiberetur ab audiendis confessionibus quas excipere non posset nutibus vel alio signo conventionali. - *Promovendus* est utique irregularis etiam ad Missam celebrandam sed dispensatum fuit in Treviren *die 27 Ian. 1855,* - *usque ad presbyteratum inclusive.*

Surdi ex alterutra aure non sunt irregulares. Surdastri vero quotiescumque defectus sit notabilis solent dispensari *ad cautelam,* ita in una *Irregularitatis - die 29 Maii 1869.*

289. Mutus qui vocem in verba nullimode contexere valet est inhabilis, ipso naturali iure, ad sacrum ministerium; sed non bene, uti notat Gasparri *n. 261,* inde nonnulli inferre audent, nullam esse ordinationem muto collatam; quia iste *per se* est subiectum habile et, *per accidens,* ex defectu loquelae Missam aliaque munia sacerdotii obire non valet. - Itaque irregularitas propria oritur in *balbutiente* qui si tanto laboret defectu ut verba non proferat distincte et quae intelligi possint

cum oriatur dubium an verba *formalia* in conficiendis sacramentis proferantur, non dispensatur ne cum *promotis* quidem; uti edictum est in Imolen. *die 14 Ap. 1852.*

290. Demum quoad defectus in *brachiis*, in *manibus*, in *cruribus* haec teneantur. - Qui caret utroque brachio vel utrumque habet sed motibus ineptum non est irregularis sed inhabilis iure naturae et hoc indubitati iuris est. - Qui tantum alterutro caret et potissimum *sinistro* et defectui supplet per brachium *fictitium*, est irregularis at dispensationum exempla abundant, adiectis tamen opportunis cautelis, veluti quod celebranti adsistat alius sacerdos superpelliceo indutus et celebretur in oratorio privato, et digitalia aurea vel argentea religiose asservanda adhibeantur in manu fictitia. Revera in una Panormitana, Oratori qui promoveri postulabat quamvis uno brachio uteretur fictitio, S. C. C. *die 20 Aprilis 1850* rescripsit: « *Attentis peculiaribus circumstantiis consulendum SSmo pro gratia dispensationis et rehabilitationis cum conditione celebrandi in oratorio privato, digitalibus aureis vel argenteis quae expleto sacrificio reverenter reponantur, ac propterea quolibet anno renovandi experimentum coram caerimoniarum magistro ab Emo Archiepiscopo vel ab Ordinario pro tempore deputando, ita ut si orator in aliquo deficiat reincidat in irregularitatem et ad S. C. recurrere iterum teneatur, per Breve* ».

Pro locis missionum ubi gravior urget sacerdotum penuria et affabre aptari difficile valent brachia fictitia, indulta est etiam facultas celebrandi cuidam Sacerdoti qui inter venandum, brachium sinistrum, ignea ballista e suo ignitabolo explosa, ita habuit vulneratum ut idem abscindi debuerit; nam S. Cong. Rituum *die 8 Martii 1884* hanc dedit responsionem quam ita refert Gasparri n. 262 « *SSmus, attentis expositis, preces remittit Rmo Vicario Apostolico Madraspatanensi qui oratori, nomine et auctoritate S. Sedis expetitam dispensationem ad*

annum tantummodo concedat iniuncto onere ut ipsi oratori sacrum libanti alter sacerdos superpelliceo indutus continuo assistat et amoto quovis irreverentiae aut scandali periculo, verum onerata super iis conscientia eiusdem Rmi Apostolici Vicarii qui antequam huiusmodi experimenti annus expiret referat eidem SSmo D. N. utrum in Missa ab Oratore cum exposito defectu celebrata aliquod inconveniens ortum fuerit ». Sed defectus brachii *dextri* est valde gravior et exempla dispensationum forsan non reperiuntur.

291. *Ex cap. 2 De cleric. aegrot.* est irregularis qui duobus digitis caret et medietate palmae. Item est irregularis qui caret digitis aut pollice aut indice aut medio aut annulari in manu dextera; in manu sinistra si duobus ultimis digitis careat forsan non est irregularis. Nil refert an digiti ex integro careant aut tantum in prima vel in altera falange motibus pene impares sint vel ob gracilitatem vel ob paralysim. Sane digiti praesertim in manu dextera debent inservire ad *rite* et *secure* sumendam eucharistiam in sacrificio Missae. Quamobrem qui alios digitos manus dexterae habet tam debiles ut in sumendo calice disiungere debeat pollicem ab indice est irregularis; et clerico *promovendo* denegata fuit dispensatio in Patavina *27 Aprilis 1867;* sed iam *promoto* seu sacerdoti concessa fuit in Melevitana *die 17 Decemb. 1853* addita tamen conditione, videlicet: « *indicta tamen oratori lege ut ante sumptionem digitos super calicem diligenter abstergat* ». Item in Burgen. *die 23 Ian. 1864* cuidam expetenti per dispensationem ad sacros ordines promoveri quum careret dimidia parte superioris falangis pollicis et indicis manus dexterae dispensatio fuit denegata; at haec concessa fuit in Sabarien. *die 6 Iun. 1863,* Sacerdoti qui pollicem et indicem manus sinistrae amiserat et sibi comparaverat digitos ficticios; ita enim rescriptum fuit: « *Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia dispensationis et habilitationis iniuncto tamen onere ut amissis digitis*

suppleatur duobus digitatibus argenteis inauratis iuxta relata ab Episcopo et dummodo his digitatibus in nulla alia actione utatur et ea reverenter custodiat in capsula, facto verbo cum SSmo ». In Geruntina *die 26 Aprilis 1788* dispensatio concessa fuit sacerdoti qui digitos in manu *sinistra* omnes amisit; in una Ord. Min. S. Francisci *die 15 Iunii 1893* dispensatum fuit cum sacerdote qui carebat *pollice, indice* et *medio* sinistrae manus.

Quoad defectus *manuum* recolantur quae diximus *de brachiis*. - Sane manus *sinistra* sive careat sive sit impotens minorem constituit defectum quam manus *dextera;* et quum manus *sinistra* impeditur ob morbum qui ingravescere solet etiam de repente, si dispensatur clausulae adduntur, nempe *celebrandum esse in oratorio privato cum assistentia alterius Sacerdotis, et examen singulis annis habendum esse;* ita in Ventimilien. *die 20 Aug. 1887*, et in Olomucen. *die 30 Maii 1891.* - Imo *die 24 Maii 1878* ita dispensatio concessa fuit sacerdoti qui *brachio dextero* uti non valebat « *Pro gratia dispensationis et rehabilitationis arbitrio et conscientiae Episcopi dummodo celebret cum assistentia alterius sacerdotis* (1) *ad triennium et quatenus interea morbus non ingravescat* ». Nihilominus in Colonien. *die 31 Martii 1860* gratia concessa fuit clerico ut manu *laeva* uteretur in sacris Missae caeremoniis quia manu *dextera* se crucis signo munire nec calicem ori admovere valebat; et in Novarien. *die 27 Iunii 1891* dispensatio data fuit oratori cui dexterae manus pollici una phalanx et indici duae deessent; et in alia Colonien. *die 2 Martii 1895* indultum fuit sacris ordinibus initiari oratorem qui sinistram manum habebat male formatam cum quatuor digiti concreti essent, et membrana quadam inter se iuncti.

(1) Quando de morbo agatur qui subito ingravescere potest adeo ut impediat sacrificii Missae prosecutionem exquiri solet Sacerdotis *ieiuni* adsistentia. Sed haec *qualitas* non exquiritur nisi exprimatur.

292. Defectus in *cruribus* et *pedibus*, si graves, faciunt irregularem. Claudos irregulares esse edixit Zacharias Papa in Concil. Rom. a. 741, in Decreto *can. 57, dist. 1, de consecrat.;* dummodo tamen defectus sit valde gravis, arg. *can. 10 dist. 55*, veluti si quis sine baculo ad altare ire et consistere nequeat. Quamvis S. C. C. cum iam *promotis* facilius dispenset, tamen etiam cum *promovendis* aliquando faciliorem se praebuit. In Cathacen. *17 Decemb. 1859* dispensatio indulta fuit sacerdoti quem cruribus adeo esse praepeditum referebat Episcopus ut nonnisi manu super humerum assistentis posita ad infimum altaris gradum genuflectere valeret (1). - In Asculana *die 20 Feb. 1808* permissum est s. ordinibus initiari oratorem qui propter renium debilitatem claudicans genuflexionem vix genu sinistro incohabat, dexterumque genu vel utrumque simul flectere nullatenus absque alterius auxilio valebat. Item in Comaclen. *die 3 Decemb. 1863.*

Qui pede tantum vel pede et crure carent aut pede fictitio affabre instructo utuntur si promoveri petant difficillime dispensatione hactenus donantur; sane perpauca extant exempla prouti notatur in *folio* Mediolanen. *die 14 April. 1894;* et in Bergomen. *die 22 Sept. 1866* dispensatio concessa fuit at sub clausula « *in exemplum non adducenda* ».

Defectus in pedibus non facit claudum sed deformem. Ita ille est irregularis qui pedem habet *varum* idest deformiter inclinatum versus pedem alterum. Attamen cum *promovendo* dispensatum fuit in Soanen.-Pitilianen. *22 Sept. 1866;* item in

(1) In collectanea cit. Lingen et Reuss, relata hac causa, apponitur rescriptum: *Non expedire.* - Sed revera in libris Decretorum apud S. C. C. ita refertur rescriptum: « *Pro gratia dispensationis et habilitationis servatis tamen conditionibus ab Episcopo propositis, facto verbo cum SSmo* ». Episcopus vero proponebat dispensationem esse *valituram dumtaxat in patria aliisque propinquioribus oppidulis ubi ipse sit notus ac incolarum conventus in divinis minus frequens esse soleat.*

Marsicen. et Potentina *die 27 Maii 1899* cum *promovendo* qui pedem habebat *equinum*, sed non apparenter ita deformem ut defectus vel non tegi posset, vel gravis admodum dici deberet dispensatum fuit *ad cautelam*. - Item ex cruribus adeo distortis ut ne veste quidem talari defectus obtegi possit, enascitur irregularitas et dispensationis prodiit rescriptum in Pennen. *die 28 Ian. 1832*.

Caput III.

DE SINGULIS IRREGULARITATIBUS QUAE SIVE EX DEFECTU SIVE EX DELICTO CONTRAHI POSSUNT.

Huc refer. tit. 21, lib. I, X et 12; lib. 1 in 6 et 12; lib. V, X; et 4 lib. V in 6.

Summarium. — 293. Qua ratione eadem irregularitatis species aliquando ex *delicto* aliquando ex *defectu* proveniat. — 294. De bigamia. — 295. De homicidio et mutilatione.

293. Causa irregularitatum *proxima* uti, suo loco, explicavimus est aut *defectus* aliquis aut *delictum.* Una et altera causa in hoc conveniunt, quoad effectum, ut irregularitas sit *quasi inhabilitas* seu *impedimentum* ad s. ordines suscipiendos et hinc exercendos. At nihil prohibet quominus idem impedimentum immediate proveniat sive ex *defectu* sive ex *delicto*, prouti in membris humani corporis inhabilitates ad proprios actus contrahuntur vel ex defectu naturaliter indito vel ex defectu culpa acquisito. Verum adverti debet, irregularitates non intelligi nisi in iure expressas sed earumdem *causam proximam efficientem* non in iure necessario determinari sed Doctores in ista determinanda adlaborasse adeo ut aliquando DD. non conveniant in una vel altera *proxima* causa assignanda, quamvis irregularitas in iure expressa sit. Haec DD. discordantia habetur in explicanda irregularitate *ex bigamia.*

294. Bigamia quatenus est causa *irregularitatis*, consistit in *iteratione* nuptiarum; unde irregularis *bigamus* ille est qui duas *successive* habuit uxores. Secundae nuptiae etiam apud gentiles habitae sunt uti minus probatae, quia vir qui prima mortua uxore alteram ducit uxorem, per se, animum significat in venerem effusum, et hinc propter *suspicionem incontinentiae* a servitio altari arcendus est. - Sed hic defectus naturalis, posteaquam matrimonium evectum fuit a Christo D. ad digni-

tatem sacramenti, afficit etiam *rationem sacramenti*, exprimentem *unionem Christi cum Ecclesia* indissolubilem. Quamobrem bigamus quia suam carnem commiscet non uni tantum sed duabus uxoribus, in secundis nuptiis non obtinet *plenam rationem sacramentalem*. Porro secundae nuptiae etiam *liturgice* sunt minus solemnes. Iamvero bigamiam, qua est impedimentum ad s. ordines, luculenter comperimus a D. Paulo qui ad Timotheum 1 scribebat *cap. 3:* « Oportet Episcopum irreprehensibilem esse *unius uxoris virum*... Diaconi sint *unius uxoris viri* ». Item in epist. ad Titum I, 6. - Qua lege aperte Apostolus comprehendit etiam presbyteros, hos significans sub nomine Episcoporum; ita enim latissime ea aetate usurpari solebat Episcopi vocabulum. Sed non significatum fuit a D. Paulo an irregularitas ex bigamia oriretur ex *suspicione incontinentiae* vel magis *ex defectu rationis sacramentalis*.

Patres Ecclesiae graecae, ita S. Chrysostomus *in epist. ad Titum l. c.;* et una cum his S. Hieronymus *can. 1, dist. 26.* bigamos volunt ab altari prohiberi *ob suspicionem incontinentiae*. - Ex adverso in Ecclesia latina, duce S. Augustino, *can. 9, caus. 31, q. 1*, potior aestimatus fuit defectus *rationis sacramentalis;* unde Gregorius M. *ep. 54, lib. II*, ait bigamos repellendos esse ab ordinibus *ne sacramentum utique corrumpatur*.

Opera et studio scholasticorum, saeculo XII et XIII, receptum est generatim, ut bigamiae irregularitas repeteretur ex defectu in *signaculo sacramenti*, iuxta Augustini doctrinam; quod irregularitatis fundamentum declaratur expresse in *c. c. 4, et 7, De big. non ord. X* (I. 21). Cf. Devoti *Ius can. univ. h. t.* § *3, in notis*. Inde factum est ut bigamiae *verae* quae consistit in duplici coniugio, accessererit, ob *interpretationem* innixam maxime *suspicioni incontinentiae* bigamia *interpretativa* qua consideratur *duplex* coniugum quando vel *unum* revera initum est validum sed *alterum* est *attentatum*, vel si quis uxorem ducat aut *viduam* ab alio corruptam aut etiam *solutam*

sed ab alio cognitam. - Denique ob *similitudinem* quamdam accessit etiam, *ex placitis* DD. bigamia *similitudinaria*, quae considerat *unum* coniugium non *carnale* sed *spirituale* initum ob nuncupata vota solemnia in Religione aut ob susceptos s. ordines, *alterum* vero coniugium carnale *attentatum* seu nullum ob solemne votum castitatis antea emissum. - Infra videbimus quibus limitibus, ex iure positivo, contineatur bigamia *interpretativa* et an *similitudinaria* sit *propria* aut *impropria* irregularitas (1).

Sed in irregularitate *interpretativa* et *similitudinaria* magis perpenderunt Doctores, ipsique canones *defectum* aut *crimen incontinentiae* quam *defectum sacramenti*, arg. *cap. 4 h. t.*

Exinde quia *interpretativa* bigamia aliquando non habetur sine delicto et *similitudinaria* absque delicto ne concipitur qui-

(1) In sententia PP. Ecclesiae orientalis et Hieronimi patet quanam ratione isti opinarentur, per baptismum auferri *notae-maculam* inolitam per *secundas* nuptias initas ante baptismum; etenim homo *moraliter* renascitur. - Hoc magis erat consentaneum doctrinae Ecclesiae orientalis quae uti magnopere reprobandas usque condemnavit *secundas* et *tertias* nuptias, quasi enatas ex fomite peccati. Cf. *c. c. 1, caus. 28, q. 3; 9, caus. 31, q. 1.* Minori reprobatione secundas nuptias prosecuta est Eccles. latina, quare defectum bigamiae reperiit in *defectu significationis sacramentalis.* Hanc rationem explicant etiam Leo Magnus *Epist. 12 ad Episc. Afric.* et Gregorius Magnus *Epist. 54, lib. II,* et postea amplissime evolvit et applicat Innocentius III in *c. c. 4, et 5, h. t.* X. (I. 35). Hic *defectus sacramenti* distingui debet ab alio quo laborant *Clinici* et *Neophyti.* Unde in Ecclesia latina *suspicio incontinentiae* in *vere* bigamis habetur uti ratio secundaria et accessoria; et hanc tangit S. Ambrosius in *can. 4. dist. 26* aiens: « *Quomodo potest hortator esse viduidatis qui ipse coniugia frequentavit?* ». Impedimentum bigamiae a Divo Paulo evulgatum pertinet ad ius *humanum* positivum non secus ac extensiones legis ad casus non propriae bigamiae, constitutae per Pontifices ut praeceptum Apostolicum magis late vigeret. Sed fuit Glossa ad *caput 2, h. t.* quae studia scholasticorum obsequuta, induxit *triplicem* distinctionem bigamiae; imo scholastici et pragmatici usque ad *septem* numerarunt bigamiae species. Cf. Formosini, *Tract. de off. et sacris. II. Tit. 21, ad Rubric. q. 2,*: Philipps. *l. c.* § *51.*

dem, quaerunt DD. an in eiusmodi casibus irregularitas quatenus vigeat, ex *defectu* aut ex *delicto* provenire dicenda sit.

295. Ex homicidio et mutilatione Ecclesia in homines divino servitio vel addicendos vel addictos considerat *defectum lenitatis* Ratio huius defectus in eiusmodi facinore est per se evidens; eiusque gravitas relate ad s. ordines non est minus certa; siquidem Christus, utpote *Rex pacificus*, comparatur Salomoni, arg. *c. c. 2, d. 1, De consecrat. et 2, caus. 1, q. 7,* cuius manus, a bellicis incoeptis immunes, meruerunt Templum Dei exstruere, quod Sanctus rex David, bellator invictus de Philistaeis triumphator, aedificare expetiit sed non obtinuit.

Irregularitas haec, adeo fuit observata antiquiore disciplina, ut istam incurreret etiam qui alium occiderat *servato moderamine inculpatae tutelae;* sed in hoc limitationem induxit Clementina, *Si furiosus*.

§ 1. *De Bigamia.*

Summarium. — 296. Quando contrahatur irregularitas ex bigamia *vera.* — 297. Quando incurratur bigamia *interpretativa.* — 298. In quo consistat *fictio iuris* cui innititur bigamia *interpretativa.* — 299. *Primus* casus habetur si quis ante susceptos s. ordines validum iniit matrimonium; et deinde aliud attentat et consummat cum *virgine.* — 300. Hic irregularitatis casus non est producendus ad alium casum, quo quis duo *invalida* init et consummat matrimonia. — 301. In *altero* casu unum tantum validum initur et consummatione perficitur coniugium at cum muliere *vidua* aut *corrupta.* — 302. De irregularitate ex bigamia *similitudinaria* quae inter *improprias* amandanda videtur. — 303. An irregularitas ex bigamia sit semper *ex defectu* an aliquando verius ex *delicto* repetenda sit. — 304. De facultate dispensandi in eadem.

296. Bigamia (1) *vera* quae est *ex defectu* in *significatione sacramentali*, non contrahitur nisi *duplex* coniugium fuerit vali-

(1) Si quis *obiiciat* ob secundas nuptias *ante* baptismum initas non laedi *significationem sacramenti* quia illae nuptiae non sunt *sacramenta,*

dum et consummatum, sive *ante* sive *post* baptismum, siquidem matrimonium non est absolute *indissolubile* nisi sit *consummatum*. Sola enim consummatio explet sacramentalem significationem unionis Christi cum Ecclesia, uti explicat Innocentius III, *in cap. 5, h. t.* Hinc etiamsi vir constante matrimonio, alias mulieres cognoscat *solutas* vel *copulatas*, tamen bigamus ex bigamia *vera* non efficitur; quamvis ex alio capite, veluti ex infamia *facti*, irregularis fieri possit. Quando sit locus bigamiae *interpretativae* infra dicemus. Cf. Suarez XLIX, 1, Pirhing. *h. t. n. 4;* Smalzg. *h. t. n. 2;* Bened. XIV *De Syn. XIII, 21, 4.*

297. Bigamia *interpretativa* habetur cum non extat reipsa secundum coniugium *validum, consummatum,* sed vel *unum* extat validum consummatum et *alterum* dumtaxat attentatum, vel ne *unum* quidem habitum est coniugium, sed ex parte istud attentantis *propter affectum intentionis cum opere subsecuto, non propter defectum sacramenti,* uti loquitur Innocentius in cap. 4, h. t., sequitur irregularitas. At apprime consideretur, hoc operari non *veritatem* sed iuris *fictionem,* quocirca, non solum quia versamur in odiosis, sed praecipue quia *fictiones*

respondet S. Augustinus *can. 2, dist. 26.* « Acutius intelligunt qui nec eum qui catechumenus ac paganus habuit alteram (uxorem), ordinandum censuerunt, quia de sacramento agitur non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia dimittuntur et qui dixit « *Si nupserit virgo non peccat* » satis declaravit, nuptias non esse peccatum. Propter sanctitatem autem sacramenti sicut foemina si catechumena vitiata est, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurde visum est, *bigamum non peccasse* sed NORMAM SACRAMENTI AMISISSE, non ad vitae meritum, sed ad *ordinationis ecclesiasticae signaculum* necessariam ». Porro postquam matrimonium evectum fuit ad dignitatem sacramenti, huius *norma* seu *materia* et significatio est ipse contractus naturalis, qui aeque perficitur ab homine ethnico et a christiano, quamvis apud ethnicos hic contractus non pertingat ad rationem sacramenti, non ex defectu *materiae* sed ex defectu *baptismi.*

iuris strictissimae interpretationis sunt, non possumus haurire casus bigamiae *interpretativae* nisi a textu expresso iuris, non a placitis theologorum vel canonistarum, etsi primae notae. Nam, iuxta vulgatum axioma, *fictio legis nan habet locum nisi in casibus a iure expressis,* ut probat Fagnanus in cap. *In praesentia n. 23 - De prob.*

298. Ex *fictione iuris* bigamia *interpretativa* enascitur in duplici casu: 1) quando habetur *unum coniugium verum*, - attentatum *alterum*, 2) quando *unum* ex parte viri habetur coniugium, saltem *attentatum*, cum muliere *vidua* non *virgine*, aut cum *corrupta,* quamvis non vidua.

299. *Primus* casus bigamiae est, arg. *c. c. 3, 4, De big.*, cum quis, vivente vel defuncta uxore, rite suscipit ordines sacros (1) et deinde cum alia muliere attentat et consummat matrimonium; et decernit Pontifex, *cit. cap. 4*, « ... cum huiusmodi clericis qui quantum in ipsis fuit secundas mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt, tamquam cum bigamis non liceat dispensare (nempe ab Ordinariis), licet in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto ». Quamobrem fictio iuris innititur *affectui* intentioni, unde nonnulli Doctores, inter quos D'Annibale *l. c. 418, not. 13*, autumant, irregularitatem non contrahi, si clericus vel SIMULATE, vel BONA FIDE secundum ineat matrimonium; deesset enim ille animi affectus de quo decernit Pontifex. Verum contradicit Suarez *l. c. 2, 10,* quia *affectus intentionis* non mensuratur a *veritate* et legitimitate coniugii, sed a *facto*, nempe ab opere subsecuto, nempe contrahendi *exterius* unionem maritalem. Verior videtur haec opinio, quoad coniugia *bona fide* inita; quoad alia *simulate* contracta magis placet sen-

(1) Hanc bigamiam D'Annibale appellat *similitudinariam,* quia praeter coniugium *carnale* habetur alterum *spirituale,* quod pro effectu *assimilatur* primo. - At de *interpretativa* ANTE baptismum nihil cavet ius.

tentia D'Annibale (1). Cf. Gasparri *n. 308*. - Sed pro praxi irregularitas tunc non viget, quia versamur in *dubio iuris*.

300. Praeterea Cardinali D'Annibale, iure merito videntur errare Doctores, qui irregularitatem hoc capite constitutam producunt ad casum *duplicis* matrimonii *irriti* quocumque ex impedimento: ad rem haec tradit D'Annibale (I, 418). « Hac ratione moti, nostri (nempe theologi) ac canonistae, pene omnes, irregularitatem ad eum producunt qui duo successiva matrimonia irrita ex quocumque impedimento (atque ideo etsi clerici sint in minoribus constituti vel laici) contraxit; nempe, aiunt, non ex iure sed ex ratione expressa in iure: ab hac sententia, etsi recepta contra omnes regulas iuris, recedere omnino non ausim; sed liceat dubiam dicere irregularitatem huiusmodi, ut saltem ab Ordinario dispensari possit ». Cui praeclarissimi Auctoris sententiae omnino adhaerendum est, saltem quoad conclusionem, nimirum *dubiam* esse huiusmodi irregularitatem.

Item non satis expressa est irregularitas in casu quo clericus in minoribus constitutus, vel laicus *secundum* ineat coniugium *cum virgine* sed *invalidum;* quia non est invalidum ob impedimentum ordinis sacri, de quo casu TANTUM agit et decernit citatum *caput*. - Cf. Gasparri *284*.

301. Ex *altero* capite enascitur bigamia *interpretativa*, quando nempe vir init coniugium aut *validum* aut dumtaxat *attentatum,* atque init cum muliere ab alio *corrupta*.

1) Sub hac specie primus casus bigamiae *interpretativae*

(1) Quia in coniugio *simulato* non habetur nec *affectus intentionis*, nec *opus subsecutum*. Sed certe in foro externo non praesumitur simulatio, sed debet probari. Quum vero constat de *simulatione,* iam excluditur illud *factum (ausum)* ab Ecclesia condemnatum in matrimoniis quae contra ius fiunt. Proinde *matrimonium civile* quod vocant, constituit hoc *factum,* seu *ausum* sufficiens ad incurrendam irregularitatem. Sed requiritur, in hac specie, primum matrimonium fuisse validum, quamvis nonnulli DD. contrarium opinentur; in summa, versamur *in dubio*. - Gasparri *283*.

est si vir contrahat *validum* matrimonium, et consummatione perficiat cum *vidua* a suo viro iam cognita, vel cum muliere ab *alio* corrupta, ut patet *ex c. c. 3 et 5, h. t.* - Quare ob sensum contrarium deducitur, *ex verbis cap. 5,* non contrahi irregularitatem per matrimonium consummatum cum vidua virgine, vel cum uxore a viro eodem iam antea cognita: verba haec sunt. « Unde is, qui mulierem ab alio ductam sed minime cognitam duxit uxorem; quia nec illa nec ipse carnem suam divisit in plures: propter hoc impediri non debet quin possit ad sacerdotium promoveri ». Sed quaeri potest, curnam attendatur fornicatio vel corruptio ex parte *uxoris*, dum ex parte *viri* neque status viduitatis nocet neque fornicatio? Subtilem rationem reddit D. Thomas (1), sed aeque efficax est ratio vulgaris et communis proposita a Suarez *l. c. sect. 3, n. 9*, nempe fornicationem et legitimum carnale commercium in viro non eam inducere inhonestatem, quam necessario secumferunt in muliere.

2) Item, secundo, cautum est, irregularitatem bigamiae *interpret.* contrahi ab eo qui *nullum* init matrimonium ob impedimentum ligaminis; quia ille irregularis ex *cap. 1, h. t.* declaratur qui ducere et cognoscere audet mulierem iam a suo legitimo viro adhuc vivente cognitam: dicitur enim in hoc cap. « Ut bigami poenitentes et repudiatarum mariti ad sacerdotium non ascendant ». *Repudiatarum mariti* sunt illi qui attentant matrimonium cum uxoribus repudiatis per divortium semiplenum, sive non iuridice concessum veluti ab auctoritate laicali, vi *divortii civilis;* sive iuridice concessum, ab auctoritate scilicet eccles.; quacumque ex parte haec repudiatio proveniat, a viro

(1) S. Doctor in *IV, Dist. 27, quaest. 3, art. 1,* hanc reddit rationem, nimirum causam irregularitatis pensandam esse in viro, non in muliere quippe incapaci irregularitatis; vir autem fornicarius, in perficiendo sacramento matrimonii, quasi huius minister, imperfectionem invenit non in seipso sed in muliere corrupta, quae relate ad illum est materia sacramenti.

nempe vel ab uxore. Cf. Gasparri *l. c, n. 388.* Quaerunt DD. an irregularitati sit locus si mat. est nullum non ex *impedimento ligaminis.* - Deest textus expressus et DD. non conveniunt; ergo irregularitas est *dubia.*

3) Demum species irregularitatis *interpretativae* est, si vir ad suam uxorem accedat, postquam haec in adulterium lapsa sit. Huiusmodi irregularitas, quippe *ex defectu* est, contrahitur a viro quoque patrati adulterii inscio, aut si mulier vi coacta ab alio cognita fuit. - Quum vero etiam vir adulterium patravit, *cum debitum reddere teneatur*, ob compensatam iniuriam, irregularitas cessat, uti exponunt Smalz. *I, h. t. n. 7*, et De Angelis *I, h. t. n. 2.* - At ex *c. c. 11 et 12, dist. 34,* - *in foro externo* videretur sufficere uxoris adulterium evidenter probatum ad declarandam incursam ex parte viri irregularitatem; ait enim can. *11 cit.* « Si cuius uxorem adulterium commississe cum *esset laicus* evidenter fuerit comprobatum, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest ». At haec est simplex praesumptio iuris; nam si in probatis existat virum cum uxore usum non fuisse coniugali commercio, sane cessat irregularitas; at probata, per simplicem quoque praesumptionem, conversatione coniugali, equidem copula praesumitur.

4) Item irregularitatem ex bigamia *interpretativa* incurrit clericus qui nullum, ob maiorem ordinem, attentat matrimonium *cum vidua.* Decernit enim Innocentius III in *cit. cap. ult. h. t. de hoc clerico « contra doctrinam Apostolicam tamquam cum marito viduae dispensare non licet, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto »*. Et haec est propria irregularitas, quae prohibet ab ordinibus *suscipiendis* et a ministrandis *susceptis.*

Ex casibus autem *legitimis* bigamiae *interpretativae* patet hanc, *fictione iuris*, inniti in matrimonio *carnali*, quod vi eiusdem *fictionis* duplicatur aut multiplicatur, sicuti considerat S. Bonaventura in IV *Sent. Dist. 25, a. 2, q. 3.*

302. Denique recensetur etiam bigamia *similitudinaria;* sed haec, uti probabimus, est *impropria* irregularitas. - Hanc ita appellant DD. quae oriretur ex attentato matrimonio *cum virgine* a clerico in sacris ordinibus constituto, vel solemniter in Religione professo, quasi concurrente duplici matrimonio, *spirituali* nempe *vero* et *carnali attentato* et *consummato*. Desumpta fuit a nonnullis ex *c. c. 12 « Qui clerici vel voventes, X* (IV, 6) *et 4. De clericis coniugatis » X* (III, 3) nec non a *canonibus* 24, e Concil. Ancyrano (a. 314), et 32 e Concil. Aurelianensi (a. 511) *caus. 27, q. 1.* At non bene, quia citata *capita* loquuntur de poena suspensionis et excommunicationis, quae excommunicatio hodie etiam continetur in Const. Apost. Sedis, aut de quacumque alia canonica poenitentia. *Canones* vero citati editi sunt a Conciliis particularibus, et non inducunt irregularitatem, donec aperte probetur communibus moribus fuisse receptam, quod forsan probari posset de Concilio Aureliensi, sed res non est satis expressa et certa ad inducendam irregularitatem. Praeterea citatus *canon.* ex Conc. Ancyrano est dubius in sua lectione, legitur enim: « Quotquot virginitatem pollicitam *praevaricatae* sunt (at alii codices legunt « *praevaricati* ») professione contempta, inter bigamos, idest qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt ». Ergo non est textus adeo expressus, ut irregularitatem propriam inducere possit. Ipse Suarez (XLIX, 4, 6), fatetur, *probabilem* esse opinionem, quam nos tuemur, quamvis ipse aliam teneat.

303. Doctores non conveniunt an irregularitas ex bigamia ducenda sit *ex defectu* semper, an etiam aliquando *ex delicto*. - Suarez, *l. c. 1,* et S. Alphonsus (VII, 4), *L. 5* opinantur semper esse *ex defectu*, nempe in significatione sacramentali. Nos sequimur Thesaurum *P. II, v. Apostasia, c. 4, n. 4,* et D'Annibale I, *418, not. 11,* qui tenent bigamiam *similitudinariam,* quatenus irregularitatem pariat, esse *ex delicto; interpretativam* vere *ex delicto* esse quotiescumque causa proxima irre-

gularitatis, est crimen, iuxta principium iam explicatum supra, n. 291 (1).

304. Hisce explicatis patet: 1) a *similitudinaria* bigamia, utpote *impropria* irregularitate, dispensare posse Episcopum, legitima imposita poenitentia;

2) ab *interpretativa*, si est *ex defectu* tantum, Romanum Pontificem;

3) quando *ex delicto* provenit, vel saltem dubitatur an *ex delicto* sit sive ex *defectu*, iuxta Doctorum expositas sententias, siquidem factum est *occultum*, dispensat etiam Episcopus;

4) a bigamia *vera* dispensat tantum Romanus Pontifex;

5) Nec *vera* bigamia deleri potest per baptismum, quia *in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur,* prouti cavet Innocentius I in *can. 13, dist. 34*. - Verum ex bigamia *interpretativa* ante baptismum inita, nullibi cautum est *post* baptismum enasci irregularitatem.

§ 2.

De irregularitate ex homicidio et mutilatione proveniente.

Huc referat. tit. 50, X, lib. III; in 6, tit. 24, lib. III; et tit. 10, 12, X, V; in 6, tit. 4, V; in Clem. tit. 4, V.

Summarium. — 305. Titulos Decretalium commentamur sub aspectu irregularitatis sive *ex delicto* sive *ex defectu* provenientis. — 306. Quid *occidere*, quid *mutilare* in subiecta materia significare intelligantur. — 307. Seu irregularitas sive *ex defectu* sive *ex delicto* non contrahitur nisi *effectu sequuto*. — 308. Irregularitas expresse decreta in occidentes non producenda est ad mutilantes; sed, vice versa, si

(1) Sed nonnulli DD. hanc bigamiam vocant *similitudinariam*. - Certe ex bigamia *interpretativa* in clericos *minores* lata est poena privationis *priv. fori* et *habitus clericalis*, arg. *cap. unic. 4, h. t. in 6.*

in mutilantes constituta est irregularitas, intelligitur etiam lata in occidentes. — 309. Irregularitas *ex delicto* oritur ob factum *privatum* plene *voluntarium* homicidii aut mutilationis. Secus ex huiusmodi *facto* sequitur lenitatis irregularitas ex *defectu lenitatis.* — 310. Istud factum est *voluntarium* aut *casuale* aut *necessarium. Publicum* est aut *privatum.* — 311. Ex facto homicidii *culposo* indirecte *voluntario* incurritur irregularitas ex *quasi-delicto.* Ad hoc non *sufficit* mutilatio, quia nullibi iubetur. — 312. Exinde excluditur opinio DD. qui autumant in istis casibus incurri irregularitatem *ex delicto violatae legis* eccles. — 313. Ex homicidio aut mutilatione ad legitimam defensionem patratis, seu *ob necessitatem,* irregularitas non incurritur. Sed in dubio an quis servaverit limites inculpatae tutelae, irregularritas declaratur incursa. — 314. De eo qui seipsum mutilat. — 315. Quinam conrei homicidii aut mutilationis contrahant irregularitatem. — 316. Quando mandans et quanam ratione contrahat irregularitatem si mandatarius *occidit* aut *mutilavit* praetergressus limites mandati. — 317. An socii criminis omnes contrahant irregularitatem. Quid iuris si quis in *rixa* alium mutilet aut occidat. — 318. Clericus *in sacris* constitutus dubitans an ipse occiderit, debet abstinere ab exercitio sacrorum ordinum. — 319. Quando et quanam ratione irregularitatem incurrant clerici vel monachi chirurgiam exercentes.

305. In Decretalibus Greg. IX de poenis in homicidas constitutis, agitur in titulo 10, « *De iis qui filios occidunt* » lib. V, et tit. 12, « *De homicidio voluntario et casuali* » lib. V, et tit. 50, « *Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant* » lib. III. Huiusmodi titulos commentamur non quatenus agunt de homicidio in genere sub aspectu poenali, sed prouti in specie irregularitatem ab homicidio aut mutilatione provenientem constituunt. Iamvero irregularitas, cum sit suapte natura *maculae-nota* et *quasi inhabilitas*, attenditur, in facto homicidii aut mutilationis, *defectus lenitatis* necessariae in Sacerdote Regis Pacifici.

Sed hoc non impedit quominus haec irregularitas aliquando proveniat ex *simplici defectu;* aliquando *ex delicto.* Defectus enim lenitatis habetur quasi causa *generica, remota; proxima*

vero *efficiens* est ipsum homicidium; quod si est licitum, irregularitatem parit ex simplici *defectu lenitatis;* si est illicitum seu culposum, irregularitatem causat ob culpabilem lenitatis defectum, nempe *ex delicto*. Haec est species infima irregularitatis.

At maxime interest revocare indolem et intentionem iuris communis, quod in homine sacris ordinibus *adscribendo*, aut iam *adscripto*, adeo detestatur factum homicidii aut mutilationis, ut constituerit, semper irregularitatem oriri in eo, qui homicidium aut mutilationem patravit. Verum irregularitas oritur ex simplici facto ratione *defectus lenitatis*, si nullimode, *ex delicto* aut *quasi - delicto* provenire dicendum sit ipsum factum homicidii aut mutilationis. Inde regula eruitur practica magni ponderis, uti notat Van-Espen. P. II, tit. 10 cap. 7 n. 13.

306. Quia non solum *occidere* sed etiam *mutilare* specialem praesefert feritatem, hinc ad incurrendam irregularitatem, sufficit ipsa *mutilatio:* arg. Clem. *un. t. h.* et capp. 4. et 5. « *Ne clerici vel monachi* ». Homicidium habetur, cum homo vitam amittit opera alterius hominis. Inde abortus foetus *animati* (1) homicidium est.

Mutilare importat membrum abscindere; nempe aliquam corporis partem, proprium et distinctum actum habentem a corpore separare.

307. At homicidium et mutilatio, ex subiecta materia, nimirum quia in re aut poenali aut saltem prohibitiva versamur, irregularitatem parere intelliguntur *effectu sequuto* et *stricte*. Unde morbum vel vulnus, etsi grave, causare, dummodo, ex illo non sequatur mors, non est occidere; et deformare, imo red-

(1) Sane ad incurrendam irregularitatem requiritur ut foetus eiectus *moriatur;* et hinc quod fuerit *animatus; arg. cap. 20, h. t.* Quare non potest extendi ad hunc casum, ius *novissimum* inductum a Const. *Ap. Sed.*, vi cuius incurritur excommunicatio ob procuratum abortum, nulla habita ratione an foetus fuerit *animatus* vel *inanimatus*.

dere inutile aliquod corporis membrum non est mutilare; neque probabilius membrum iam aridum et inutile abscindere, est mutilare, nisi ipse idem qui antea reddidit inutile, postea mutilet; quia hic revera dicendus est mutilasse, sensu legis; uti probat D'Annibale, *I, 421, not. 8.*

308. Quamobrem irregularitas quae expresse constituta est in occidentes, non producenda est in mutilantes; quamvis, ex adverso, occidentes teneat irregularitas in mutilantes decreta; quia minus continetur in maiori seu pars in toto; iuxta regulam *iuris 80 in 6. « In toto partem non est dubium contineri »* Cf. D'Annibale (I, 421) (1).

309. In mutilatione et homicidio *generice* consideratur defectus lenitatis; unde duae *species* oriuntur irregularitatis, altera ex simplici *defectu,* altera *ex delicto* ratione huiusmodi defectus quem secumfert.

310. Istud factum, nempe homicidium aut mutilatio, esse potest;

1) *voluntarium,* scilicet cum gravi culpa seu dolo;

2) *casuale,* sensu iuris, seu absque dolo, sed non absque ea culpa quae constituit *quasi - delictum;*

3) *necessarium,* absque ulla imputatione morali et iuridica.

4) *Voluntarium* subdividitur in *publicum,* id est publica auctoritate admissum, in *privatum,* nempe arbitrio privati

(1) D'Annibale I, 421, haec principia commentatur. Posita nempe membri notione *in not. 5* - ait membra dici « velut manus, pes, oculus, lingua, mamilla mulieris, uterque testiculus viri. Non item quae subsidiariam tantum operam praestant, ut aures, digitus, nares. » At contra opinatur Suarez *XLIV, 2, 6* qui putat nasum quoque, aures, unum digitum esse membra, quia si auferantur, corpus dicitur mutilatum. In summa, regula est, quia versamur in odiosis, irregularitatem non incurri si *pars membri* tantummodo abscissa est. *Membrum* vero assuminus stricte, prouti explicat D'Annibale, quamvis aestimemus magis conformem iuris intentioni sententiam Suaresii.

hominis commissum; et *publicum* evenire potest vel *in bello* vel *in iudicio sanguinis*. - Ex facto *voluntario privato* irregularitas inde proveniens est ex *delicto;* ex facto *publico* aliquando *ex delicto*, aliquando *ex defectu* oritur irregularitas. Siquidem adest *defectus lenitatis*, non *delictum* in homine qui *occidit* aut *mutilat* ex *legitimo* iussu *publicae* auctoritatis.

311. Exordiamur ab homicidio et mutilatione *facto privato* patratis. Proinde loquimur de irregularitate *ex delicto*, quae incurri non potest, nisi adsit *dolus*, unde constituuntur *delicta*, vel *culpa*, qua constant *quasi - delicta:* cf. supra 197 seq.

Re sane vera quia attenditur animi *saevitia*, seu animus paratus occisioni aut mutilationi perpetrandae:

1) non incurritur irregularitas ex facto *casuali* non *culposo;* dummodo casus, seu vis maior attingat, seu afficiat *intentionem* agentis, non *operis effectum*. Siquidem animi feritas iam sufficienter manifestatur in concepto proposito occidendi aut mutilandi, quamvis postea occisio vel mutilatio cadat in obiectum non volitum. Scilicet si quis Caium occidere volens, Sempronium occidit, casu hunc occidit; sed quia hominem occidere volebat, irregularitatem incurrit.

2) Si casu, praeter voluntatem, homicidium sequatur casuale, incurritur irregularitas, si hoc secutum sit ab opere cui incumbebat agens non usus necessaria diligentia, quam si interposuisset, facile praevideri poterat vel timeri effectus dein secutus, ideo non praevisus ex culpa gravi seu ex gravi omissione debitae diligentiae. Hac de causa ob nonnullas actiones de se licitas, sed periculo obnoxias, aut aliquantisper a dignitate ordinis clericalis alienas, veluti propter nonnullos ludos, decernitur irregularitas; ita ex *c. c. p. 7, et 8, 12 et 13, h. t.* Intentionem autem iuris videtur exprimere adamussim *summarium ad caput. 8 cit.* ita conceptum: *Homicidium casuale imputatur ei qui dabat operam rei* ILLICITAE vel LICITAE, *secundum alium intellectum, si non adhibuit omnem dili-*

gentiam quam debuit (1). Idem iubet *Conc. Trid. in sess. 14, c. 7 de ref.* cuius textum iam explicavimus *n. 198;* - siquidem decernit: « *Si vero homicidium non ex proposito sed* CASU... *fuisse consummatum narretur quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium iure quodammodo dispensatio debeatur* ». Unde *casus* in subiecta materia est oppositus *proposito delinquendi*, sed non excludit irregularitatem provenientem *ex quasi delicto;* nam, *causa cognita* declarandum est, esse locum dispensationi, si *casus* revera excludat omnem culpam *externe* gravem et etiam *theologicam;* secus si ex gravitate culpae *externae* praesumi debet culpa *theologica.*

Proinde id quod docet *Gasparri n. 444*, aiens: « Tandem si quis nullam reipsa commisit negligentiam e. g. quia de periculo mortis aut mutilationis ne cogitavit quidem, sed in foro externo apparet fuisse negligentem, irregularitas erit *pro foro externo*, non autem *pro interno* », non videtur undequaque verum. Etenim quando culpa est *externe* gravis quae praesumere

(1) Iuvat referre huius *capitis* textum « Dum diaconus praesentium lator et quidam alii clerici a vineis Ecclesiae opere consummato redirent, leviandi laboris gratia quemdam ludum imitati sunt viatorum, projicientes baculos suos in longum; studebant enim iacere in directum, et alter alterius fustem ferire. Cuius ludi, sicut asserunt, solet esse conditio, ut, qui alterius baculum percuteret, quasi victor, pro equo alio, cuius baculus percussus est, uteretur; sed praefati clerici, equitandi licentia non utentes, sola erant iactione contenti, ut, dum alacrius ad baculos suos concurrerent, laborem itineris non sentirent. Quidam autem laicus, sicut praedictus diaconus asserit, dum baculum eiusdem diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus insiliit, et sic a falce illius diaconi qua erant accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo expiravit. » De hac facti specie haec decernit Alexander III « *Ideoque mandamus, quatenus eumdem diaconum sine licentia Romani Pontificis ad superiorem gradum non ascendere, vel in Diaconatus officio nullo unquam tempore ministrare permittas, sed eum dispensative ministrare in subdiaconatus officio patiaris.* »

facit de *culpa theologica*, etiam pro *f. int.* incurritur irregularitas quippe haec cum primis spectat ad *forum externum.*

312. Quamobrem in istis casibus, quia maxime attenditur culpa *externe* gravis, seu omissio debitae diligentiae relate ad factum *secuti* homicidii, tunc non videtur praecipue attendendum an quis operam dederit rei licitae vel illicitae, sed potius an exinde sequi posset effectus occisionis, qui praevideri poterat et debebat. Quare non placet criterium a cl. Gasparri *n. 445* propositum, nempe dando operam rei illicitae, secuta occisione, irregularitatem, ut plurimum, provenire *non ex defectu lenitatis* aut *ex delicto homicidii* sed *ex delicto violatae legis.* - Verum quum aliqua res clericis prohibetur, utputa venatio clamorosa, non quia productiva mortis, sed quia remota a decore ordinis clericalis, non patet quomodo violatio huius legis sit causa *proxima efficiens* irregularitatis provenientis ex *facto homicidii*, et inde causa *remota* sit *defectus lenitatis.*

Idem cl. Auctor opinatur, istam regulam necessario invocandam esse in explicanda irregularitate, quam omnes admittunt incurrere *clericos* et *monachos* artem chirurgicam exercentes, *adurendo* et *incidendo*, si infirmus incisus aut adustus postea moriatur, quamvis ipsi aliunde fuerint in arte periti et debitam exercuerint diligentiam, *arg. cap. 19 h. t.* Nam, ait iste Doctor, irregularitati certe non est locus, si clericus vel monachus, vel necessitate adactus, vel indulto Apostolico fretus, artem chirurgicam *ita* fecerit; adeo ut ratio irregularitatis videatur repetenda ex violatione legis.

Attamen haec consequentia nobis non videtur necessaria, quia irregularitas inita *ob factum* homicidii non potest repeti ex violata prohibitione cuiusdam artis per se non productivae mortis, imo consulentis bono valetudinis et integritati membrorum; sed immediate repetenda est *ex facto* homicidii, quod, iam secutum, ingerit in populo suspicionem istud derivatum esse ex

culpa imperiti clerici aut monachi aut non satis diligentis; quippe in genere huiusmodi ars clericis est interdicta, et iuxta Regulam *37, ff. De reg. iur.* « *culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti* ». Ex hac autem culpa enascitur irregularitas *ex quasi-delicto*. - Cessat vero quaecumque culpa si necessitas urgeat aut vigeat indultum Apost.; tunc enim huiusmodi res non amplius est clericis impertinens. Ita etiam explicandam censemus responsionem redditam a S. C. Conc. in Terracinen. *19 april. 1766*. Agebatur de clerico qui munus gerebat praetoris, clericis prohibitum; arg. *c. c. 15 De vita et honest. cleric.* et 5 *Ne cleric. vel monach.* - Accidit huic clerico ut huius satellites, eius iussa exequentes, comprehenderet et in custodia iniicerent quosdam homines noctu pervagantes in oppido; sed dum vinculis isti constringebantur, unus, in tumultu, occubuit; inde quaesitum fuit « I. *An constet de irregularitate.* II. *An sit locus dispensationi;* S. C. Concil. rescripsit ». Ad 1um *Affirmative*, ad 2um *Affirmative*. - Porro in *cit. cap. 19, h. t.* haec redditur ratio cur monachus chirurgiam agens aliunde peritus et diligens, factus fuerit irregularis quia mempe « *ipse monachus multum deliquerit officium alienum usurpando, quod sibi minime congruebat* » et in hoc, effectu *sequuto*, consistit culpa unde oritur *quasi - delictum homicidii.*

Huc referas casum occisionis omnino involuntariae a patre vel a matre inlatae filiolo inter dormiendum, qui eodem lecto recumbebat cum parentibus; arg. cap. *Quaesitum* 7, *De poenitent. X* (V. 38).

Sed haec irregularitas ex *quasi delicto* homicidii extendenda non est ad casum *mutilationis*, quia nullibi in iure cautum est. Cf, D'Annibale *I, 424 not. 24.*

313. Hactenus de homicidio *voluntario directe*, vel *indirecte* seu *casuali*, - nec non de mutilatione directe *voluntaria*. - Modo dicamus de homicidio aut mutilatione nullimode voluntariis seu *necessariis*. Huiusmodi homicidium, aut mutilationem ita defi-

nit Const. *si furiosus* in Clem. unic. *De homicid.* « *Si furiosus aut infans seu dormiens hominem mutilet seu occidit, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui, mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem* ». Et in prima parte Constitutio considerat casum quo actus non est *humanus*, sed *hominis*, proindeque e quacumque morali et iuridica imputatione immunis, quod ad irreg. *ex delicto;* in altera parte aliquid novi constituit, derogando iuri veteri quod, in genere, homicidam aut eum qui alterum mutilaverat ad *se suaque* bona defendenda irregularem decernebat. Cf. Van. Espen. l. c. *n. 3*, et Philipps l. c.; item *canon. 6, dist. 60*, in Decreto. Ille vero dicitur *iure novo* irregularitatem effugere qui occidit aut mutilat, *aliter mortem vitare* non *valens*, seu *servato moderamine inculpatae tutelae*. Cf. quae explicavimus n. 30.

In subiecta materia quia iste casus ponitur ad instar exceptionis et derogationis iuris veteris communis, etsi leviter dubitetur an quis aliquantisper excesserit limites *inculpatae tutelae*, respondere debemus pro irregularitate. Hanc regulam probat Giraldi, *Exposit, iuris pont. II, sect. 823 sq.* - Revera S. Cong. Concil. in dubiis sibi promotis de existentia irregularitatis in eiusmodi casibus semper respondit: *Affirmative* saltem ad *cautelam;* quamvis facilem indulserit dispensationem. Ita patet ex Thesauro Resolutionum. - Verum necessitas occidendi aut mutilandi alterum in *sui* defensionem non est omnino *absoluta*, sed etiam RELATIVA, quatenus aliquis potest sibi consulere fuga veluti clericus; quod tamen non fas est militi, qui taliter sibi consulens, veluti *moraliter* mortuus est. - Bona temporalia defendi possunt morte aggressoris seu furis, quatenus ista sunt *vitae* necessaria. - Quamobrem, e sensu contrario, DD. docent non licere hominem occidere ad tuendam bonam famam, quia ordinario praesto sunt alia media quibus sibi consulat aggressus. Cf. Gasparini *438 sq.*

311. De eo qui seipsum mutilat singulare (1) est, *ex can. 6, dist. 55,* ut fiat irregularis etsi membri *partem* tantum ut puta partem digiti sibi adsciderit, nempe ob specialem *saevitiam.* - Quia iam ab aetate apostolica, nonnulli male interpretantes verba evangelica ausi sunt sibi *virilia* abscindere, studio castitatis, statutum fuit, *c. c. 3, 4, 5 De corp. vitiatis,* hos fieri irregulares quamvis arbitrati sint se obsequium praestare Deo. - Quare in foro externo quum non praesumatur ignorantia iuris tam perspecti, quisque virilia sibi amputaverit, habetur irregularis; sed in *foro interno* (2) excusat bona fides quae si probetur evidenter etiam in *foro externo* eximit ab irregularitate. Imo quia canones cavent de eo qui *virilia* sibi abscidit, censet D'Annibale et alii DD. apud S. Alphon. VII (389-418), non vigere irregularitatem, si *testiculos* tantum sibi absciderit. Item si quis in causa fuit quamvis inhonesta, ut puta quia turpiter agebat cum uxore, ut vir ei adultero *virilia* amputaverit, quippe revera sibi ipse non amputavit, videtur effugere irregularitatem. Utcumque res dubia est.

312. Conreos *principales* (cf. supr. n. 39) certum est incurrere irregularitatem nempe *mandantes; iubentes* arg. *cap. 3 de homicid. in 6;* nempe conreos *morales;* item conreos *physicos* seu executores criminis; arg. *c. c. 6, 18, h. t. X.* - De conreis *accessoriis* quia nullibi in iure satis expresse cautum est istos incurrere irregularitatem, hinc adhaeremus opinioni Cardinalis D'Annibale ita ratiocinantis (I, 424): « At neutro in foro fit irregularis is *qui non prohibuit* quamvis ex iustitia prohibere debuisset; eoque minus qui *ratum habuit.* Dubitari potest

(1) Equidem si quis non sibi sed *alii* partem membri abscindat non fit irregularis quia stricte intelligenda est sententia cit. canonis; adeo ut qui sibi amputat membrum aridum et inutile, veluti sextum digitum, eumdemque superfluum non est irregularis. Gasparri, 416.

(2) Si vero in *foro externo* bona fides non probetur, et irregularitas decernatur incursa, haec observanda est etiam in *foro interno.*

de eo qui *opem proximam* vel *consilium* praebuit; et illum irregularem fieri communissima, hunc longe communior sed *utraque sine certo iure* sententia est. Ab illa (1) non ausim recedere; huic non adhaereo cuius contraria Lugoni probabilis visa est ».

313. De *mandante* elegans quaestio est an ipse incurrat irregularitatem si mandatarius excesserit fines mandati et occidat vel mutilet eum, quem in mandato habebat dumtaxat *percutere*. - Videretur mandatarius effugere irregularitatem quia ipse nullimode *voluit* neque *mandavit* homicidium aut mutilationem; et huiusmodi facinus non esse *voluntarium* censuit in *duobus* CASIBUS S. C. C., uti refert Fagnanus in *comm. ad cit. cap. 12 De hom. n. 55;* neque inde incurri irregularitatem.

Nihilominus Bonifacius VIII *in cap. 3, de homic. in 6* decernit: « Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat ne occidatur ullatenus vel membro aliquo mutiletur *irregularis efficitur* si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat; *cum mandando in* CULPA *fuerit et hoc evenire posse debuerit cogitare* ». Quare ipse Pontifex diserte significat hanc irregularitatem provenire posse ex quasi-delicto, seu non ex facto *directe voluntario* sed *indirecte voluntario* seu *culposo;* cf. quae explicavimus *n. 42, not. 1.* Hoc sensu intelligenda est responsio S. Cong. Concil., relata a Fagnano *l. c.* et ita concilianter tam discordantes sententiae.

314. Item *in not. 1, l. c.* docuimus, quomodo socii criminis, vi conspirationis, habeantur instar mandantium; et hinc recte docet D'Annibale *l. c.:* « *si plures communi consilio concurrerint ad homicidium perpetrandum et unus occidit, omnes fiunt irregulares* ».

Quare si in rixa plures inter se manus conferant et unus

(1) At CONSILIUM assumi debet prouti est efficax, sicuti explicavimus *n. 43*, et tunc certa est haec opinio et in praxi eiusmodi *consilium* dans seu *provocans* (cf. *n. 42 cit.*) habendus est uti irregularis. Cf. Gasparri, 423.

moriatur; quia « *si rixa percussus homo perierit, ictus uniuscuiusque in hoc collectorum contemplari oportet* » ex l. 17 ff. *Ad leg. Cor. de sic.* (n. 39), ille tantum est irregularis qui occidit aut mutilavit.

Iamvero quando constat factum perpetratum fuisse ab uno tantum ex aggressoribus at non constat quinam ex his glandem homicidam ex ignitabulo exploserit, Schmalzgr. opinatur (V. *tit. 12, n. 176*) neminem fieri irregularem. At si non constat an unus tantum vel omnes occisionem aut mutilationem patraverint, autumat Smalzg. l. c. et Suarez (XLV, 39) omnes fieri irregulares. Contra opinatur D'Annibale (I, 424, not. 30). Sane non adest textus expressus et res dubia est.

315. Sed in casu *quo certa* est occisio, sed dubium est *quinam* occiderit, aliquid singulare est, uti iam innuimus, nempe quod ad eos qui *in sacris* sunt constituti. Ad rem haec habet Gasparri, 409: « At si homo fuit certe occisus et graviter dubitatur utrum Titius illum interfecerit an alius, sequentia notanda sunt. Si Titius est *sacerdos, in cap. 12, 18, 24 De homicid.* statuitur ipsum debere *a sacris ordinibus* vel *a sacerdotali officio* vel *a ministerio altaris* abstinere. Consequenter cum omnes alii gradus in praesenti disciplina sint *gradus* ad sacerdotium, Titius si non est sacerdos nequit in tali dubio ad ullum gradum promoveri et nec ad primam tonsuram, sicuti sacerdos nequit in Episcopum consacrari ». Sed hic Doctor non videtur sibi consentire, ob ea quae tradit n. 429. - Quamobrem D'Annibale (I, 428) ait, hanc esse irregularitatem *impropriam,* utpote partialem, quam incurrit tantum clericus constitutus *in sacris,* unde « *abstinere debet solummodo... diaconus a diaconatu, presbyter ab officio sacerdotali* » et hinc presbyter a consecratione episcopali. Cetera sunt dubiis obnoxia. Item *ad mutilationem* ista perduci non possunt.

316. Denique aliquid aliud singulare est quoad clericos *in sacris* constitutos et *monachos* seu regulares, quibus interdi-

ctum est quominus chirurgiam exerceant *adurendo* et *incidendo*; arg. *c. c.* 7, *De aet. et qualit. ord. X* (I, 14); 9, *Ne clerici vel monachi X* (III, 50); 19, *h. t. X.* - Quare si *ita* chirurgiam isti faciant et infirmus incisus aut adustus moriatur, irregulares sunt quamvis periti fuerint et omnem adhibuerint diligentiam. - Proinde hac lege non tenentur clerici *in minoribus* ordinibus constituti et regulares qui nec sacros ordines susceperunt neque vota noncuparunt solemnia. - Ceteri vero subsunt huic legi dum chirurgiam exercent quin *adurant* aut *incidant*.

Praeterea, quia est lex humana, non obligat cum gravis urget necessitas, adeo ut hac adactus clericus vel monachus, aliunde peritus, et gravi necessitati et pietati consulat, quum, deficiente chirurgo, opem exhibet adurendo et incidendo, neque fit irregularis si aegrotus post adustionem aut incisionem decedat. - Item praestat indultum Apostolicum quod legem relaxat.

Huiusmodi irregularitas, prouti constet ex dictis, provenit ex *quasi-delicto* seu ex culpa externe gravi etsi deficiat gravis culpa theologica quia uti advertit *cap. 19 cit.* « multum *deliquerit* (monachus) officium alienum usurpando quod illi minime congruebat »; equidem *culpa est immiscere* se rei ad se non pertinenti; ex leg. 37 ff. *de reg. iur.* Ad rem ait D'Annibale (I, 428) « *Haec irregularitas non oritur ex delicto nec ex defectu sed ex culpa civili* » nempe *gravi externa,* sed clarius suam mentem expressisset si dixisset *ex quasi-delicto.*

Clericus vero in *minoribus* constitutus aut laicus si chirurgiam exerceat et ex *gravi eius culpa* aegroti mors sequatur, contrahit irregularitatem *ex quasi delicto,* ob principium generale traditum *supra n. 311.*

§ 1. *De irregularitate proveniente tum ex iudicio sanguinis tum ex homicidio et mutilatione in bello perpetratis. — De dispensatione ab hac irregularitate, quacumque ratione ista contrahatur.*

Summarium. — 317. Enunciatur regula quae continet rationem et limites huius irregularitatis ex iudicio sanguinis. — 318. De personis, quae in iudicio partem habent, significatur quaenam sint irregulares. — 319. Quaenam personae ab irregularitate immunes dicendae sint. — 320. De irregularitate ex homicidio et mutilatione in bello perpetratis. — 321. De potestate dispensandi ab hac irregularitate.

317. Iudicium sanguinis illud nuncupamus in quo agitur de crimine, mulctando poena mortis vel mutilationis. - Quamvis huiusmodi iudicia exerceantur *legitime* (1) et poena inde inferatur *iusta*, nihilominus Ecclesia *ex defectu lenitatis* decernit irregulares omnes sive clericos sive laicos qui haec iudicia agunt postquam mors aut mutilatio *sequuta sit.* Cf. Bened. XIV *Instit. 101, n. 4.* - De *clericis* expressa lex habetur in *c. c. 5, 9 Ne clerici vel monachi* X (III, 50); de *laicis* verius expressa lex non reperitur, sed ita communiter et universaliter est moribus recepta, ut in dubium revocari non possit. Cf. Suarez (XLVII, 1, 1), et D'Annibale (I, 425).

318. Haec irregularitas est *ex defectu*, quia ponimus iudicium *legitime* institui et poenam edici *iustam.* Tenet vero omnes - *qui proximam et efficacem in iudicio partem habent sponte susceptam eo consilio ut reus* (si de crimine convincatur) *luat poenam mortis aut mutilationis a publica auctoritate constitutam.* - Cum innuimus partem *proximam et efficacem*, intelli-

(1) Inquam - *legitime*; - nam si iudicium sit aperte *iniustum* et a iudice et ab aliis personis agatur ad obtegendum, veste iudicii et executioni dandum, propositum delinquendi, irregularitas oritur *ex delicto* homicidii aut mutilationis.

gimus proximam *sententiae* iudiciali eique *efficacem*, siquidem iudicii causa *finalis* est sententia sive *absolutoria* sive *condemnatoria*. Praeterea advertimus *sponte susceptam*, et hoc est capitale in re nostra; nam in hoc maxime fundatur haec irregularitas *ex defectu lenitatis* proveniens. Cf. Suarez (XLVI, 2, 4).

In indicio autem partem habent necessariam et hinc proximam et efficacem *iudex*, *actor*, et *reus*. - Sed ipsis adiungi possunt et solent personae quae quamvis non necessariae, tamen semel admissae in iudicio partem *proximam et efficacem* habent.

Reus autem certe partem habet in iudicio sanguinis *necessariam*, sed non exinde incurrit irregularitatem quia ipse iudicium non *agit* sed *patitur*. Ergo dumtaxat de *iudice* et *actore* sermo habendus est.

1) Quare irregularitatem incurrit iudex; et non refert an iudex sit *singularis*, an sit *persona collegialis*.

2) Personae quae iudicem adiuvant operam praebentes *proximam et efficacem* sunt *assessores*, arg. cap. 10 *De excess. Praelat. X* (V, 31).

3) Quid de iudicibus *instructoribus?* Distinguendum esse puto; et si agatur de iudice instructore qui viam sternit inquisitioni seu actioni criminali sed in iudicio *formaliter* instituto partem non habet, hic videtur immunis ab irregulatitate (1); secus de aliis qui in ipso iudicio praesunt probationibus colligendis et explendis. Cf. Gasparri, 454.

4) Quid de iudicibus *iuratis?* Cl. Gasparri, 454, opinatur hos irregularitatem effugere quippe non sunt iudices nisi *de mero facto*. - Sed non videntur ex *hoc capite* immunes iurati ab irregularitate; nam in iudicio sanguinis, non minus quam in aliis quaestio *facti* est necessaria et efficax quoad definiti-

(1) Hac de causa, *arg. cap. 27, De verb. segnif. X* (V, 40) non fit irregularis iudex eccles. qui inquirit de crimine et reum poena degradationis mulctatum tradit brachio saeculari puniendum, forsan poena capitali, ob crimen iam probatum in curia eccles. - Porro sunt duo distincta iudicia.

vam sententiam. Item testes deponunt de *mero facto,* sed ipse Gasparri et omnes DD. admittunt istos esse irregulares si *sponte* accedant. Quare iurati forsan irregularitatem effugiunt quia non *sponte sua* accedunt, sed *lege* adstricti. - Utcumque irregularitas est *dubia.*

5) Item operam praebent proximam et efficacem *actuarii, scribae* qui acta processus, dum iudicialiter evolvuntur, scriptis referunt et publicant. Sed sententiam iam editam in scriptis exarare, etiam in formam authenticam, probabilius non secumfert irregularitatem. Cf. Sayrus VI, l. 16, et S. Alphons. VII, 461.

6) Proxime et efficaciter iudicem adiuvant *executores* seu *carnifices* et *lictores* seu illi omnes qui ex officio *sponte suscepto* executioni mandant poenam sanguinis.

7) *Actor* in iudicio criminali dicitur *accusator* seu ille est qui promovet actionem *criminalem* ad obtinendam *poenae* seu vindictae publicae executionem. Quisque privatus civis qui hoc iure utatur, idemque exerceat ad *publicam vindictam,* non ad indemnitatem *civilem,* fit irregularis; arg. *cap. 2, De homicid. in 6.* - Hodie huiusmodi munus exercere solent *procuratores* seu *promotores fiscales;* proindeque hi sunt irregulares. Sed quia *proximam et efficacem* operam praebere ille dicendus non est qui tantum instat ut fiant inquisitiones praeviae iudicio criminali instituendo, seu *denunciator*, exinde iste irregularis non est.

8) Accusatorem adiuvant *advocati* proxime et efficaciter, quippe eius intentionem urgent et evincere contendunt, proindeque fiunt irregulares; arg. *can. 1, dist. 51.*

9) Item *testes* quippe suppeditant attestationes. Sed nisi *sponte* accedant non fiunt irregulares.

319. Ex dictis patet quomodo hanc irregularitatem effugiant clerici qui in curiis eccles. iudicia agant criminalia; etsi ob sententiam editam reus puniatur depositione et dein degradatus tradatur brachio saeculari tali crimine accusatus ut luere debeat poenam mortis. Canones statuunt ut in actu traditionis brachii

saecularis haec edatur protestatio *ut citra mortis periculum, circa eum, sententiam* (iudex) *moderetur;* arg. *cap. 27 De verb. signif.;* sed hac etiam praetermissa, clerici non fiunt irregulares quia iudicium sanguinis *proxime et efficaciter* institutum *ad publicam vindictam*, seu in themate, ad *poenam sanguinis*, non ipsi egerunt sed agit et explet iudex laicus. Cf. Suarez XLVII, 1, 12.

Irregularitatem praeterea effugit *legislator* qui poenam sanguinis statuit quippe in *singulos* casus executionis remote et non formaliter concurrit. *Efficax* enim *formalis* seu *proximus concursus* in condemnationem et in executionem poenae sanguinis est necessaria conditio ad incurrendam irregularitatem (1). Exinde non fiunt irregulares iudices qui in supremo gradu hierarchico non iudicant *de facto*, sed examinant processus ordinationem et quaestionem *iuris*, prouti fiebat in Curia Romana in supremo Tribunali *Signaturae Iustitiae* (cf. Vol. II, n. 34) et hodie penes nos, in Tribunalibus Supremis, appellatis *Di cassazione.*

Item confessarius qui persuasibilibus divinae sapientiae verbis monet reum ut sponte patibulum conscendat et caput securi submittat non fit certe irregularis.

Ex alio capite non fiunt irregulares illi omnes qui non *sponte sua* sed vi sui officii *non sponte* suscepti cooperantur in condemnationem; tunc enim nullus adest defectus lenitatis. -

(1) Quare plane probamus quae docet cl. Gasparri l. c. referens hodiernam penes nos iudiciorum criminalium ordinationem unde infert quinam ab irregularitate sint immunes; scil. ait sub n. 454, 6: « Ob eamdem rationem idem dicimus de *Procureur de 1er instance* qui requirit inquisitionem a Iudice instructionis; et de ipso *Iudice instructionis* qui si reus apparet probabiliter culpabilis, ipsum remittit *à la Chambre de mise en accusation* et de ipsamet *Chambre de mise en accusation* quae tamen reum defert *à la Cour d'Assises;* nam *à la Cour d'Assises* agitur iudicium sanguinis et ideo omnes alii remote concurrunt ».

Proinde *testes* qui coguntur attestationes edere, *milites* qui, legis imperio, militiam faciunt quamvis adhibeantur uti executores poenae capitalis in suum commilitonem, non incurrunt irregularitatem: saltem res dubia est; quia isti non agunt ratione officii *sponte* suscepti. Quod si etiam militiae nomen dederunt sponte, at ne cogitarunt quidem de casu quo cogerentur esse ministri poenae capitalis. Cf. Reiffest. V, 12 105; D'Annibale I, 426, et Gasparri 454 (1).

320. Homicidium et mutilatio quae fiant *in bello* pariunt irregularitatem sed diversimode tum quoad *causam proximam*, tum quoad *personas*.

Si bellum sit *iniustum* tum causa proxima irregularitatis est *delictum* et dummodo unus tantum occidatur aut mutiletur omnes fiunt irregulares qui in eiusmodi bellum sponte concurrerunt. - Inquam *sponte;* nam qui *inviti* militiae nomen dederunt prouti hodie accidere solet penes nos, videntur immunes ab irregularitate, dummodo de facto neminem occiderint aut mutilaverint neque alios ad id excitaverint. Ita videtur intelligendus Suarez XLVII, 5, 1; cf. Bened. XIV *Inst. eccles. 101, 8.* - In dubio, bene observat Gasparri 448, bellum praesumitur *iustum.*

In bello *iusto defensivo,* LAICI non fiunt irregulares etsi occiderint et mutilaverint hostes et sponte in aciem conscenderint. CLERICI si sponte milites se conscripserint et aliquem occiderint aut mutilaverint etsi ad sui defensionem, fiunt irregulares sane non *ex delicto* sed ex *defectu lenitatis;* arg. *c. c. 3 De clerico percussore X* (V, 25), *et 24 De homicid. X* (V, 12). Intelliguntur vero *clerici* non sponte militiae conscripti, si *laici* deficiebant vel alias militiae nomen dederint in summo

(1) Revera casus a nobis propositus durior est casu quem Gasparri examinat; sed principii generalis ratio videtur non minus unum quam alterum casum comprehendere. Attamen aliqua irregularitas *impropria* videtur obstare quominus eiusmodi homo s. ordinibus initietur, prouti suadet praxis S. Cong. Concil.

rei publicae discrimine, arg. *cap. 2, De immunit. eccles, X* (III, 49).

In bello *iusto offensivo* sive *clerici* sive *laici* fiunt irregulares qui hostem occiderunt aut mutilarunt, quamvis id patraverint necessitate coacti personalis defensionis et servato moderamine inculpatae tutelae. Haec conclusio certa est quum milites *sponte* sua signa secuti sunt. Suarez XLVI, 2, 4. Sed quid iuris de militibus qui hodiernis legibus inviti conscribantur? Ex principiis supra positis hi videntur excusandi. Porro haec irregularitas repetenda est *ex defectu lenitatis*. Cf. n. 318.

Communi sententia excusantur milites, etiam *sponte* conscripti, qui suis manibus non occiderunt aut mutilarunt, arg. *c. c. 3 De cleric. percuss.* et *24 De homicid.* Sed Cong. Concilii solita est respondere etiam in hoc casu pro existentia irregularitatis, ex principio *reflexo;* quippe parum attendenda videtur assertio militum qui contendunt sclopetum se in aërem semper displosisse, prouti scite notat Bened. XIV *l, c. 20* (1).

Monet vero D'Annibale: « *At is qui dubitat num ipse occiderit aut mutilaverit aliquem, licet multi occisi et mutilati fuerint non est irregularis* » nempe in bello iusto etsi *offensivo*.

321. Quoad facultatem dispensandi, haec, quum irregularitas est *ex defectu lenitatis,* soli Romano Pontifici competit.

Sin est *ex delicto*, tunc vi decret. Concil. Trid. *sess. 24, cap. 6 De ref.* Episcopus dispensare non valet quando ista oritur *ex homicidio occulto voluntario.* - Quia versamur in odiosis, poterit ergo dispensare in irregularitate *ex mutilatione occulta*

(1) Quare quae leguntur *in folio Aveiren. Irreg. 30 Iun. 1804,* scilicet: « *S. C. censuit* indigere dispensatione qui saeculari militiae adscriptus arma tulit et bellicis expeditionibus se immiscuit licet neminem interfecerit aut mutilaverit *in Ipren. Irregul. 16 Dec. 1702, et 13 Ian. 1703* »; intelligenda sunt prouti ea *in casu Ipren.* exponit Bened. XIV *l. c.* et non est admittenda ista *absoluta* assertio, quam enunciat ipse Schmalzg. *V. 12 n. 136.*

voluntaria, sive ex homicidio occulto *indirecte voluntario* seu *causali* seu ex quasi-delicto. - Imo si hoc fuerit occultum, quoad *omnes ordines*, sin publicum quoad *ordines minores*, ideoque ad beneficia simplicia; arg. *c. 2 De cleric. pugnant X* (V, 14), et Conc. Trid. *sess. 14, c. 7, De ref.* - Cf. D'Annibale (I, 429).

Ab hac irregularitate, ex homicidio aut mutilatione publica, ita ex abortu foetus animati vel casuali seu indirecte voluntarii, dispensat Romanus Pontifex maxime per organum S. Cong. Concilii. - Sed non dispensat quando vel gravis superest in homicida *infamia facti* vel quousque satisfactum non sit iustitiae poenali et civili. Cf. Gasparri, 457.

Etiam quoad homicidium *publicum casuale* seu ob *quasi-delictum* ad tramitem *sess. 14 cit., cap. 7* Concil. Trid., Cong. Concil. mittere solet negotium dispensationis Episcopis; et huc referenda est decisio relata a Gallemart, *h. l. n. 3.*

Quoad Regulares S. Pius V Const. *Romani Pontificis* facultatem dispensandi a Concil. Trid. tributam Episcopis extendit ad Praelatos Regulares pro illorum *subditis regularibus.*

TITULUS IX.

DE DELICTIS ET POENIS IN CONCRETO; SCILICET DE POENIS IN GRAVIORA DELICTA CONSTITUTIS.

Summarium. — 322. Quanam ratione modo agamus *in concreto* de delictis et poenis. — 323. Quanam methodo.

322. Hactenus explicavimus *abstractam* notionem *delicti* et *poenae*. Poena vero consequitur delictum, quippe malum delicti compescitur et veluti compensatur per bonum poenae. Quaenam sint poenarum genera et species iam esplicavimus. Modo delictorum genera et species enucleabimus eo consilio ut recenseamus graviora crimina et poenas quae crimina consequuntur ex iure can. constituto.

323. Poenales vero graviorum criminum sanctiones ecclesiasticas enumerantes pro practica methodo, cui inhaerere pressius semper studuimus, assumemus, in primis, *Const. Ap. Sedis* breviter exponendam, in qua delicta aetate nostra frequentiora et magis infesta plectuntur censuris *l. s.*, nempe illis poenis quarum liber usus vix solus Ecclesiae hodie praesto est. At meminerimus etiam aliorum criminum aliarumque poenarum *l.* vel *f. s.* singulo crimini adnexarum, quorum cognitio utilis videatur.

Caput I.

DE CRIMINIBUS DIRECTE CONTRA DEUM ADMISSIS SEU DE APOSTASIA ET HAERESI.

Huc referat. tit. 7. et 9 lib. V, X; et tit. 2. in 6. lib. V.; in Clem. tit. 3. V.

Summarium. — 324. Articulus I. Const. *Apost. Sedis* plectit *apostatas* ac *haereticos.* — 325. Apostatae quinam dicantur. — 326. Quid sit apostasia *a religione.* Poenis quibus plectitur. — 327. Quid apostasia *ab ordine.* — 328. Poenae contra clericos et regulares attentantes matrimonium. — 329. Poenae in apostatas *ab ordine.* — 330. De conceptu haeresis. — 331. Quo modo puniantur haereticorum complices, nempe *credentes receptores, fautores, defensores* in genere. — 332. De haeresi quatenus est crimen detrahens ipsi civili tranquillitati christianarum civitatum. — 333. De poenis in haereticos eorumque complices latas. — 334. De schismaticis. — 335. De censura et prohibitione librorum et de vetita tolerantia haereticorum *(remissive).*

324. Const. *Ap. Sed.* sub n. 1 excommunicationum *speciali modo* Romani Pontifici *reservatarum,* comprehendit: « *Omnes a Christiana fide apostatas et omnes ac singulos haereticos quocumque nomine censeantur et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores* ».

325. *Apostatae* illi dicuntur qui penitus a Christiana religione per baptismum suscepta (1) recedunt; *haeretici* e contra ex parte recedunt negantes unum vel alterum Fidei articulum.

In primis dicamus de *apostatis.* - Nihil vero interest an apostatae ad aliquam sectam infidelium secedant, utputa Iudaeo-

(1) In cod. *Theod. leg. 2. de Apost.* - Apostatae dicti sunt etiam catechumeni qui catechesim deserentes ad deorum templa redibant.

rum, aut incredulitatis vel atheismi profiteantur dogmata, quales sunt moderni *liberi cogitatores*, rationalistae, athei, deistae et alii id genus: hi omnes sunt *apostatae*. - Tamen passim canonistae solent distinguere triplicem apostasiae speciem, nempe:

1) *apostasiam a fide*, de qua modo diximus,

2) *apostasiam a religione,* seu a statu religioso,

3) *apostasiam ab ordine sacro*, de quibus aliquid innuemus ne fiat aequivocatio.

326. *Apostasia a religione* seu a *statu religioso* patratur a regulari qui absque Superioris licentia, sine intentione alium ordinem ingrediendi, deserit ordinem religiosum *approbatum* cui addictus erat per professionem, quin redeundi animum habeat. Inquam *ordinem religiosum*, quia hodiernae congregationes religiosae non veniunt hoc censu, neque harum desertores apostatae, sensu iuris, vocari possunt. Sed quis ordini religioso censetur addictus etiam per nuncupata vota semplicia. Cf. Cl. P. M. De Luca *De delictis et poenis*, p. 107. Ille autem qui suum ordinem dereliquit, iterum rediturus, dicitur non apostata sed *fugitivus* et aliis poenis tenetur.

Patet, hanc apostasiae speciem non plecti excommunicatione in *primo* art. Const. *Apost. sedis* decreta. - Imo siqua censura *l. s.* ex iure communi antea statuta fuit in apostatas *a religione*, quia ista non confirmata est in Const. *Apost. Sedis*, exolevit (1). - Dumtaxat de *eiectis*, inter suspensiones sub n. 5, decernit haec Const.: « *Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt religiosi eiecti extra religionem degentes* ».

Iure quo utimur in re poenali, haec vigent adversus hos apostatas.

(1) Sed inquam « *ex iure communi* »; nam ista *Const.* protestata est, se non abolevisse censuras editas in constitutionibus ordinum approbatorum.

1) Apostata quousque degit impoenitens extra religionem privatur omnibus privilegiis suae religionis, ex *Concil. Trid. sess. 25, De reg. cap. 19;* et Const. Pii IX « *Postquam relata* ». - Unde apostata subest plenissime iurisdictioni Ordinariorum dioecesum. - S. Congr. Concil. in decreto a. 1624, hac de re, edito, confirmato ab Urbano VIII die 25 Sept. praeterea iussit, Superiores regulares quotannis apostatas exquirere debere ut revertantur. (Cf. Giraldi, *op. cit. II, Sect. 536*).

2) Ob infamiam *facti* quam incurrunt arcendi sunt ab ordinibus susceptis exercendis et a suscipiendis; arg. *cap. 3 h. t.*

3) Si infamia *facti*, quacumque de causa, adhuc non prohibeat apostatam ab exercitio s. ordinum, Episcopus sententiâ suspensionis (nempe *ab hom. f. s.*) debet illum statim prohibere a *divinis*,

327. Apostata *ab ordine*, dicitur clericus in sacris (1) ordinibus constitutus qui, marte suo, relinquens sacrum ministerium, habitu clericali dimisso, laicalem conditionem et conversationem praesefert. Apostasiae fastigium attingit si matrimonium attentat atque in eo, quasi laicus, versatur. Huiusmodi apostatae, ob solemne violatum votum, directe Deum offendunt; perseverantes vero in huiusmodi statu, vehementer fiunt suspecti de haeresi quippe non aestu cupiditatis abrepti momentanee sed perseveranti proposito in tam gravi rebellione insordescunt. Hac de ratione in Decretalibus Gregorii IX in Tit. 9, lib. V inscripto « *De apostatis etc.* » animadvertitur tum in apostatas a fide tum in apostatas ab ordine, aut a religione.

328. Regulares, aut clericos saeculares matrimonium attentantes, Constitutio *Ap. sedis sub 1*, inter *excommunicationes l. s. Episcopis sive Ordinariis reservatas*, ita censura plectit:

(1) Qui *in minoribus* ordinibus est constitutus, si *beneficium* habeat, et derelicto habitu et tonsura laicorum more vivat et beneficium non dimittat, apostata dici potest et beneficio privandus est. Cf. Const. Sixti V. *Cum Sacrosanctum*, et Pirhing V. *tit. 9, n. 3.*

« *Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes* ». Quam ad incurrendam excommunicationem requiritur matrimonii attentatio per publicam formam matrimonii sive religiosi sive civilis (1), ita ut faciant praesumere se verum matrimonium attentasse non simplicem fornicationem vel concubinatum instaurasse, quamvis forsitan adhuc deferant habitum clericalem. Si vero isti apostatae eo perfidiae devenirent ut asseverare non dubitarent, Ecclesiam nullum reddere non posse huiusmodi matrimonium, tunc haeretici forent et subiecti anathemati a Trid. Concil. inflicto in *can. 9, sess. 24, De ref.* « *Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto... anathema sit....* ». - Regulares sive clerici in sacris constituti taliter màtrimonium attentantes incurrunt irregularitatem ex bigamia *similitudinaria.*

329. Episcopus vero,

1) clericos ab *ordinibus minoribus* apostatas potest, post congruam triplicem monitionem, declarare spoliatos privilegio fori et canonis, ita ut habitum et tonsuram reassumere non valeant sine eius expresso permisso; ex *cap. 25 et 24, De sent. excom.* et cf. Benedictus XIV, De Syn. *Lib. 5, cap. 12* et *Lib. 12, cap. 2.*

2) Clerici vero *sacris ordinibus* initiati qui fiunt apostatae antea censuris plectuntur *fer. sent.* sed privilegiis non expoliantur nisi per *degradationem.* Cf. *Vol. I. n. 328 sq.*

3) Clerici non secus ac regulares notantur infamia *facti.*

(1) Ex decret. S. Off., *22 Decemb. 1880.* Cf. D'Annibale - Comment. (*ed. 4.*) n. 157.

Sane an incurrant *infamiam iuris* non convenit apud DD. Cf. Thesaurum, P. II. *De apostatis, cap. 2 et 4.*

330. Antequam aliquid specialius dicamus de aliis poenis in *apostatas a fide* latis, vel ferendis, iuvat exponere haeresis conceptum prout est crimen, cum apostatae et haeretici fere iisdem poenis teneantur. A Divo Thoma haeresis definitur: « *Error hominis baptizati in intellectu voluntario contra aliquem articulum fidei cum pertinacia coniunctus* », ex qua optima definitione patet haeresis requisita esse, nempe: *a*) errorem in intellectu, *b*) deliberatum, *c*) pertinacem seu externe significatum cum plena cognitione reprobationis Ecclesiae (1). Haec est haeresis quae poenis Ecclesiae percellitur, nempe *externa et formalis* quamvis forsan *occulta*, ut a poenis eximatur haeresis *materialis* vel *interna;* nam *materialis* non est vere haeresis in intellectu; *interna* non est externo foro subiecta in quo criminaliter punit Ecclesia (2).

331. In articulo cit. *Const. Ap. Sedis* apparet quomodo haereticis accenseantur *credentes*, *receptores* et *fautores* et *generaliter* quilibet *defensores*, quamvis sectae nomen expresse non dederint.

Praeter ipsos haereticos, hos quoque complices haereticorum punire statuit Innocentius III in Syn. Lat. IV; at servato aliquo discrimine, quia dum haeretici fiunt statim infames, iuxta ea quae explicavimus, supra n. 266, 267, credentes et alii solum-

(1) Hac ratione intelligenda est celebris sententia Augustini: *errare possum sed haereticus non ero.*

(2) Docet recte D'Annibale, *In Const. Apost. Sedis, comment. cit.* n. 31. « Illud non interest, cum verbis eam prodidit, utrum aliquis audierit loquentem, an nemo; forte quia nemo praesens erat, si modo praesens exaudire potuisset: nec, si eam prodidit *facto,* quo *facto* eam prodiderit; ut puta si abdita cordium scire, vel futuras hominum liberas actiones (quae soli Deo patent) divinare conatus fuerit per Tabulas semet moventes, vel *Mediums,* vel *Crisiacos (Magnetizatos)* quos vocant ».

modo post annum, arg. *cap. 13*, § *15*, *De haereticis*. - Tempus anni costituit insordescentiam ex qua desumitur praesumptio iuris seu probatio de crimine haeresis. Cf. n. 144. - Differentia vero quae intercedit inter *credentes* et alios expresse haeresi addictos in hoc videtur reponenda ut *credentes* ii dicantur qui singulos non intelligentes haeresis articulos nec probe cognoscentes, tamen approbant et defendunt in genere illud haeresis sisthema, innixi magis Coriphaeorum auctoritati quam propriae ipsorum persuasioni. - ***Fautores*** vero et ***defensores*** ita distincti ab aliis non puniuntur qua haeretici seu qua credentes, sed quatenus favent haeresi et haereticorum causae, quum id non peragant directa intentione tuendi et defendendi haeresim. Cf. Suarez *De Fide Disp. XXI, c. 8*. - Hi habentur quasi complices principales, qui proinde effectu sequuto, nempe si defensio, receptio, favor effectum habuerint poenis subsunt. Cf. supra n. 40 seq. et Reiffenst. *V. 7, 248*.

332. In societate catholicis principiis penitus imbuta crimen haeresis non tantum est poenis spiritualibus compescendum, sed etiam temporalibus: quod accidit sub *Media Aetate* quando iure merito habebatur uti fundamentum publicae civilis felicitatis fides christiana. Quocirca haereticus, qua homo civitatis proditor scelestissimus et contagiosa labe infectus, per excommunicationis censuras etiam *in humanis* a conversatione aliorum removebatur. Neque ab hisce legibus immunis habitus fuit ipse Imperator aut Rex aut Princeps. Verum si Princeps in haeresim incidebat, iudicandus erat non ab Episcopo, sed a Summo Pontifice qui decernebat eumdem a iuribus Imperii aut Principatus decidisse, proindeque subditos solutos a iuramento fidelitatis erga Principem, quippe in Fidem Christianam rebellem. Haec sublimia et salutaria principia ethnarchiae Christianae explicantur in *cap. 13, h. t.* § « *Moneantur* ».

Haec sunt fundamentalia et impraescriptibilia iuris publici ecclesiastici principia. - Malo fato post pacem *Vestphalicam*

(a. 1648) sensim haeresis habita fuit uti civiliter tolerata seu expuncta a censu criminum civilium. At Ecclesiae ius constituit haereticos *tolerare*, qua *excommunicatos*, poena scilicet emollita excommunicationis, sed qua *haereticos* eosdem tolerare non potest. Proinde *iure can.* urget obligatio denunciandi haereticos *dogmatizantes*. Antea enim omnes haeretici denunciandi erant, at Pius IX, nostrorum temporum habita ratione, decreto anni 1848 praecepit ut denunciarentur tantum illi qui haereses praedicantes in suam sectam alios allicere student. - *Denunciare*, hic significat *iudicialiter* accusare, nempe eo consilio ut publica auctoritas insectetur hos criminosos eosque compescat. Quare non est hic sermo de *denunciatione* vel *admonitione fraterna*, quae descendit a caritatis praecepto. Hinc eiusmodi denunciatio facienda est iudici Ordinario. Quae lex ecclesiastica non obligat, si denunciatio fieri nequeat *sine periculo* et *infamia*, uti declaravit S. Cong. Univ. Inquis. *21 Feb. 1630*. Itaque non excusat nisi periculum admodum grave, quale est *vitae* aut *famae* discrimen.

333. Quocirca nunc agendum est tantummodo de poenis *spiritualibus* tum apostatas tum haereticos compescentibus. Cum primis,

1) recenseatur excommunicatio *l. s.* Summo Pontifici speciali modo reservata ex *Const. Apost. Sed.* quae tenet etiam credentes et alios complices enumeratos.

2) Haeretici sunt irregulares, ex *infamia iuris*, prouti explicavimus n. 264 seq.

3) Credentes vero, fautores, receptores, defensores post annum fiunt irregulares, si satisfacere contempserint, seu si contumaces insordescant in censuris.

4) Haec irregularitas ex *infamia iuris* afficit horum omnium filios, si parentes in contumacia demoriantur; et in linea paterna tenet liberos usque ad secundum gradum; in linea materna ad primum: *ex cap. 2*, § « *Haeretici* » *h. t. in 6. et cap, 15. h. t. in 6.*

5) Praeterea ex *cap. 15 cit.* haeretici eorumque fautores et credentes, et filii in gradibus supra memoratis fiunt inhabiles ad possidenda quaecumque beneficia, dignitates, et officia ecclesiastica. Verum advertatur, filios haereticorum has poenas non incurrere si parentes ad rectam fidem convertantur. Sed ipsi haeretici et complices post conversionem manent irregulares et inhabiles nisi rite dispensatione donentur. Cf. Santi *h. t. 11.*

6) Hinc quaecumque habeant officia aut beneficia quando in haeresim labuntur sive haeretici ipsi aut credentes sive alii complices, iisdem ipso iure hi omnes declarantur privati, arg. *c. c. 9. X, et 12, h. t, in 6.* At in hoc statuto istorum filii non comprehenduntur.

7) Denique, haeretici eorumque complices vel qua *nominatim* excommunicati, aut interdicti, vel qua *notorii* haeretici, sepultura ecclesiastica privantur. Sed qui sunt censurati *tolerati* nec sunt *notorii* haeretici hodie sepulturae ecclesiasticae demandari possunt. Qui hanc legem violant severe puniuntur; nam in *Const. Ap. Sed. n. 1, inter. excomm, l. s. nem. reserv.* excommunicatio, nemini reservata, decernitur contra « *Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos aut interdictos* » (1). In quam legem notetur, hic agi:

a) De solis haereticis seu *apostatis* et *schismaticis* non

(1) Nam sepultura duobus constat; *ritu* sacro, et *loco* sacro. In themate fit sermo tantum de *loco,* quem significat *tradere sepulturae.* Prohibentur a *sepultura* homines christiani vel ratione censurae nempe *vitandi* vel ratione *delicti,* nempe peccatores publici et notorii ita demorientes contumaces aut in notorio peccato. An ut locus sit *sacer* requiratur episcopalis benedictio, quaerunt DD., at non conveniunt; sed pro praxi tuta et recepta est sententia Suarez *De cens.* (XII, 46), qui ait, locum *sacrum* accipi quatenus destinatum rei *sacrae* obeundae aut benedictione aut destinatione Episcopi aut consuetudine.

autem de credentibus aliisque complicibus. Cf. D'Annibale *Comm. cit.* n. 167, qui advertit, eiusmodi tamen publicos *peccatores*, defunctos impenitentes, sub gravi a sepultura ecclesiastica arcendos esse.

b) *Notorios* quoque, non tantum *vitandos*, arceri sepultura. - Sed *notorios* intelligimus quoad locum nempe quo tradi sepulturae debent.

c) Incurrunt excommunicationem non materialiter *sepelientes* nec *iusta persolventes funebria*, sed *mandantes* seu *cogentes* tumulo *inferri*, *condi*, post sepulturam traditam.

334. De *schismaticis* infra agemus. Revera *schismatici* per se non sunt haeretici, quia *per schisma* se separant ab unitate Ecclesiae, cuius centrum est Summus Pontifex, sed integram relinquunt Ecclesiae doctrinam et dumtaxat rumpunt unitatem regiminis. At nullum schisma est, si diu stet, quod in haeresim non recidat; quippe qui ab Ecclesia discedit et foris permanet, iam profitetur extra Ecclesiae unitatem salutem dari, et sibi aliquod dogma fingat oportet ut iustam suae discessionis causam habere videatur.

335. Ecclesia in suis poenis inferendis non solum correctionem attendit reorum, sed et aliorum praeservationem. Unde prudentissime cavet et sollicite invigilat, statutis quoque poenis, ne haereticorum libri edantur et legantur. Praeterea iubet ne catholici homines *in divinis* potissimum communicent cum acatholicis; secus enim haeresis contagio inficiuntur, item iubet ne cum infidelibus se commisceant. - Prae primis agamus de prohibitione et censura librorum.

Caput II.

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM.

Summarium. — 336. De recenti Const. « Officiorum ac munerum ». — 337. Quodnam sit ius hodie vigens. — 338. An vigeant particulares consuetudines.

336. In re tanti momenti hodie utimur iure nuperrime *inducto* per Const. « *Officiorum ac munerum* » quae prodiit *die 23 Ianuarii 1897* (1). - Scopus huius Constitutionis fuit veterem disciplinam innovare eamdemque mutatis temporum adiunctis magis accommodatam reddere. Haec leguntur in Bulla: « Verum salutis publicae ratio quae Regulas Tridentinas genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem Romani Pontifices nominatim Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV, gnari temporum et memores prudentiae plura decreverunt quae ad eas explicandas atque accomodandas tempori valuerunt....

« Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter, more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones quae excedisse opportunitate pristina videbantur vel decreto ipsa sustulit vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. Praeterea propinquo iam Concilio

(1) Sed in Bulla apponitur « Datum Romae..... anno Incarnationis Dominicae *millesimo octingentesimo nonagesimo* SEXTO, quia in Bullis annus sumitur Incarnationis cuius initium est dies *25 martii*. - Integrum textum Constitutionis et alia documenta affinia referemus in *Appendice*.

magno Vaticano, doctis viris ad argumenta paranda delectis id negotium dedit ut expenderent atque aestimarent Regulas Indicis universas, iudiciumque ferrent quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur*. Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium ut *Regulae Indicis.... recenti revisioni et redactione submittantur*. Quibus Episcopi concinunt ex Italia, aliisque e regionibus complures.

« Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum populorum habeatur ratio, sane aequa postulant et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus in quo non litterae licentius excurrant; inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte suspensi religione animi plurimorum, ex altera quidlibet legendi impunita copia.

« Hisce igitur incommodis medendum rati duo facienda duximus ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet *librorum improbatae lectionis diligentissime recognosci Indicem*, subinde maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus *easque decrevimus, incolumi earum natura efficere aliquanto molliores ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit*. In quo non modo exempla sequimur Decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur; quae quidem nihil tam expetivit quam se impertire benignam, sanan-

dosque ex se natos ita semper curavit, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

« Itaque matura deliberatione adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus quae infra scripta unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt; *quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis* REGULIS *sacrosanctae Tridentinae Synodi iussu editis*, OBSERVATIONIBUS, INSTRUCTIONE, DECRETIS, MONITIS et quovis alio Decessorum Nostrorum hac de re statuto, iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida*, quam sicut adhuc viguit ita in posterum vigere integram volumus ».

337. *Duo facienda* duxit Pontifex, sed horum *alterum* nondum absolvit, nempe *Indicem diligentissime recognitum nondum vulgavit*. - *Alterum* perfecit edens *Decreta Generalia*, seu novas Regulas Indicis, *quibus idem sacrum Consilium lib. not. posthac utatur unice* (seu S. Cong. Indicis) quibusque *catholici homines toto orbe religiose pareant*. - Etenim scitu necessarium est in Indice recenseri libros cuius lectio reprobatur; sed quia non omnes libri reprobandi expressa reprobatione plecti valent, hinc conditae sunt *Generales Regulae* quae docent fideles a quibusnam libris legendis abstinere ipsi debeant, quamvis hi libri expresse reprobati non fuerint. Nihilominus libri qui a competente auctoritate recensentur in Indice librorum reprobatae lectionis, comprehenduntur iam sub aliqua *Regula Generali* reprobationis: ita *Regulae Generales* seu *Decreta Generalia* Indicis se habent ad Indicem.

Inde quaesitum est an hodie cum iam editae sint novae Regulae Generales at nondum editus sit Index recognitus et exactus ad novas Regulas, an libri qui in Indice proscribuntur at qui certe erunt expungendi ab Indice, an hi libri hodie haberi debeant uti reprobatae lectionis. - Cl. Vermeersch e S. I. in

Commentario in hanc Const. edit. 2, pag. 33 ita resolvit quaestionem « Recens Constitutio abrogat leges de censura et prohibitione, mere promittit novum catalogum. Antiquus ergo per se viget. Si tamen *constet* quosdam libros nullatenus ob pravam vel suspectam doctrinam esse in Indicem relatas sed mere ob *suppressam Iuris dispositionem;* eos, nostra sentententia, pro demptis e catalogo habere possis ». Sed huic sententiae adhaerere non possumus, quia *recognitionem* Indicis Papa non commisit singulis fidelibus, sed sibi reservavit, eo consilio ut postea Ipse ederet Indicem diligentissime recognitum; ergo viget *integer vetus* Index *donec novus* edatur. Ita etiam docet Cl. Gennari *Comment. in hanc Const. pag. 16 in nota.* At abrogata sunt particularia Decreta prohibitionis in Indice non relata (1).

338. Praeterea quaesitum est an vigeant *particulares consuetudines.* Porro in Constitutione omne ius *scriptum* anterius est abolitum expresse, sed de consuetudinibus nulla fit mentio. Ceterum *particulares* consuetudines per legem generalem non intelliguntur sublatae « *nisi expresse caveatur in ipsa* » *cap. Licet. 1, De consuet. in 6.*

Quare Vermeersch *l. c. p. 32,* et Genicot ab eo citatus opinantur, huiusmodi consuetudines non esse abrogatas. - Sed nobis haec opinio non placet quia e diametro pugnat cum intentione Principis. Hic enim ad *instantiam Episcoporum* orbis

(1) Doctores qui disseruerunt ante hanc editam Const. iidemque consulendi, sunt S. Alphonsus tum in *Theologia Morali, VII, n. 281-289* - tum in *Dissertatione* de *iusta prohibitione* et *abolitione librorum* (Appendix ad theolog. moral.), Arndt S. I. *De libris prohibitis. Ratisbonae 1895.* - In nostram Const. commentarios exararunt, inter alios, M. Gennari, Ioseph Pennacchi, alter in *Monitore eccles.*, alter in *Acta S. Sedis* sed hodie editi sunt hi commentarii excerpti, respective, ab ephemeride; Vermeersch S. I.; Genicot, in opere *Theologiae moralis institutiones* vol. I, n. 451-460 *edit. tertia;* Périés, *L'Index,* Paris, *Roger et Chernovitz 1898;* Alexander Ciolli, Commento Breve - Firenze - *Fratelli Bencini 1899.*

catholici, proponit legem facilem, vetere emollita, et apte accommodatam temporibus, eamdemque subrogat omnibus legibus antea hac de re editis, eisdem e medio sublatis; sed finem non attingeret si intactae perseverarent consuetudines particulares. Has vero reprobaverant Episcopi universi efflagitantes *nova decreta*. Quare supervacaneum erat de iisdem mentionem facere; et satis fuit exprimere, *catholicos homines totius orbis* inde obligari ut religiose *pareant*. Ita tenet etiam cl. Gennari *l. c. pag. 19* (1).

Sed convenit apud omnes canonistas, hodie neminem invocare posse exemptionem a Regulis Indicis, quam invocabant nonnullae gentes, veluti Angli (2). Cf. Vermeersch. *l. c. p. 38*. Pennacchi *Comment. in hanc Const.* pag. 26.

(1) Proinde hodie ius, hac de re vigens, *positivum* continetur in Const. « *Officiorum* » et in Const. « *Sollicita et provida* ». Bened. XIV, quas in Appendice referemus. Unde sunt abolita alia statuta generalia, veluti *Regulae Indicis* iussu S. C. Tridentini editae; - *Observationes* Clement. VIII ad Reg. IV et IX; et Alexandri VII ad Reg. X; *Instructio* Clement. VIII; et *Decreta* Benedic. XIV de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis; *Monita* S. C. Indicis, edita die *5 martii 1828*; *7 ianuarii 1836*; *Mandatum* Leonis XII additum Decreto S. Cong. die *26 martii 1825*; *additio novissima* ex Const. *Apost. Sed.* Pii IX.

(2) S. Cong. Indicis *die 23 Maii 1898* interrogata. « *Utrum dicta Constitutio vim obligandi habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur?* » respondit: « *Affirmative* ». Tamen a S. Cong. de Prop. F. amplas facultates fuisse concessas Episcopis Angliae vulgavit ephemerides - *The Tablet - diei 18 Decemb. 1891*, cuius articulum latine redditum refert Vermeersch. *l. c.*

§ 1. *Notiones praeviae in Decreta Generalia.*

Summarium. — 339. Decreta alia respiciunt *prohibitionem*, alia *censuram* librorum. Intentio prohibitionis. — 340. An ad interpretanda nova decreta invocari possint vetera abolita. — 341. Ad quaenam se protendat decretum *prohibitionis*. — 342. De prohibitione absoluta aut relativa. — 343. De prohibitione vi iuris aut naturalis aut positivi humani. — 344. Quid liber libellus, scriptum.

339. Decreta Generalia dispescuntur in *duos titulos*, quorum alter agit de *prohibitione*, alter de *censura*. Decretum enim *prohibitionis absolutae* vel *relativae* attingit directe nonnullos libros ob materiae rationem; alios autem libros non directe attingit sed dumtaxat submittit *praeviae censurae*. Quare *primus* titulus decernit quinam libri prohibeantur; *alter* significat quanam ratione procedatur ad libros recognoscendos et prohibendos.

Sed prohibito libro, intelligitur prohibita doctrina in scriptis exarata prouti iacet, sed per se non condemnatur *animus* seu *intentio* auctoris. Nihilominus Bened. XIV Const « *Sollicita et provida* » cavit de modo quo se defendere possit auctor (1).

(1) Porro Bened. XIV in cit. Const. § 10 statuit. « Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod librorum iudicia et proscriptiones, inauditis auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso. Huic autem quaerelae responsum fuisse novimus, nihil opus esse Auctores in iudicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo quod nocua librorum lectione facile incurritur; si qua vero ignominiae labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat id non directe sed oblique ex libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandos censemus huiusmodi librorum damnationes inauditis auctoribus factas; quum praesertim credendum sit, quidquid pro se ipso aut pro doctrinae suae defensione potuisset auctor afferre id minime a Censoribus atque Iudicibus ignoratum neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus quod saepe alias, summa aequitatis et prudentiae ratione ab eadem Congrega-

340. Ad vim pensandam huius Const. considerari debent ea verba quibus abolentur vetera statuta et ius novum constituitur; nimirum « *Ea* (Decreta Generalia) *vim legis habere* SOLA *volumus abrogatis Regulis* etc. ». Quare haec *sola* Decreta prae oculis habenda sunt in determinandis singulis Decretis - Videlicet si idem *Decretum* contineatur in veteri Statuto, tamen attendenda sunt tantummodo verba quibus decretum concipitur et editur in hac *Const.* - Ea contra in Const. *Apost. Sedis* Pius IX in coercendis et limitandis *censuris l. s.,* reliquit intacta vetera Statuta quatenus alias poenas vel censuras fer. sent. continebant et edixit posse invocari vetera statuta, si conveniebant cum nova *Constitutione.* - Sed in nostra *Const.* « *Officiorum* » Decreta vigent tantummodo in sensu et extensione quam habent in eadem Const. ac si modo primum edita sint. Cf. Pennacchi *l. c. p. 26.*

At admitterem temperamentum a Gennari *l. c. p. 18* invocatum, nempe vetera Decreta recoli posse uti *medium interpretationis* seu ad declarandum *genuinum sensum* verborum. Hoc persuadetur ab ea continuitate et naturali evolutione conservanda in iuridicis institutis. Cf. Vermeersch. *l. c. pag. 32* qui recolit litteras - *Redditae nobis* - Bened. XIV.

341. Hoc criterium statim nanciscitur practicam applicationem in sequenti quaestione; quomodo nempe intelligi debeat simplex decretum prohibitionis. Exempli causa, *caput I huius Const.* inscribitur: *De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum.... libris;* - quaeritur autem quid contineatur, in iure novo, sub simplici decreto prohibitionis. Antiqua in disci-

tione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de auctore catholico aliqua nominis et meritorum fama illustri eiusque opus, demptis demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur, vel auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat vel unum ex Consultoribus designet qui *ex officio* operi patrocinium defensionemque suscipiat ».

plina D'Annibale (*Summ. III, 143*). ita explicabat decretum prohibitionis: « Quos igitur libros Ecclesia proscribit, eos nedum *imprimere, defendere, retinere* sed in primis *legere* grave est; scilicet propter praesumptum *perversionis periculum,* ideoque etsi *nullum prorsus legenti periculum immineat* ». Iamvero omnes commentatores conveniunt, etiam hodie haec secumferre decretum *prohibitionis,* quamvis isti effectus *obiter* tantum innuantur, in *art. 12.* Re sane vera *prohibitio* si alias intelligatur non prospicit suo scopo. Sed potius argumentum deducitur ex poena excommunicationis sp. modo Papae servatae quae in *art. 47* fertur *in scienter legentes.... eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.* Equidem sanctio poenalis latior esse non potest ipsa *prohibitione.*

D'Annibale (*Summ. III, 142*) ita commentatur hanc prohibitionem « *Libro prohibito prohibetur illum legere, retinere, imprimere, defendere. Legere* est oculis prospicere et intelligere quae sunt scripta; proinde nec is legem violat qui legentem audit nec qui legit ipse si ignorat linguam qua scriptus est liber. *Retinere* suum sive alienum, et neuter excusatur eo quod forte ipse legere nescit vel quod cavet ne ad alios perveniat; nec licet eos alienare, commodare, legatos tradere, nisi his quibus licentia est legendi.... *Imprimere* est typis edere; typis vero edere intelliguntur 1) typographus, editor et auctor si auctoris cura editur liber (1), 2) qui operarios conducit ad edendum necessarios, 3) qui *proximam* (2) etsi non formalem

(1) Quare si auctor tantummodo librum exaravit, sed nullimode se implicat negotio editionis effugit poenas latas in editores. Ratio est quia actio criminosa unde damnum immediate promanat in societatem, non est ipsa libri compositio, sed *libri in vulgum editio.* Quare huc spectat prohibitio poenalis. Cf. Pennacchi *l. c. p. 44.*

(2) Idem d'Annibale *l. c. in not. 17* ita explicat, quinam opem *proximam* praestent « Ut ecce, qui typos componunt, qui atramento eos intingunt, qui chartas madefaciunt, qui proelum versant etc.; non item

ad imprimendum operam praestant. Verum hi tenentur quasi *cooperatores materiales;* ideo excusat eos damnum, ut puto, gravissimum tantum, quippe per quam gravissima pernicies ex pravis libris in Ecclesiam et societatem dimanant. Demum *defendere quomodolibet;* nempe sive *codicem* ne intereat ut ecce si prohibeas comburi vel tradi ordinario; sive *doctrinam*, damnatam scilicet (1) ».

342. Prohibitio autem prouti edicitur in nostra Const. est vel *absoluta* vel *relativa;* et *relativa* multiplici significatione.

Prohibitio est *absoluta* iuxta sententiam nostrae Const. quando liber prohibetur ne edatur, legatur, retineatur, defendatur et prohibetur, aequali ratione, quoad omnes.

Est *relativa primo loco* quando liber tantummodo edi non permittitur sine permissu Superioris, scilicet non servata *quadam solemnitate extrinseca;* qui liber tamen editus sine superioris venia per se non prohibetur *legi;* non satis enim hoc exprimitur; ita Gennari, Pennacchi, Vermeersch ll. cc., contra Périés *l. c. p. 114.*

Praeterea aliquando est *relativa* ad certam speciem personarum et haec est quaedam nova praescriptio quae antiquo iure non continebatur.

Denique *relativa* alio sensu dicitur quatenus *prohibitio*, ne liber edatur, sine aliqua servata conditione se refert tantum ad libros in posterum *edendos* et non afficit iam *editos;* ex adverso prohibitio libri ob eius *intrinsecam materiam,* afficit etiam libros iam *editos;* et planum est. Cf. Vermeersch, *p. 44.*

corrector, nec qui editionis impensas faciunt, quippe *remotam* operam praestant ». Qui in recentioribus typographiis ignem machinae admovent, et aliter inserviunt muneri, *per se* non ordinato ad *impressionem, remote* concurrunt ad opus *impressionis.* Vermeersch. *l. c. p. 45.*

(1) Non videtur retinere qui custos est bibliothecae nec alii qui custodi inserviunt; nam revera ipsi non *detinent* aut *possident.* Vermeersch. *l. c. p. 45.*

343. In ipsa vero Constitutione innuitur, librum aliquem esse prohibitum tum iure naturae seu *naturali* tum iure *positivo;* aut aliquando sive iure *naturali* tantum, sive tantum iure *positivo.* Iamvero diversum est fundamentum utriusque iuris; nam prohibitio ex iure naturali innititur *periculo* quod quisque persentit in legendo libro; ius vero positivum innititur in *praesumptione periculi.* Unde ius naturale eatenus urget quatenus adest periculum in singulo legente; ius positivum aeque obligat etsi quoad singulum fidelem periculum non adsit; quia lex positiva non cessat quamvis eius praesumptio, seu finis cesset *quoad singulum* fidelem. Cf. D'Annibale III, 143.

Sed absolevisse dicenda est prohibitio *in odium auctoris* quia non commemoratur. Quum vero dicuntur proscripta *opera omnia* ingelliguntur proscripta ea quae iam in lucem prodierunt. - Vermeersch. *l. c. p. 48.*

344. In Constitutione expresse cavetur de *libris, libellis periodicis, scriptis, diariis, foliis.* - *Liber* accipitur hodie prouti in veteri iure. Ad rem haec habet D'Annibale (III, 141). « Libros autem accipimus hodie qui typis eduntur et aliquo volumine constant. Quare merito quidam negant manuscripta prohibitione contineri (1); nec immerito scripta, typis quidem edita, sed molis adeo exiguae ut magis quo alio nomine, velut *elegiae, epistolae, orationis* quam librorum nuncupari solent..... (2) Verum libro prohibito, non ea solum pars quae causam prohibitioni dedit, sed totus liber prohibetur legi et praeterea quaecumque

(1) Post Const. *Officiorum*, advertimus hoc dubium amplius non esse, quia praeter *libros* recensentur *scripta.*

(2) Quae hodie *lithografice* vel *poligrafice* vel alio modo edi solent pro usu discipulorum vel in alium limitatum usum, non intelliguntur edi seu vulgari prouti expostulat *liber.* Item, si *typis* edantur dissertationes sed tantummodo in usum privatum *discipulorum* (prouti in Germania - *Als manuskript gedrükt*) - non continentur lege communi prohibitionis aut censurae. Vermeersch. *l. c. p. 42.*

pars libri esse intelligitur, ut epistola dedicatoria, prologus, index. Nihilominus cessat prohibitio si eam partem quae prohibitioni causam dedit detraxeris vel deleveris vel induxeris ut amplius legi nequeat; dum ne liber proscriptus fuerit quia tractat de religione *ex professo....* ». Vi cuius principii approbamus sequentem conclusionem P. Vermeersch. *p. 43* ita conceptam. « Quid *de miscellaneis* literariis " *chrestomaties* " quae loca referunt ex operibus damnatis? Considerari possunt vel ut novus aliquis liber, compositus ex variis aliorum operibus vel formaliter ut referentes loca aliorum operum.

« Ex priore capite, propria ipsorum indoles est perpendenda et ipsis ut cuivis alii operi applicanda sunt Decreta Generalia. Poterunt enim ex professo adversari fidei, moribus etc. Ex altero autem capite, si moraliter idem aliquod opus proscriptum videantur exhibere, huius partecipabunt proscriptionem. Si vero, ut plerumque fit, damnati libri paucas numero continent paginas, non ideo iam prohibentur ipsa miscellanea. Solutio confirmatur ipsa praxi ».

Ephemerides, seu *diaria* non veniunt nomine libri, sed attendenda est responsio S. Officii *die 13 Ian. 1892*, qua edixit accenseri libris *publicationes periodicas in fasciculos ligatas*.

Libellus distinguitur *a libro* ratione *molis*, ratione autem *qualitatis* distinguitur a *diariis*. Adsunt etiam libelli *periodici* quos significavit cit. resolutio S. Officii.

Folium, per se, in arte libraria, exprimit quamdam mensuram et hac de ratione libri dicuntur *in 4°* vel *in 8°* etc. editi, et hoc sensu Smalzg. (V, 7, 55) et alii asserunt ad *librum* componendum requiri *10 folia*. - Haec regula forsan est nimis absoluta. *Folium* usu quotidiano aequivalet *diariis*, quae in singulos dies vel in constitutas certas dies eduntur. Quare *libelli periodici* qui eduntur in statum tempus differunt a *foliis*, *diariis* ratione *molis* et *gravitatis* tractationis.

Scriptum differt a libro ratione *molis* et *qualitatis*. - *Scri-*

ptum est vox maxime generica et complectitur etiam *libellos, diaria.* Aliquid speciale habet quatenus non refert an typis edatur aut aliquo alio modo, vel forsan sit *manuscriptum.* Sane S. Officium prohibens *scripta* quaecumque destinata *propagationi*, de nova devotione recens inventa edixit *die 6 Feb. 1896 - parvi referre num typis edita fuerint.*

§ 2. *De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris.*

Huc referatur caput I., tituli I. huius Const. ita inscriptum.

Summarium. — 345. Refertur textus *1. art.* — 346. Brevis commentatio. — 347. Refertur *art. 2.* — 348. Commentatio. — 349. Refertur *art. 3.* — 350. Commentatio. — 351. Refertur *art. 4.* — 352. Commentatio.

345. Art. 1. « *Libri omnes quos ante annum MDC aut Summi Pontifices aut Concilia oecumenica damnarunt et qui in novo Indice non recensentur eodem modo damnati habeantur sicut olim damnati fuerunt; iis exceptis qui per haec Decreta Generalia permittuntur* ».

346. Hic articulus conformis est Regulae 1ae Indicis, in qua tamen non reperiuntur verba: *iis exceptis* etc. Haec exceptio videtur magis se referre ad *art. 5, 6, 8, 10 sq.* (1). - Ratio vero prohibitionis desumenda est omnino ex antiqua disciplina, iuxta Pontificum aut Conciliorum decreta quae libros damnarunt. In his nihil est innovatum.

(1) Notat Pennacchi, libros taliter damnatos, qui continentur in collectione *Migne*, haberi iam confutatos a libris orthodoxis inibi adiectis et hinc esse permissos. Vermeersch. *l. c. pag. 54* approbat et idem censet de collectione conciliorum confecta a Labbe Mansi. - Licite vero legi possunt scripta antiquorum haereticorum ut Tertulliani, Origenis, quia istorum errores quamvis ab Ecclesia expresse condemnati, tamen iam penitus obsoleverunt. Genicot, *l. c. 452.*

347. Art. 2. « *Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum, et quorumcumque scriptorum haeresim aut schisma propugnantes aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes omnino prohibentur* ».

348. Ex hoc articulo immutatur ius vetus, quo libri omnes *(Reg. II. Indicis)* haereticorum, veluti in *odium auctoris*, prohibiti erant, etsi de religione non dissererent. - Verum in nostro articulo comprehenduntur etiam *schismatici* et omnes alii scriptores eiusmodi errores propugnantes quia scopus articuli est non condemnare librum intuitu personarum seu ob suspicionem erroris, sed directe ratione errorum. - *Propugnare* vero uti ipsum vocabulum sonat, non significat obiter tractare, sed ex instituto assumere defensionem haeresis aut erroris. - *Fundamenta religionis evertere* importat, impugnare veritates fidei praeambulas, ut puta spiritualitatem animae aut veritatem librorum Veteris Testamenti aut ipsa *loca theologica*, uti vocant, utpote quae continent motiva credibilitatis Nostrae Religionis. Cf. cl. Gennari, *l. c. p. 24.* - Denique *utcumque evertentes* spectat ad omnigenas artes quibus errores ingeruntur, nempe vel disceptatione doctrinali vel satyras scribendo, aut ingeniosis confictis fabulis, aut narrationibus romanensibus (vulgo romanzi) additis etiam *figuris*, imaginibus quomodocumque expressis, prouti mos fert.

349. Art. 3. « *Item prohibentur acatholicorum libri qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri* ».

350. *Acatholici* sunt ii omnes baptizati qui sive ob haeresim sive ob schisma ab Ecclesia separati sunt. Cl. Gennari inter *acatholicos* non comprehendit *schismaticos*. Verum quia *practice* schisma non viget apud nationes nisi admixtum alicui errori contra fidem catholicam ita inter acatholicos comprehendimus etiam schismaticos. Cf. Vermeersch. *l. c. p. 74.* Tractare ex *professo* significat tractare non *obiter* sed *ex instituto* seu *data opera*. Nihilominus dictio *ex professo* fortior est

dictione *data opera;* quia prima significat sibi certum scopum praeponere. - De *religione*, nempe de disciplinis sacris quibus accensemus etiam *ius canonicum*, sed non philosophiam moralem, nec methaphysicam. In istis pertractandis facile *everti* possunt *fundamenta religionis*. - *Nisi constet* etc. - nimirum libri *ex professo* tractantes de religione editi ab eiusmodi hominibus praesumuntur infecti errore, sed est praesumptio quae cedit probationi contrariae, etiam testimonio unius viri fide digni. Nimirum non necessario expostulanda est auctoritas *publica* eccles. sed sufficit *privata* auctoritas.

351. ART. 4. « *Libri eorumdem auctorum qui ex professo de religione non tractant sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habentur donec speciali decreto proscripti haud fuerint* ».

352. Tantum adverti debet, hos libros qui *iure ecclesiastico* prohibiti non sunt quippe adhuc speciali decreto haud proscripti fuerunt, posse prohibitos haberi *iure naturali* ob periculum, inde profluens cuidam singulari lectori, uti explicavimus supra. Hoc articulo penitus immutata est *Reg. II. Indicis*.

§ 3. *De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.*

Huc referatur caput II., tit. I. ita inscriptum.

Summarium. — 353. Refertur *art. 5.* — 354. Commentatio. — 355. Referuntur *articuli 6, 7, 8.* — 356. Commentatio.

353. ART. 5. « *Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae etiam Ecclesiae Orientalis ab acatholicis quibuscumque publicatae etsi fideliter et integre editae appareant iis dumtaxat qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur* ».

354. Postquam in *primo capite* sententia damnationis lata est in libros qui haereticorum referunt sententiam atque propugnant, in *altero* capite sollicitudo Ecclesiae se convertit ad *Sacram Scripturam* in qua sunt *quaedam difficilia intellectu quae indocti et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem*, uti monuerat iam Divus Petrus. Hac de causa in *art. 5*, prohibentur editiones Sacrorum Bibliorum ab acatholicis quibuscumque publicatae; nimirum *ob praesumptionem erroris* qui studiose solet ingeri ab huiusmodi hominibus in Sacris Scripturis *etsi fideliter* et *integre appareant editae.*

Sed ratio habenda erat hominum catholicorum qui in haec studia incumbunt ad refutandos errores acatholicorum; quamobrem istae editiones ceteris prohibitae, permittuntur *iis dumtaxat qui studiis theologicis vel biblicis dant operam.* Sed quinam intelligendi sunt ita *operam dare?* Certe Professores et alumni qui ex munere suo incumbunt in disciplinas theologicas et biblicas veniunt hoc censu; sed ii quoque qui ex *industria sua, privatim,* partem non mediocrem suae activitatis *habitualis* devovent in haec studia - Inquam - *habitualis* - nam si quis *obiter* aliquam quaestionem explicare intendat Sacrae Scripturae ut puta pro enucleanda thesi academica non accensetur iis qui *operam dant.* Equidem S. Cong. Indicis interrogata. « Utrum haec verba articuli V *qui studiis theologicis aut biblicis dant operam* intelligenda tantum sint de doctis viris, iis scientiis deditis, aut extendi valeant ad universos S. Theologiae tyrones » (1) respondit *die 23 maii 1898* « *Negative ad 1am partem; affirmative ad 2am* ». Praeterea videtur uti posse hac permissione alumnus qui in his disciplinis experimentum *extraordinarium* facere debeat apud ali-

(1) Genicot *l. c.* in referenda hac responsione *l. c.* habet verba - *Theologiae studiosos* - non - *Theologiae tyrones* - uti legitur in *Acta S. Sedis, XXX, p. 749;* at vocabulum *tyrones* se refert ad tyrocinium scholasticum et est minus latum.

quam Universitatem studiorum ad consequendos gradus academicos. Cf. Vermeersch. *l. c. pag. 77*, et Genicot *l. c. I. 453, I.;* et Pennacchi *l. c. pag. 61.*

Sed neque his personis permittuntur hae editiones si *impugnentur in prolegominis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata.* - Sed *impugnare*, non est simpliciter errores nectere adversus *catholicae fidei dogmata.* Verum *dogmata fidei catholicae* dicenda non sunt nisi illae veritates expresse ab Ecclesia definitae uti *dogmata.* - Tunc necessaria est dispensatio a lege, quae haud negatur oratori legitime hanc efflagitanti. Sane *die 21 Iunii 1898* propositis dubiis: « I. Utrum sub nomine eorum qui *studiis theologicis* vel *biblicis dant operam* veniant etiam alumni qui theologiae et linguae hebraicae ac graecae in scholis Seminariorum vacant? Et quatenus affirmative. II. Utrum possit Episcopus permittere ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos, legant ac vertant, dummodo *non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus talium librorum catholicae Fidei dogmata?* S. Cong. Indicis respondit ad I^um^ *Affirmative;* ad II^um^ *Negative; nisi specialem a S. Sede facultatem obtinuerit* ». Sensus harum responsionum hic videtur esse ut alumni qui curriculum explent *S. Theologiae et linguae hebraicae et graecae* possunt uti editionibus S. Scripturae ab acatholicis editis *dummodo non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata;* alumni autem qui sub ductu professorum, legere et vertere student textus hebraicos et graecos, exercitationis causa ad *linguas addiscendas* non posse uti hisce editionibus sine venia S. Sedis. Nempe, ni fallor, distinguitur usus harum editionum ad studia theologica ab usu pro scopo addiscendi huiusmodi linguas. - Quare dubito an Vermeersch. 97, (*edit. 3ª*); et Genicot n. 453, verum sensum assecuti sint dum asserunt - id denegatum fuisse ab hac S. C. *ne ánsa daretur deserendi in scholis* theologicis textum Vulgatae quem in eisdem tamquam

authenticum adhiberi iussit Trid. Sess. 4, Decret. de edit. et usu ss. librorum.

354. ART. 6. « *Eadem ratione et sub iisdem conditionibus permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina sive alia lingua non vulgari editae* ».

ART. 7. « *Cum experimento manifestum sit si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri, versiones omnes in lingua vernacula etiam a viris catholicis confectae omnino prohibeantur nisi fuerint approbatae aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus* ».

ART. 8. « *Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum quamvis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim quae per societates Biblicas a Romanis Pontificibus non semel damnatas divulgantur cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.*

« *Hae nihilominus versiones iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam permittuntur: iis servatis quae supra* (n. 5) *statuta sunt* ».

356. In articulis modo relatis agitur de versionibus Sacrae Scripturae non antiquis, de quibus res est in *art. 5.;* sed de versionibus *in lingua non vulgari* non antiquis, et de recentioribus editis *in lingua vulgari.* - In *art. 6* repetitur eadem praescriptio *articuli 5* et applicatur ad versiones *non antiquas* confectas in lingua *non vulgari* publicatas ab acatholicis.

In *art.* 7, permittuntur versiones S. Scripturae *in lingua vulgari* confectae a viris catholicis dummodo *aut sint* approbatae *directe* a S. Sede, aut prodeant instructae *adnotationibus* et sub *vigilantia Episcoporum. Adnotationes* desumi debent *a S. Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus,*

quod idem est, istas debere referre Ecclesiae traditionem et communem sensum. - *Vigilantia* vero Episcoporum exercetur cum non permittunt edi eiusmodi versiones sine sua approbatione. Notat Vermeerschs *l. c. p. 76 « Ex usu iam recepto, saltem apud nos, videntur tamen hodie adhuc permitti posse quaedam partes sine scholiis: v. g. liber Tobiae, epistolae, evangelia anni quae passim in Enchologiis exhibentur »*. Subscribimus huic sententiae at advertimus, hos libros edi non posse ob regulas deinde explicandas, sine approbatione Episcopi qui huiusmodi libros prohibebit *expresso decreto* si isti erroribus inficerentur.

In hoc articulo relata est antiqua disciplina ex decreto S. Cong. Indicis *17 Iun. 1857 et* 7 *Ian. 1836* unde correcta fuerat Regula IV Indicis. Cf. cl. Gennari *p. 31.*

Articulus 8 in veteri disciplina non reperitur, sed Biblicas Societates non semel damnarunt SS. Pontifices, et apposita documenta late refert cl. Pennacchi *p. 67.*

§ 4. *De libris obscenis.*

Huc referat. caput IV., tit. I. ita inscriptam.

Summarium. — 357. Refertur *art. 9.* — 358. Commentatio — 359. *artic. 10*- — 360. Commentatio.

357. Art. 9. *Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent cum non solum fidei sed et morum qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.*

358. Quia non tantum fidei sed et morum Ecclesia satagit custodiam habere vigilem, postquam in aliis capitibus de *fide tutanda* egit, modo de moribus *tutandis* sollicita est. - Hinc libri *obsceni* distinguuntur non tantum *ex materia*, quantum *ex fine* quem sortiri nati sunt. Etenim ea quae *ad venerem*

spectant, *ex professo* tractant et medici et theologi, quare eorum libri possunt esse *periculosi* sed non sunt *obsceni* seu *lascivi*. Quare *obscenus* et *lascivus* est liber qui ideo ea pertractat ut excitet, suapte natura, appetitum *venereum* et rationem doceat aptiorem qua huic indulgi valeat.

Liber qui in talem finem res *lascivas* seu *obscenas* tractat, narrat aut docet sed *obiter* seu non *ex professo*, nihilominus, si revera legenti appetitum excitet, hic liber prohibetur *iure naturali* pro mensura *periculi*. Sed *ius positivum* prohibet huiusmodi librum quando *ex professo* in *finem lascivum* intendit. Hoc praestitit ne nimis, *hodie*, multiplicentur prohibitiones et fidelium anxietates. Liber autem *ex professo* narrat, tractat, docet quando vel integer vel in notabili parte fini studet mulcendi fovendique pravas cupiditates. Communi sententia in hoc censu habentur opera *Aemilii Zola*. Haud dissimilis erat antiqua disciplina ex Reg. VII *Indicis*. Cf. S. Alphonsi, *Dissert. De prohib. lib. c. 1, n, 9.* (1).

359. Art. 10. *Libri auctorum sive antiquorum sive recentiorum quos classicos vocant si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur quos officii aut magisterii ratio excuset; nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus nisi solerti cura expurgati tradendi aut praelegendi erunt.* »

360. In Reg. VII Indicis sermo habebatur tantum *de libris antiquis;* hodie ratio habita est quoque *recentiorum*. -

(1) Ad rem haec docet Genicot, 452-4: « Si quis ratione officii quod gerit, puta iudicis, advocati, redactoris ephemeridum etc. occasione litis vel controversiae motae de libro ex professo obscoeno, in morali necessitate versaretur talem legendi, merito censet Hollweck (p. 32) id ipsi licitum fore, secluso periculo proximo consensus in turpia.... imo in tali casu lex positiva noxia evaderet dum viri catholici publicis muneribus fungi vel etiam fidei adversarios convenienter confutare non possent ».

Classici hi vocantur qui habentur veluti *exempla* proprii et elegantioris sermonis.

Sed putamus etiam versiones horum auctorum manere sub praescriptione *huius art.* quippe classici solent vocari etiam si in aliam linguam translati fuerint. Cf. Vermeerschs *l. c. p. 80.*

Quaestio est an in limitatione - *pueris vel adolescentibus nisi solerti cura expurgati habendi aut praelegendi* (non) *erunt* - comprehendantur etiam iuvenes qui in aetate 20 et 24 annorum *Universitates* studiorum celebrant. Iamvero quia lingua latina *puer* etiam ille dicitur qui in iuvenili aetate versatur, et quia pro iis *praesumptio periculi* minor non est, at potissimum propter generalem dictionem - *pueris vel adolescentibus* - amplectentem eos omnes qui virilem aetatem et conditionem adepti non sunt (cf. Genicot, *l. c.*), opinor hos certe hac legi comprehendi; nec video grave dubium, quod videtur aestimare Vermeersch *l. c.* quamvis et ipse in nostram sententiam descendat.

§ 5. *De quibusdam specialis argumenti libris.*

Huc referat. caput V, tit. I, ita inscriptum.

Summarium. — 361. Refertur art. 11. — 362. Commentatio in tres partes quibus constat articulus. — 363. Referuntur articuli 12 et 13. — 364. Commentatio. — 365. Refertur art. 14. — 366. Brevis commentatio.

361. ART. 11. « *Damnantur libri in quibus Deo aut Beatae Virgini Mariae vel Sanctis aut catholicae Ecclesiae eiusque cultui vel sacramentis aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur aut extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt* ».

362. In articulis antea explicatis ratio habita est *fidei* et *morum* catholicorum hominum ad eosdem tutandos. Quia fide-

les, in Ecclesia societate externa visibili, habent media quibus instruantur in fide et ad morum sanctitatem diriguntur, in hoc articulo, haec media defenduntur a probris quibus ea impetunt scelesti homines. - Articulus tribus constat partibus. - In *prima* damnantur libri qui detrahunt *Deo* aut *Beatae V. M. vel Sanctis, aut catholicae Ecclesiae eiusque cultui vel sacramentis aut Apostolicae Sedi detrahitur.* - Haec damnatio iam iure veteri edita erat in *Decr. Gen.* § *II, n. 13* ubi prohibentur. - *Pasquilli* (1) *omnes, etiam manuscripti omnesque conscriptiones in quibus Deo aut Sanctis aut Catholicae Ecclesiae et eius Cultui aut Apostolicae Sedi quomodocumque detrahitur.* - Sane *detrahere* significat auferre debitum honorem aut gradum dignitatis, illum impetendo probris et contumeliis. - Quare *detrahere* non est blasphemare, nec dogmata negare; sed facile detractio continet blasphemiam aut proficiscitur ex incredulitate. Equidem *detrahere* est, ipsam Ecclesiam, eius sacramenta, cultum, sanctos viros, Sedem Rom. Apostolicam e *gradu divinae dignitatis* quo consistunt, *pertrahere*, dicteriis et calumniis, ad *conditionem humanae institutionis et dignitatis.* Ita antiquitus detractiones patrabant qui fidem habebant catholicam in Deum et in Ecclesiam, at Deo vel sanctis appingebant defectus et vitia aut hominum aut Deorum ethnicorum. Hodie e contra detractiones habitualiter, fiunt ab his qui *naturalismo* infecti negant efficaciam redemptionis hominum divinae, sanctitatem et integritatem B. M. Virginis, miracula Sanctorum; catholicam Ecclesiam eiusque cultum traducunt in religionem ferme naturalem; et Apostolicam Sedem non magis sanctam et dignam praedicant, quoad institutionem quam fuerint antiqui Sacerdotes. - Verum ibi attenditur Sedes, Apostolica Rom. quatenus est divina institutio et non expresse considerantur singuli Pontifices. - Qui errores *disiunctive* sumpti

(1) *Pasquilli* vulgo *Pasquinate*, sunt carmina aut satyrae seu dicta famosa et arguta quibus impetitur fama alicuius hominis aut instituti.

sufficiunt ad incurrendam damnationem. - Eiusmodi errores accommode explicat exemplis cl. Pennacchi *l. c. p. 88 seq.* (1). - Damnantur libri qui ideo *detrahunt*, sed non innuitur an damnentur si *data opera* aut ex *professo* detrahant. - At ubi *lex non distinguit nec nos distinguere debemus* et tantummodo attendenda est *materiae gravitas.*

In *altera* articuli parte decernitur « *eidem reprobationis iudicio subiaceant opera in quibus inspirationis S. Scripturae conceptus pervertitur aut extensio nimis coarctatur* ».

Cum nostrum non sit definire conceptum inspirationis, sufficiat referre Concilii Vaticani verba quibus definiti sunt limites conceptus inspirationis; etenim *cap. II*, edictum est « *Qui quidem Veteris et Novi testamenti libri integri cum omnibus suis partibus prouti in eiusdem Concilii* (Tridentini) *decreto recensentur et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quia sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habeant auctorem atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt* ». Et haec *altera* pars articuli et *tertia* quae sequitur nullimode habebantur in iure veteri.

In *tertia* parte articuli cavetur. « *Prohibentur quoque libri qui data opera ecclesiasticam hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficiant* ». Hic a probris defenduntur non singulae personae, sed ipsa hierarchia aut status religiosus aut clericalis. Quare illi libri damnantur qui hierarchiam ita impetunt ut asserant, gradus hierarchicos, ita distri-

(1) Hic Doctor, *cultum*, de quo agitur in articulo, mordicus contendit, intelligi debere *reverentiam et submissionem Ecclesiae debitam.* - Sed nos arbitramur inibi comprehendi *complexum rituum quibus Deo et Sanctis et rebus sacris honor exhibetur.* Ita etiam Vermeersch. *l. c. 58.*

butos, obstare voluntati Spiritus Sancti *qui posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, vel non alii scopo inservire quam ambitioni hominum fovendae. - Status religiosus aut clericalis dehonestatur quum, veluti, in libro intenditur evinci thesim, nempe vota castitatis aut obedientiae aut paupertatis esse condemnata ab ipso naturali iure et hinc esse aut nulla aut illicita. Et haec dicta sint exempli causa. Sed hi libri nisi *data opera* aut ex *professo* (quod magis est) in id contendant, *iure eccles.* non sunt damnati. Neque haec conditio - *data opera* - potest subaudiri quoad alias duas partes articuli omnino distinctas.

363. Art. 12. « *Nefas esto libros edere, legere, aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur aut commendantur* ».

Art. 13. « *Libri aut scripta quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones prophetias, miracula vel quae novas inducunt devotiones etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur* ».

Quoad *art. 12* advertatur, prohiberi libros qui in vulgum spargunt artes superstitiosas, sed prohiberi dumtaxat quum eiusmodi artes *docentur* aut *commendantur;* quocirca non prohibetur simplex narratio aut narratio factorum quae istis virtutibus reconditis tribuuntur. Nostris diebus malo fato in honore sunt, spiritismus, ipnotismus et magnetismus qui duo postremi modi patrandi facta mira eatenus sunt prohibiti quatenus excedunt aut excedere conantur et fingunt vires naturales virtute daemonum; quod iure veteri aeque prohibitum erat, in Reg. IX.

In *art. 13* plura sunt consideratione digna. In primis hic articulus ita *late* conceptus est plane novus. Revera Urbanus VIII *Const. Sanctissimus 13 Martii 1625* prohibuit libros edi qui miracula aut signa referrent attributa Servis Dei nondum Beatificatis etsi causa Beatificationis nullimode adhuc esset instituta,

nisi approbati fuissent ab Episcopo et duplici instructi protestatione Auctoris. Praeterea Episcopi hac de re prius consulere debebant S. Sedem quod tamen frequentare iampridem non soliti fuerunt. - Modo quaeritur inter DD. an Auctores praeter Episcopi permissionem adhuc in libro edendo debeant et initio et fine ponere protestationem ad praescriptum Urbani VIII, qua scilicet factis enarratis protestantur, nullam aliam tribuendam esse auctoritatem quam illam ab Auctore repetendam. - Cl. Pennacchi *l. c. pag. 104*, mordicus contendit, tale ius ab Urbano constitutum nullimode fuisse derogatum per novam Const. *Officiorum* - quia advertit, Urbani VIII constitutionem spectare ad causas Servorum Dei iam rite introductas pro obtinendo a S. Sede decreto Beatificationis aut Canonizationis. - Contrariam vero tuetur opinionem P. Vermeersch. *l. c. p. 67* advertens, Constitutionem *Officiorum* abrogasse omnia decreta a Pontificibus edita de censura librorum et huc spectare decreta Urbani VIII. Acta autem causarum Servorum Dei quod spectat, Constitutio nostra *art. 32* cavet, ista edi non posse absque approbatione S. Congr. Rituum. Quoad *libros* autem, *scripta* quae nova narrant miracula, apparitiones etc., nihil aliud expostulat nostra Const. quam approbationem Superioris. Et haec sententia admodum videtur verior eo magis quod cl. Pennacchi supponit Urbani VIII Statuta respicere acta causarum Servorum Dei; et hoc haud est conforme veritati, prouti patet ex textu horum Statutorum quae refert Bened. XIV. *De beat. et canoniz. II, cap. 11, n. 7 sq.* - In hanc sententiam videtur descendere etiam cl. Gennari *l. c. p. 41.* - In summa, quia mens Const. *Officiorum* fuit, leges antiquiores - *efficere aliquanto molliores ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit* - hanc benigniorem sententiam tute sequi possumus.

Lex percellit *libros* aut *scripta* et quaeritur an comprehendantur etiam *ephemerides* - Certe vocabulum *scripta* - maxime

late patet et amplectitur cuiusque formae et molis *libros* et *scripta*, dummodo *narrent* et *publicentur*. - *Narrent*, id est, ex *professo* aut *data opera*, non *obiter*; et *publicentur*, seu publici iuris fiant. Quare legem effugiunt *manuscripta* quia non satis publici iuris fiunt, et *ephemerides*, quia ex suo instituto eiusmodi facta *obiter* referunt; dum e contra condemnantur libri aut scripta quae publicantur ut evulgent istas res miras. - Item, quippe versamur in re odiosa, *miraculum* assumimus *stricte* et distinguimus a *gratiis* ita dictis, prouti explicat Bened. XIV. *De beat. et canoniz. II, p. 1, cap. 1, n. 13.*

Nova miracula, *novas* apparitiones, *novas* devotiones intelligimus non ea tantum quae recens in lucem edita sint, sed etiam vetera tamen a notitia hominum adhuc remota - Cf. Vermeersch. *l. c.* (1). Hic articulus *novam* inducit prohibitionem, penitus respondentem ingenio nostrorum temporum usque proclivi ad res novas.

Prohibitionis ratio tota consistit in editione eiusmodi *librorum* seu *scriptorum*, non praehabita permissione competentis auctoritatis ecclesiasticae, seu *absque legitima superiorum Ecclesiae licentia* qua praetermissa *liber vel scriptum* evadit prohibitum. - Hi vero *legitimi Superiores*, quia nihil speciale cavetur, hi sunt quos, pro subiecta materia, attribuit ius commune. Cf. Pennacchi *l, c.*

364. Art. 14. « *Prohibentur pariter libri qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt; qui de sectis massonicis vel aliis eiusdem generis societatibus agunt easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur* ».

(1) Criteria quae adhibet S. Sedes in prohibendis novis devotionibus a disciplina Ecclesiae alienis; cf. apud *Acta S. Sedis; vol. III, p. 269-361; vol. XXIV, p. 573; vol. XXV, p. 749; vol. XXVI, 319; vol. XXVIII, p. 640.* Potissime attendatur Monitum S. Officii adiectum decreto *13 Ian. 1875,* denuo inculcatum *3 Iun. 1891* et *3 April. 1895.*

365. In hoc articulo tres classes prohibentur librorum eorumque prohibitio desumitur *directe* non ex defectu *legitimae Superiorum Ecclesiae licentiae*, uti in articulo superiori, sed ex ipsa *subiecta materia*.

1) Ex *prima* classe prohibentur libri qui - *duellum, suicidium vel divortium licita statuunt* - seu qui ex scopo sibi praestituto (non *obiter*) disserunt de hisce facinoribus sive soluto sermone sive numeris adstricto sive sub forma confictae narrationis romanensis (vulgo romanzo) contendentes persuadere lectorem, huiusmodi facta haud esse reprobanda.

2) Ex *secunda* classe prohibentur libri qui *de sectis massonicis vel aliis eiusdem generis societatibus agunt easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt*. - Iamvero hodie undique pullulant hominum societates et harum quamplurimae certe bonae dicendae non sunt; tamen debent praescribi certi fines quibus continentur societates hoc articulo proscriptae. - Ita societates institutae ad promovendas cadaverum cremationes damnatae sunt a S. Officio die *19 Maii 1886;* sed tamen non comprehenduntur praesenti lege, quia indolem non referunt sectae massonicae.

Porro, in primis, *secta* designat hominum societatem eamdem doctrinam eumdemque scopum profitentium. Hoc est *genus* sed in *specie* inquirenda est natura, qua constituuntur sectae *hic* condemnatae.

Difficultas vero has determinandi in hoc est, quia hae *sectae* facile mutantur in *externa* sua forma, re tamen vera eumdem conservant *finem*, scilicet *nocendi Ecclesiae et subvertendi ordinationem christianam civilis societatis*. Inter innumera documenta Pontificia, prae oculis maxime habenda est recens constitutio Leonis XIII - *Humanum genus* - data die *20 Aprilis 1884* in damnationem harum sectarum in qua Summus Pontifex has sectas damnat quia - *Ecclesiae Sanctae perniciem* PALAM APERTEQUE MOLIUNTUR..... agunt enim - *ut funditus*

evertant omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicae novamque ad ingenium suum extruant, ductis e medio Naturalismo fundamentis et legibus ». Haec enim omnis nequitia harum societatum; substituere nimirum legi a Deo revelatae et inde derivatae disciplinae rerum divinarum humanarumque, legem rationis humanae naturalem. Variant sane media pro mutatis temporibus, seu olim coniurationes secretae, homicidia, violentes rerum publicarum subversiones, hodie potissimum lues impietatis late disseminatae per ephemerides, per libros, per scripta, per publica spectacula, vel in publicis comitiis per oratores. - Huiusmodi sunt sectae massonicae et aliae affines veluti societates *Fenianorum, Carbonaria, Mazziniana, Nihilistarum, Anarchistarum, Internationalistarum.* Cf. Pennacchi *l. c. p. 124.*

Quaeritur an socialistae hisce sectis sint accensendi. Et affirmat cl. Gennari *l. c. p. 41;* et cl. Pennacchi *l. c.;* maxime quia in Const. - *Quod Apostolici muneris* - Leonis XIII lata die *28 Dec. 1878* ita damnantur hae societates « *Intelligitis nos de illa hominum secta loqui* qui diversis et pene barbaris nominibus *Socialistae, Communistae* et *Nihilistae* appellantur etc. ». - Nihilominus magis placet sententia P. Vermeersch. *l. c. p. 63*, aientis *absolutam affirmationem* dari non posse ob faciles et frequentes mutationes quas patiuntur hae sectae et advertit: « *In Belgio* in duas partes abierunt socialistae, alii *Marxistae*, quorum diarium est *Le Peuple*, declarant se nolle uti nisi mediis legalibus. Alii *Anarchistae*, qui possident ephemeridem *La bataille* aperte appellant novas res - *la revolution* ». - Sed non possumus consentire cum cl. Auctore in eo quod ponit, harum societatum *hic* damnatarum requisitum - *esse secretas*. - Hodie enim sectae *massonicae*, conniventibus publicis legibus, *secreto* parum aut nihil opus habent, unde Pontifex cavit « *palam aperteque moliuntur* ».

3) In *tertia* classe damnantur libri « *qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur* ».

Tuentur id est non *obiter* sed data opera defendunt, sententias nedum *haereticas* sed etiam tantum, uti *erroneas*, condemnatas ab Apostolica Sede, seu immediatate a *Papa* vel mediante *aliqua Rom. Congregatione*, potissimum Congregatione *S. Offici*, dummodo damnationis sententiae *confirmatae fuerint* a S. Pontifice; et *confirmatio* est plane necessaria ut propositio dicatur proscripta a *Sede Apostolica*. Cf. D'Annibale *Comm. Const. Apostol. Sed. n. 105;* Genicot, II, 8593; Pennacchi *l. c.* p. 125. - Equidem passim in hoc propositum invocant DD., uti Vermeersch, *p. 66* responsionem *S. Officii*. Siquidem S. Officium die *13 Ian. 1892* ad *secundum* respondit, - *merito dici Acta S. Sedis quae mediate a RR. CC. proveniunt* - sed in hac responsione sermo est de actibus qui promanant ab ordinaria potestate SS. Cong.; et haec *Acta S. Sedis* promanant *nomine* SS. Congreg. et *auctoritate* S. Pontificis. E contra proscriptae *a Sede Apostolica* dicuntur propositiones quae *nomine et auctoritate* S. Sedis damnantur quamvis ex consulto alicuius S. Congregationis. Cf. Vol. II, n. 284 seq.

Praeterea interrogata S. Cong. Indicis: « *An opera quae permulta sunt erroribus infecta a Syllabo damnatis, verbis art. 14 prohibita censeantur, quatenus errores ab Apost. Sed. damnatos continentia - die 23 Maii 1898* respondit: *Affirmative, si hos errores tueantur seu propugnent.* »

Denique huc non pertinent errores condemnati a Conciliis quoque Oecumenicis.

§ 6. - *De sacris Imaginibus et Indulgentiis.*

Huc referat. caput VI, tit. I, ita inscriptum.

Summarium. — 366. Refertur *art. 15.* — 367. Commentatio. — 368. Referuntur *art. 16, 17.* — 369. Commentatio.

366. Art. 15. « *Imagines quomodocumque impressae D. N. Iesu Christi, B. M. Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei, ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia, non publicentur* ».

367. Quia inimicus et proditor animarum etiam sacris utitur rebus ad mores labefactandos et fidem corrumpendam hinc Ecclesia sollicita est de recto usu Imaginum et Indulgentiarum. Agitur de imaginibus - *quomodocumque* IMPRESSIS, - nempe aut incisione, aut lithographia, aut phototypia, aut phothographia aut silographia aut quocumque alio modo unde hodie per impositionem et compressionem multiplicantur imagines. - Ad genus autem impressionum sane non pertinent picturae et statuae neque *numismata* pertinent quae potius cuduntur quam imprimuntur, uti advertit P. Vermeersch *l. c. p. 89;* et cl. Gennari *l. c. pag, 48.*

Articulus distinguit imagines iam impressas et publicatas ante nostram editam Const. ab aliis postea impressis aut publicatis.

Primae classis imagines prohibentur si sint *ab Ecclesiae sensu et Decretis difformes.* - Haec Decreta continentur potissimum *in Sess.* XXV Concil. Trid. *De sacris imaginibus;* in Decretis Urbani VIII quae refert Bened. XIV in op. *De beatif. Lib. IV, P. II, cap. 21,* in Const. *Sollecitudini, die 1 oct. 1745* edita a Bened. XIV; et in *Decretis de libris prohibitis nec in*

Indice nominatim expressis § III quae decreta quamvis *formaliter* sint abrogata, continent § III exempla imaginum difformium a sensu Ecclesiae.

Quare *picturae, statuae, numismata subiiciuntur* praescriptionibus quae in hisce Decretis continentur, in primis, in citato Decreto Conc. Trid. - Sane Leo XIII in hoc articulo fuit sollicitus de imaginibus quae facillime hodie in vulgum sparguntur. - Picturas, statuas, numismata reliquit moderanda a vetere iure. Equidem Conc. Trid. *l. c.* ita generaliter statuit. « Haec ut fidelius observentur, statuit S. Synodus, nemini licere, ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, exponere vel ponendam curare imaginem nisi ab Episcopo approbata fuerit ».

Secundae classis imagines seu *novae* (1), *sive preces habeant adnexas sive absque illis edantur sine ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.* Itaque iubetur ne edantur sine licentia et hoc tenet editores, sed non exinde prohibentur emi, possideri, si absque licentia edantur. Ita cl. Gennari *l. c.* et Pennacchi *l. c.* (2). Quare editae sine licentia possunt retineri a fidelibus dummodo *non sint difformes* a decretis Ecclesiae; quia secus recidunt in primam prohibitionis partem.

368. Art. 16 « *Universis interdicitur indulgentias apo-*

(1) Ad rem haec notat Pennacchi, *p. 128.* « *Imagines igitur antiquae* illae sunt quarum typus iam confectus est, et ab Ecclesia tacite vel expresse probatus, aut improbatus; *novae* vero quae *novis typis* aut descriptionibus linearibus (vulgo *disegni*) confectae fuerunt et aliquando typis ab Ecclesia probatis respondent, aliquando non respondent ». Cf. Vermeersch, *p. 88.*

(2) Sane haec loquendi ratio prohibet tantummodo *editionem*, dum in *art. 13*, iam explanato cavetur *si publicentur absque legitima licentia* proscribuntur *libri, scripta quae narrant miracula* etc.; en absoluta prohibitio quoad omnes. Si quis obiiciat, in hoc titulo I *Cons. Officiorum*, Pontificem agere de *prohibitione* librorum et intelligi prohibitos, quoad fideles, libros inibi reprobatos, respondemus in hoc titulo agi de *prohibitione* sed hanc respicere aliquando solam libri *editionem.*

cryphas et a Sancta Sede Apostolica proscriptas et revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint de manibus fidelium auferantur ».

ART. 17. « *Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli folia, etc. in quibus earum concessiones continentur non publicentur absque competentis auctoritatis licentia* ».

369. *Primo* apocryphae indulgentiae illae sunt quae, *falso* confictae, attribuuntur auctoritati S. Sedis. - Pontifices, veluti S. Pius V, Paulus V, Innocentius X, Clemens VIII, Clemens IX, Leo X, et alii vel per Constitutiones, vel per Decreta S. C. Indulgentiarum damnarunt indulgentias *apocryphas* et nonnullas *germanas* revocarunt. Cf. Ferraris (v. *Indulgentias* art. IV). Hodie *praesto* est *collectio authentica* edita iussu S. C. Indulgentiarum, itemque concinnata est *autentica Indulgentiarum collectio*, inscripta *Raccolta delle Indulgenze*. Cf. Vol. II, n. 198.

Quoad *alterum* articulum advertatur fuisse confirmatam veterem disciplinam quae iubebat, *novas* Indulgentias vel *nova* Indulgentiarum summaria, folia, libellos edi non posse absque licentia S. Cong. Indulgentiarum; Indulgentias vero iam *approbatas* ab hac Cong., vel Indulgentiarum summaria, libellos, folia *approbata* edi posse dummodo accedat licentia Episcopi. Haec praxis desumitur ex decretis S Cong. Indulgentiarum, editis *die 22 Ian. 1858* et *8 Ian. 1861*, insimul collatis; et istam disciplinam (1) plene vigere post Const. *Officiorum* dixit S. Cong. Indicis, *die 7 Aug. 1897*. Hoc decretum refert Pennacchi *p. 136*, qui ex principio supra explicato asserit, *libros hos, summaria, folia* Indulgentiarum publicata, debita omissa approbatione, non esse proscripta.

(1) Imagines quae in memoriam defuncti vel in alterius pii eventus recordationem solent componi, addita aliqua pia oratione et adnexa Indulgentia, non sunt folia Indulgentiarum et hinc hac prohibitione non continentur. Vermeersch l. c. p. 88. Decreta modo citata, cf. apud Gennari, *pag. 51*.

§ 7. *De libris liturgicis et precatoriis.*

Huc referat. caput VII tit. I ita inscriptum.

Summarium. — 370. Refertur *art. 18.* — 371. Commentatio. — 372. Referuntur *art. 19 et 20.* — 373. Commentatio.

370. Art. 18: « *In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani aliorumque librorum liturgicorum a S. Sede approbatorum nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur* ».

371. In hoc articulo valde simplex redditum est *ius vetus.* Nam iure vetere vetabatur usus Missalium, Breviariorum et partium ex Breviario desumptarum quae ederentur absque venia, in scriptis obtinenda, *in Urbe* a S. Cong. Rituum et *extra Urbem* ab Ordinario quae venia danda non erat nisi facta collatione cum editione typica; obtentae autem veniae attestatio imprimenda erat in initio vel fine libri. Haec statuerunt Constitutiones - *Quod a nobis* - S. Pii V, - *Cum in Ecclesia* - Clem. VIII, et - *Divinam psalmodiam* - Urbani VIII. - Quoad alios libros liturgicos, veluti Officium B. Mariae Virginis, Officia Sanctorum, Horae Diurnae, Officium Hebdomadae *Sanctae etc.*, plura cavebant *Decreta de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis*. Porro hodie prohibentur dumtaxat eiusmodi librorum liturgicorum editiones quae referunt *mutationes* (1), habita comparatione cum editionibus authenticis. Nam intentio articuli est prohibendi editiones *novas* non *conformes authenticis*, non ipsas authenticas postquam hae fuerit immutatae.

(1) Inquam *mutationes* substantiam attingentes, quia *mendae* typographicae certe non attenduntur ad effectum prohibitionis. Nihilominus etiam *parvae* mutationes sunt obnoxiae prohibitioni; iubet enim lex: *nemo* QUIDQUAM *immutare praesumat.*

Siquidem casus quo corrumpantur editiones authenticae, hac lege non comprehenditur. Cf. Vermeersch *l. c. p. 70.*

Authenticae editiones habentur quae recognitae sunt a S. Cong. Rituum uti conformes originalibus et hinc, ob additas subscriptiones, gerunt authenticitatis signa.

Querunt DD. an novae editiones debeant haberi prohibitae nisi editae sint cum approbatione Episcopi qui inde fidem facit de praescripta conformitate. Ita opinatur Vermeersch, *l. c.;* sed contra autumant cl. Gennari *l. c. p. 53* et cl. Pennacchi *l. c. p. 156,* quia hoc non iubetur; statuitur enim solummodo: *si secus factum fuerit hae novae editiones prohibentur.* Quare Episcopus invigilare debet in novas editiones ut edantur conformes authenticis, easque damnare si non sint conformes; sed praevia editioni recognitio non videtur iuberi. Et haec sententia est conformior textui et intentioni legis.

372. Art. 19. *Litaniae omnes praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, et Ritualibus continentur et praeter Litanias de B. Virgine quae in S. Aede Lauretana decantari solent et litanias SS. Nominis Iesu iam a S. Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.*

Art. 20. « *Libellos et libros precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi quamvis ad fovendam populi Christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet, secus prohibiti censeantur* ».

373. Quoad *primum* articulum adverti debet, Episcopos posse approbare Litanias aliasque preces ad effectum *licitae* editionis et ad *privatum usum,* sed non ad usum *liturgicum* seu ut decantentur in Ecclesia, quod Sedi Apostolicae est reservatum, prouti statuunt plura Decreta S. Congreg. Rituum et prout innuit Decretum S. Off. *18 Aprilis 1860.* - Cf. cl. Pennacchi *l. c. p. 160;* et cl. Gennari *p. 56.* Si edantur absque

venia Episcopi, ex praescripto *art. 20 subseq.* sunt prohibitae *quoad omnes* seu ut detineantur et in usum deducantur. Verum ex tenore citati *art. 20* viget haec prohibitio si litaniae publicentur in *libellis* aut *libris*, minime vero si in *foliis* aut *scriptis*.

Hodie vero litaniis de quibus fit mentio in articulo addendae sunt Litaniae SS. Cordis Iesu quas Leo XIII, Decreto *Urbis* et *Orbis* die 2 Aprilis 1899, Indulgentiis 300 dierum auxit atque tam publice quam privatim recitari et decantari permisit.

Quoad *alterum* articulum nempe *20um* est animadversione dignum, hic attingi *libros* et *libellos* seu ad esclusionem *foliorum* et *scriptorum*, uti advertimus agentes supra de litaniis; et attingi libros et libellos *morales*, *asceticos*, *mysticos* qui non *doctrinaliter* haec tractant, sed ad pie et religiose instituendos mores. De libris *doctrinaliter* haec pertractantibus alibi cavetur seu in *art. 41*.

Ad rem haec habet Vermeersch *p. 74:* « Ordinarii permittere valent Euchologia quae ut fert usus continent versiones tum *Epistolarum* et *Evangeliorum* anni tum *Ordinis Missae* (non excluso canone). Prius constat ex consuetudine, alterum indirecte eruitur ex rescripto S. Rit. Cong. (*4 Aug. 1877 apud Collect. Prop. Fid. n. 1890*) quod declaravit huiusmodi libros - *eorumque versiones Episcoporum* auctoritati reservari ». -

§ 8. *De diariis, foliis et libellis periodicis.*

Huc referat. caput VIII tit. I ita inscriptum.

Summarium. — 374. Refertur *art. 21.* — 375. Commentatio. — 376. Refertur *art. 22.* — 377. Commentatio.

374. Art. 21 : « *Diaria, folia, et libelli periodici qui religionem aut bonos mores data opera impetunt non solum naturali sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.*

« *Curent autem Ordinarii ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere* ».

375. Nostra aetas, malo fato, maximum capit incommodum ex hac forma *scriptorum* quae parvae sunt molis et quotidie aut singula hebdomada aut singulo quoque mense aut alio stato tempore eduntur et hi appellantur *diaria, folia, libelli periodici.* Nam ibi enarrantur quotidiani eventus qui alliciunt ad legendum cuiusque generis homines. Verum, (et in hoc consistit prava et pestilens istorum natura), inibi insimul admixti propinantur errores qui religionem labefactant et bonos mores. Nemo non videt ob inditum *periculum* huiusmodi libellos *iure naturali* esse prohibitos; sed quia multi, ob sapientiae et prudentiae laudem, quam facile sibi tribuunt, dictitant et sibi facile persuadent, nullum sibi imminere periculum, statuta est prohibitio *iuris eccles. positivi* quae fundatur in *praesumptione periculi* et omnes tenet. Cf. cl. Pennacchi *p. 163.*

Religionem aut bonos mores (*nempe disiunctive*) impetunt folia, periodici libelli dum *data opera* in id contendunt seu non *obiter* sed veluti ex instituto suo seu ex scopo cui inserviunt. Sed dictio *data opera*, uti iam advertimus, est magis lata quam alia ex *professo* quia haec importat aperte et confessum sibi proponere scopum impetendi religionem aut bonos mores. Quare *data opera* respicit effectum seu *factum;* dum dictio ex *professo* respicit quoque intentionem aperte testatam.

Cum in articulo attendatur *effectus*, si *de facto*, quamvis aliud protestetur folium seu diarium aut libellus periodicus saepe in *suis numeris* aut aggrediatur religionem aut bonos mores corrumpat, prohibitioni subest. - Neque prohibitionem subit unus vel alter numerus, sed ipsum diarium quousque non corrigatur.

P. Vermeersch *p. 81* late disserit ut investiget quid significet impugnare *religionem;* an nempe religionem *revelatam* aut etiam non *revelatam intelligere* debeamus; et asserit, clausulam *contra religionem* accipiendam esse, de *contrarietate* religioni *ut sic et omni etiam naturali* et non mere religioni,

qua revelatae, catholicae. Unde infert « Attinguntur tunc ea tantum folia quae habitualiter propugnant atheismum, materialismum et alios errores *modernos* quibus extinguitur sensus hominis religiosus » (1).

Sed efficacior et verior videtur solutio quaestionis si advertatur, per se, per articulum defendi *religionem revelatam*, nempe *veram*, sed aeque prohiberi diaria, folia quae impugnant fundamenta religionis ut puta Mosaicae et religionis quoque pene naturalis quippe et religio Mosaica et Christi religio necessario corruerent, si uti commentitia habeatur religio naturalis; prouti expresse cavet legislator *art. 2*. Revera secus pene inutilis evaderet haec legis praescriptio quae, e contra, suapte natura nata est occurrere maximo nostrorum temporum discrimini. Cf. Pennacchi *p. 162*. Forsam dictio - qui *religionem.... impetunt* - comprehendens simpliciter *religionem* ita concepta est ut intelligere debeamus *religionem universe tamen sumptam* adeo ut impetitio unius dogmatis veluti *infallibilitatis pontificiae*, ceteris aperte admissis et confirmatis non constituat in sensu articuli *impetere simpliciter religionem* - Genicot *Teol. moral. I, 452, 9*, probat hanc posteriorem sententiam sed concludit: « Attamen quamdiu nulla intercesserit sedis declaratio, etiam *benigniorem sententiam* in praxi deduci posse arbitramur. » Sed huic conclusioni non plene adhaeremus.

Nam pro praxi maximi ponderis est monitio expressa in ultima parte articuli; nempe: « *Curent Ordinarii.... de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere* ». Nimirum comparare liceat prohibitionem *art. 21, poenae l. sent.*, quae tamen in executione desiderat *sententiam declaratoriam*, eo magis opportunam ob diversas interpretationes a Canonistis datas huic articulo. Sane ut bene advertit Vermeerch, hodie

(1) Idem opinatur Zitelli, *Apparatus iuris eccles. p. 540 not.*, dum explicat clausulam apponi solitam rescripto facultatis legendi libros prohibitos, *dummodo hi contra religionem ex professo non agant.*

est nimis facilis et frequens usus ephemeridum etiam prave scriptarum ut indulgentiam non semel mereantur fideles qui huiusmodi diaria emunt et in his aliquid legunt pro necessitate commercii aut quotidianae sive *publicae* sive *domesticae* conversationis; quique fideles certe ab his abstinebunt, maiore sollicitudine, quando perspectam habeant *expressam monitionem* Episcopi reprobantis, vi legum communium et communis periculi, istas ephemerides. Quare prohibitionem *iuris eccles.*, ita arbitror executioni demandandam esse, seu iuxta monitiones Episcoporum, quorum est explicare sensum genuinum legum Ecclesiae atque perpendere periculum et damnum obveniens in casu concreto ex pravis ephemeridibus, unaque fidelibus in suis monitoriis ea suggerere temperamenta et consilia idonea temporum personarumque adiunctis ad evitandas conscientiarum anxietates. Hoc pacto, ni fallor, conciliari potest interpretatio data a cl. Gennari qui admodum extendit intentionem prohibitivam huius articuli, cum sententia cl. Vermeersch et Zitelli qui illam e contra admodum coarctant, attentis maxime hodiernis fidelium moribus et adiunctis. - Equidem cl. Gennari *p. 58* invocat principium a Divo Alphonso probatum quoad pravorum prohibitionem librorum, nempe « *In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi* » (App. *De libris prohib.* c. V, n. 8); quare ipse ait, ephemerides *liberales* sectae massonicae indulgentes pene omnes esse obnoxias huic prohibitioni.

376. Art. 22: « *Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, huiusmodi diariis vel foliis vel libellis periodicis quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet* ».

377. Hic articulus revocat naturale praeceptum ne quis operam det rei malae, cooperando criminis perpetrationi. - Exceptio facta - *nisi suadente iusta et rationabili causa* - spectat ad casum quo quis ad refutandam calumniam vel ad retundendam malorum hominum audaciam, cogatur, permittentibus imo

opem praebentibus ipsis civilibus legibus, aliquid inserere in ephemeride unde veritas et iustitia elucescat, vel invitis ipsis ephemeridis moderatoribus. Verum pro auferendo scandalo et allucinationis periculo, tutius est certiorem reddere Ordinarium loci qui negotii gravitatem et opportunitatem aestimare debet.

§ 9. *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

Huc referatur caput IX, tit. I ita inscriptum

Summarium. — 378. Referuntur *art.* 23, 24. — 379. Commentatio. — 380. Refertur *art.* 25. — 381. Commentatio. — 382. Refertur *art.* 26. — 383. Commentatio.

378. Art. 23: « *Libros sive specialibus sive hisce Generalibus Decretis proscriptos ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apost. aut ab illis quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates* ».

Art. 24: « *Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos, Rom. Pontifices S. Indicis Congregationem proposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent tum Suprema S. Officii Congregatio, tum S. Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam S. Palatii Apostolici Magistro* ».

379. Recolit *art. 23*, libros prohiberi, alios Decretis Generalibus seu Regulis Iudicis, alios *nominatim* proscribi per *speciale* decretum. - Sed ne prohibitio cedat in damnum rei publicae, quatenus praecludatur via refutationi errorum, memorat Constitutio, fieri locum legitimis dispensationibus.

Quamobrem sequens articulus recolit per quaenam officia S. Pontifex soleat prospicere haud levi negotio dispensationum concedendarum. Quoad facultates quibus pollet S. Cong. de Prop. F., cf. Arndt. *De libris prohibitis, pag. 250.*

De limitibus appositis licentiae legendi libros prohibitos, habita ratione potestatis Superioris istam concedentis, haec notat cl. Pennacchi *l. c. p. 169:* « Qua de causa ii qui vel a Suprema Inquisitione vel a S. Indicis Congregatione opportunam licentiam consecuti sunt ea possunt ubilibet uti; qui eam a S. Cong. de Prop. F. obtinuerunt, adhibere illam poterunt in omnibus locis ei subiectis, si absque ulla territorii limitatione concessa fuerit; si vero cum limitatione ad aliquem Vicariatum, regnum, provinciam, in iis tantummodo locis ad quae facultas restricta legitur. Qui vero a S. Palatii Magistro, in Urbe et eius Districtu tantum, non extra ». Sed opinor non esse veram huiusmodi doctrinam quia dispensatio est ad instar *privilegii personalis;* privilegiatus vero suo privilegio uti potest extra territorium Superioris concedentis. Cf. Schmalzg, V, 33, *n. 111;* idem Doctor hoc principium applicat *n. 113 seq.* dispensationibus legendi libros prohibitos. Item Vermeersch, *p. 115.* In praxi procul dubio hac sententia uti possumus tute. Etenim limitationes positae in articulo, de Cong. *Prop. Fid.* ut haec dispenset - *pro regionibus sibi subiectis* - et de Magistro S. P. Apostolici, nempe - *pro Urbe tantum* - respiciunt territorium in quo *concedendae* sunt dispensationes.

Etiam Episcopi tenentur prohibitione pontificia, excepto casu quo legant veluti Censores ad effectum prohibendi librum, si casus ferat.

Quoad clausulas addi solitas dispensationibus, veluti - *exceptis libris ex professo contra religionem agentibus* - haec clausula intelligatur iuxta supra dicta; vel alia - *ad effectum eos impugnandi,* - significat causam *impulsivam* sed, per se, dispensatio legem derogavit et quis legere potest libros etiam ad alium effectum, puta recreandi animi, *secluso periculo.*

380. Art. 25: « *Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris atque in casibus tantum urgentibus licentiam concedere valeant. Quod*

si iidem generalem a S. Sede impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant ».

381. Prima articuli pars resolvit quaestionem pridem agitatam apud DD. - Nam postquam Urbanus VIII *die 2 Aprilis 1631* omnes abrogavit facultates concedendi licentiam in libros prohibitos, quaesierunt DD. uti habet S. Alphonsus (VII, 299) an ex *magna* necessitate Episcopi licentiam concedere possent. Affirmativae sententiae adhaesit Divus Doctor quam modo in legem traduxit articulus 25. - Sed haec facultas prospicit necessitati, seu quum adiri non potest competens auctoritas, quamobrem licentia concedenda est pro *singularibus libris* seu nominatim expressis et exprimendis pro casu necessitatis.

Quinam vero polleant iurisdictione *quasi episcopali* exponitur in tractatu *De personis*. - Cl. Vermeersch opinatur *l. c. p. 112* Superiores Regularium in suos subditos uti posse hac potestate; sed negat cl. Pennacchi *p. 172;* quia iurisdictio *quasi episcopalis* intelligitur de regimine populi christiani. Sed Regulares, quatenus *exempti,* in Superioribus Regularibus, - *quasi suis Episcopis* - habent suos moderatores ad regimen spirituale. Quare verior videtur opinio Vermeersch quam sequitur Genicot.

Haec potestas competit Praelatis vi muneris *ordinarii.* Sed obtinere solent potestatem *delegatam* et hac sive ordinaria sive delegata uti debent non *sine delectu,* seu babita ratione tum *personarum* tum *librorum,* uti probat cl. Pennacchi *l. c.* et non dumtaxat *librorum,* prouti videtur opinari cl. Gennari, *62,* qui hoc aestimavit habitis prae oculis veteribus Decretis. Et ex IUSTA et RATIONABILI CAUSA; seu excluso casu simplicis curiositatis aut oblectamenti quibus inservire lector intendat.

382. ART. 26: « *Omnes qui facultatem Apostolicam consecuti sunt legendi st retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab*

Ordinariis locorum proscriptas nisi eis in Apostolico indulto expressa fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant ».

383. Articulus plane confirmat disciplinam iam receptam. Sane *die 7 Dec. 1895* proposito dubio apud S. Cong. Indicis: « *Utrum qui habent generalem facultatem legendi libros in Indice librorum prohibitorum contentos legere licite possint etiam libros ab Ordinariis proscriptos sine speciali eiusdem Ordinarii licentia* ». EE. PP. rescripserunt « *Negative* ».

Obtenta vero licentia legendi *libros* legi et retineri possunt etiam *libelli periodici* et *diarii* seu ephemerides, sed non viceversa; nimirum vi facultatis legendi ephemerides, et libellos periodicos prohibitos, non exinde legi possunt libri; quia ephemerides et diaria periodica minus afferunt damnum et planum est. Siquidem cum fuerit concessum quod maius est, et minus concessum intelligitur; quippe « *In toto partem non est dubium contineri* ». Cf. cl. Pennacchi *l. c.* et cl. Vermeersch *l. c. p. 114.*

§ 10. *De denunciatione librorum pravorum.*

Huc referatur caput X tit. I ita inscriptum.

Summarium. — 384. Referuntur *art.* 27, 28. — 385. Commentatio. — 386. Refertur *art.* 29. — 387. Commentatio.

384. Art. 27: « *Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium* ».

ART. 28: « *Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. His autem ad quos denunciatio defertur sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare* ».

385. Hi articuli in veteribus Regulis Indicis non continebantur; prospiciunt enim novis pene rerum adiunctis. Hodie enim colluvies librorum magis in dies per orbem dilabitur, quare necesse est ut omnium fidelium sollicitudo et maxime illorum qui laude praestant doctrinae, in primis Rectorum Universitatum, suppetias ferret, per denunciationes librorum pravorum, Ordinariis locorum et Legatis S. Sedis, ex officio suo, excubias agentibus super populo christiano ut ab eo removeantur pestilentium librorum noxia pascua.

Quaestioni vero an grave insit onus faciendi denunciationem, facilis est responsio. Quandoquidem illi qui praesunt populo christiano tenentur *ex officio suo*, simplices fideles tantum ex *charitate*, quae tamen in certis rerum adiunctis obligat etiam sub gravi, prouti docent Theologi.

Modus autem faciendae denunciationis, cui prospicit *art. 28*, est omnino simplex, et per se, nulli certae regulae obnoxius. Verum expedit exprimere causas denunciationis ut probetur animus denunciantis et ratio denunciationis. - Cum libello denunciationis praestat mittere exemplar libri denunciati.

Denunciatio fit vel apud Ordinarios locorum vel mittitur ad S. Cong. Indicis, sed dari potest etiam ad S. Officium aut ad Cong. Negotiorum Extraordinariorum Eccles., si opus offendat potissimum principia iuris publici ecclesiastici. Ad hanc Congregationem autem et ad Congr. de Propag. Fid. recurritur, veluti ad Cong. propriam, pro regionibus quae ipsis, respective, sunt subiectae. At simplices fideles facilius obtemperant praecepto, si rem deferant ad Episcopos. Cf. Vol. II, n. 129, 264.

386. ART. 29: « *Ordinarii, etiam tamquam delegati*

S. Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta quae subtilius examen exigunt vel in quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videtur ».

387. Nunquam in dubium revocata fuit Ordinariorum potestas libros *noxios*, nempe *fidem* aut *mores* impetentes proscribendi *aliaque scripta noxia*; sed iste articulus excitat Ordinariorum sollicitudinem in tam grave negotium. - In proscribendis autem libris, Ordinarii prae oculis habeant gravissimum monitum Const. *Sollicita et provida* - Bened. XIV § 13 qua scil. iubentur ut respiciant - *Ecclesiae Sanctae dogmata et communem Catholicorum doctrinam quae Conciliorum Generalium decretis, RR. Pontificum Constitutionibus, et orthodoxorum Patrum atque Doctorum consensu continentur* - ne suas nimium peculiares sententias aut opiniones assumant uti criterium aut regulam reprobationis.

In id procedunt Ordinarii *sua ordinaria facultate*, quae tamen ut efficacior et instructior esset, cavit Pontifex ut procederent *etiam tamquam delegati Sedis Apostolicae*. - Hac freti potestate Episcopi non timent subtiles difficultates quae facile opponi possent ad eludendam vim condemnationis (prouti declarant *Litt. circ. 24 Aug. 1864; apud Collec. P. Fid. n. 1889)*, et condemnant libros etiam Regularium *exemptorum*, vel libros ab alio Praelato non proscriptos sed approbatos et ita porro. Cf. Pennacchi *l. c. p. 190*.

Quaesitum est an Regulares qui subsunt, vi huius Const., censurae Episcopi eiusque approbationem in libris edendis expetere debent, aeque revereri debeant decretum prohibitionis ab Episcopo editum *pro sua dioecesi*, potissimum cum Episcopus procedat *etiam tamquam delegatus S. Apostolicae*. - Cl. Pennacchi huic quaestioni *affermativum* dedit responsum *l. c.* sed

contradicunt Vermeerschs, *p. 50;* Périès *op. cit. p. 164;* Génicot *l. c. I, 451.*

Nobis magis placet horum sententia et hanc tuti in praxi sequi possumus. Nam Regulares per se sunt exempti ab iurisdictione Episcoporum et huic non subsunt, nisi in casibus expresse determinatis. Hos casus solide et erudite examinat *Pial* in egregio opere, *Praelectiones de iure regularium, tom. 2, p. 320.* Ceterum clausola - *etiam tamquam delegati S. Ap.* - Episcopis non confert *exclusivam* potestatem *delegatam,* sed *confirmat* et *adiuvat* potestatem *ordinariam.* Cl. Pennacchi putat negotium prohibitionis librorum esse unum ex illis in quibus, iure communi, Regulares non sunt exempti, sed hoc, nostro iudicio, non satis probat.

Nihilominus admittit et ipse Pennacchi, Superiores Regularium posse suis subditis librorum lectionem interdicere, non in vim Const. *Officiorum,* sed ob potestatem quam exercent in suos subditos; et in hoc omnes conveniunt. Cf. Génicot *l. c.*

Denique quaesitum fuit, a S. Cong. Indicis; *an Ordinarii qui praevio examine alicuius libri, praeviae eorum censurae submissi, licentiam denegent eumdem publicandi, teneantur auctori rationes denegatae licentiae indicare;* et *die 3 Septembris 1898* editum fuit hoc responsum: « *Affirmative, si liber videatur correctionis aut expurgationis esse dignus* ».

Caput III.

DE CENSURA LIBRORUM.

Huc referat. Tit. II, ita inscriptus.

Summarium. — 388. Obiectum huius tractationis. — 389. Quando et ubi requiratur censura. — 390. Nulla praescribitur solemnitas. Effectus omissae debitae censurae.

388. Hic agitur de *praevia* librorum censura. Nonnullos enim libros ex *materia subiecta* edi non oportet nisi antea subiiciantur censurae Superiorum. Lex vero de *praevia censura*, per se, confundi non debet cum lege de *venia* edendi; sed *venia* edendi, ordinario, non conceditur nisi *praevia censura* seu praevio examine; adeo ut libri *censurae* non obnoxii *edi* possint absque *ulla venia*. Inquam - *ordinario* - nam in uno vel altero casu veluti a clericis, libri edi non debent *inconsultis* Ordinariis; et tunc exquiritur *venia edendi*, non proprie *censura*. Cf. Vermeerschs, *p. 90*. - Quare in hoc titulo agitur de personis competentibus pro censura instituenda, de ratione qua ista peragi debet, nec non de libris censurae submittendis.

389. Praevia censura hodie requiritur non *ut imprimatur*, prouti antiquitus ex Instruc. Clementis VIII *De impressione* § 4 et ex *Reg. X Indicis;* sed Constitutio nostra praeviam censuram exquirit *ut edatur* (art. 8, 19, 34), *edatur in lucem* (art. 31, 36), *publicetur*, *fiat publici iuris* (art. 13, 17, 35). Sane hodie in more est ut liber in uno loco *imprimatur* et in alio *edatur;* unde attendendus est locus in quo editur seu in vulgus spargitur. Cf. cl. Gennari, *p. 76*.

390. Nulla praescribitur solemnitas ex parte illius qui opus censurae submittit, neque interest utrum exhibeat opus manuscriptum aut folia iam typis composita (vulgo bozze, des épreuves

d'imprimerie). Id unum enim expostulatur ut opus nondum sit impressum et editioni paratum, sed adhuc corrigi valeat. Cf. Pennacchi *l. c.*

Libri qui eduntur absque praevia censura cui sunt subiecti, non exinde sunt prohibiti, nisi, expresse in lege hoc edicatur, scil. libros ita editos, absque censura et venia edendi, esse prohibitos, prouti edictum est in *a. a. 13 et 20.* Verum isti libri prohibiti esse possunt ex alio capite seu ex *subiecta materia;* quales sunt qui indicantur in *a. a. 1, 2, 9, 11, 14 etc.* In his enim non aestimatur *defectus censurae* sed *vitium materiae.* Et haec regula sedulo adverti debet.

§ 1. *De praelatis librorum censurae praepositis.*

Huc referatur caput. I, tit. II, ita inscriptum.

Summarium. — 391. Referuntur *art. 30-31.* — 392. Commentatio. — 393. Referuntur *art. 32-33.* — 394. Commentatio. — 395. Refertur *art. 34.* — 396. Commentatio. — 397. Refertur *art. 35.* — 398. Commentatio. — 399. Refertur *art. 36.* — 400. Commentatio. — 401. Refertur *art. 37.* — 402. Commentatio.

391. Art. 30: « *Penes quos potestas sit sacrorum Bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet quae supra (art. 7) statuta sunt* ».

Art. 31: « *Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere; quod si ex gravi et rationabili causa singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet nisi obtenta prius S. Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis* ».

392. In articulo 7 explicando vidimus Episcopos posse adprobare editionem S. Scripturae si accedant adnotationes; hisce vero deficientibus venia edendi expetenda est a S. Apostolica.

Articulus 31us intelligendus est de libris prohibitis a S. Sede. specialibus decretis. Nam libri quos prohibent *Generalia Decreta* huius Constitutionis, non *proprie* dicuntur prohibiti a S. Apostolica. Etenim *Generalia Decreta* continent prohibitionem vi *iuris communis*, sed quousque non supervenerit *speciale* decretum aut Episcopi aut S. Sedis denuncians aliquem librum uti prohibitum vi *Generalium Decretorum*, quisque fidelis debet ipse deliberare in sua conscientia, an aliquis liber percellatur prohibitione vi iuris communis.

Verum aliqua semper subesse potest dubitatio in conscientia fidelium; quocirca ad anxietates repellendas edi solent specialia decreta prohibitionis. Exinde dictio *libros ab Ap. Sed. proscriptos* aperte significat, hic comprehendi libros a Sede Ap. *speciali decreto* prohibitos, exclusis libris prohibitis ab Episcopis. Et quia *stricta* interpretatione uti debemus, iste sensus praeferendus est. Cf. Gennari, *p. 71* et Pennacchi, *p. 199.* – Iure antiquo, ex Instruc. Clementis VIII *De correctione librorum*, § *1*, libri prohibiti corrigi debebant et correctionem curabant Episcopi et Inquisitores qui libros correctos edi mandabant. – Hodie liber a S. Apostolica prohibitus etsi correctus edi non valet nisi obtenta S. Congr. Indicis licentia.

393. Art. 32: « *Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis propositae, publicari nequeunt* ».

Art. 33: « *Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum RR. Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeunt nisi obtenta prius licentia et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis* ».

394. Unus et alter articulus novum constituunt praeceptum in *iure communi*. Nam, in primis, acta causarum Servorum Dei aut Beatorum quae apud S. Cong. Rituum agitantur, inaudita S. Cong.

edi non poterant, sed certa lex non aderat. Scite advertit cl. Pennacchi *p. 204*, hanc prohibitionem respicere causas *pendentes*, non causas iam absolutas solemni decreto Beatificationis aut Canonizationis. Verum praeterea notat, maximum etiam adesse discrimen in edendis eiusmodi actis post absolutum iudicium ob scandalum quod ignarum vulgum pati potest, in perlegendis difficultatibus, suapte vi exortis aut ex industriâ obiectis a *Promotore Fidei* in agitatione causae.

Alter articulus (33) specialem prohibitionem constitutam iam ab Urbano VIII quoad Collectionem Decretorum S. Cong. Concilii (Cf. *Vol. II, n. 159*) extendit ad omnes Congregationes. Sed prohibetur non editio singulorum Decretorum, prouti nacta occasione qua haec in lucem eduntur, ista edere in more habent plures libelli periodici catholici, sed prohibetur collectio *ex professo* destinata ad exhibenda universa Decreta, saltem super aliqua materia. Hae collectiones enim ad fraudes et potissimum faciles errores evitandos, fiant oportet cum venia SS. CC. Cf. Gennari, *p. 74*.

395. Art. 34: « *Vicarii et Missionarii Apostolici decreta S. Cong. Propagandae Fidei propositae de libris edendis fideliter servent* ».

396. Decreta quae inibi recoluntur edita sunt in Collectanea S. C. P. F. *edit. 1893 sub. nn. 1866, 1869, 1870, 1872 sq.* - Haec respiciunt Vicarios et Missionarios apostolicos qui dependent in suo ministerio ab H. S. C.; unde illi non comprehenduntur qui privilegii et honoris causa hoc titulo decorantur. Neque comprehenduntur Episcopi qui ab H. S. C. pendent in locis ubi S. Hierarchia constituta est, veluti in Anglia, Hollandia, India etc.; nisi hi *specialem* habuerint prohibitionem. Ita interpretantur hunc articulum cl. Gennari; Pennacchi *ll. cc.* et Vermeerschs, *p. 95*.

Prohibitio autem hoc vetat, prouti edicit rescriptum diei 6 Decemb. 1655 « *Nulli Missionario Apostolico cuiusvis gradus,*

conditionis, praeminentiae, religionis, statusque in posterum licere aliquod opus proprium seu alterius sub quovis praetextu per se vel per alium seu alios, typis mandare absque S. Congreg. expressa licentia etc. ». Prohibentur autem non cuiusque generis libri sed hi tantum « *sive de religione directe vel indirecte tractantes sive disserentes de rebus ecclesiasticis, nisi praevio examine atque approbatione ipsius S. Cong.* » ita in Decreto *diei 28 Decemb. 1770*. - Attamen hoc decretum exceptas declaravit « *parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac preces quae fidelium usui inserviunt; sub ea nihilominus conditione ut in vulgus spargi non possint nisi prius eas respectivi Episcopi locorum seu Vicarii Apostolici viderint atque in lucem permiserint emitti* ». Et hodie hoc ius plane viget.

Verum quia in rescripto cit. *diei 6 Decemb. 1655*, nulla fit limitatio, cl. Gennarí *p. 75*, et Génicot, *n. 460* hanc prohibitionem habent uti *generalem*, quodcumque genus librorum amplectentem. Sed notat ad rem scite cl. Pennacchi *p. 211*. « *Qua de causa cum in lege odiosa versemur non existimamus legem extendi posse ad alios libros nec de religione directe vel indirecte tractantes nec de rebus eccles. disserentes, sed de notionibus historicis, geographicis, topographicis, naturalibus aliisque cognitionibus quae ad religionem nullimode referuntur* ». Hanc sententiam sequimur, maxime quoad relationes mere historicas et geographicas quae contineri solent in litteris Missionariorum. Cf. Arndt., *p. 277, n. 198*.

397. Art. 35: « *Approbatio librorum quorum censura, praesentium decretorum vi, Apostolicae Sed. vel Romanis Cong. non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt* ».

398. Porro articuli immediate superiores indigitant quinam reserventur libri censurae S. Apostolicae vel Romanarum Cong.; quamobrem alii remittuntur censurae Episcoporum. Ex Reg. X

Indicis et ex aliis decretis antiquitus attendebatur locus *impressionis* (cf. supra n. 389) hodie, ob mutatos mores, attenditur locus *ubi editur* seu in vulgus spargitur liber. Huiusmodi *editio* etiam pluribus in locis locum habere potest, utputa Romae, Lutetiae Parisiorum, Berolini; et tunc sufficit unius Ordinarii approbatio, quae tamen non impedit quominus alter Ordinarius deneget approbationem. Cl. Pennacchi, *p. 214.*

399. Art. 36: « *Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, S. Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato cui subiacent obtinere. Utraque autem concessio in principio aut in fine operis imprimatur* ».

400. Iisdem verbis quibus expressus est hic articulus, concepta fuit Instruc. Clementis VIII *(Introd. De impress. lib.)* in qua prohibitio edita a Concil. Trid. *in sess. IV, - in Decret. de editione et usu* Sacrorum Librorum - extensa fuit ad *quoscumque libros* (1). - Inde oritur quaestio an hodie prohibitio assumenda sit in sensu *universali* Inst. Clem. VIII, vel potius in sensu nostrae Const. quae nonnullos *tantum* libros prohibet edi sine venia Superioris. Cl. Gennari *p. 77,* et Pennacchi *p. 215* autu-

(1) En textus horum Decretorum. In Trid. l. c. ita statuitur: « Et si Regulares sint, ultra examinationem... huiusmodi (Ordinarii), licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum.... Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur; atque ideo in fronte libri vel scripti vel impressi authentice appareat ». Clemens VIII autem nulla facta mentione *de editione et usu Sacrorum Librorum,* generatim decrevit. « Regulares praeter Episcopi et Inquisitoris licentiam (de qua Regula decima dictum est) meminerint teneri se, S. Concilii Trid. decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utramque concessionem quae appareat, ad principium operis imprimi faciant ». Vermeerschs *l. c.* opinatur decretum Clem. VIII omnino se referre ad *peculiarem* prohibitionem iam editam a Concil. Trid.; at Génicot *l. c.* autumat, Clementis decretum induxisse *generalem* prohibitionem.

mant, adhuc vigere universalem et genericam prohibitionem Clem. VIII. - E contra cl. Vermeerschs *p. 100*, et Génicot I, 460, opinantur, prohibitionem se referre tantum ad libros obnoxios censurae vi huius Const. *Officiorum*. - Et haec interpretatio est sane conformior principiis interpretationis nostrae Constitutionis, quia ait Pontifex, *ea Decreta Generalia inibi comprehensa vim legis habere sola volumus* etc. - Cf. supra n. 340. Nihilominus ex peculiaribus Statutis vel praxi Regularium aliud obtinere potest in singulo Ordine.

Regulares vero intelligimus *proprie* seu qui adstricti sunt solemni professione.

401. Art. 37: « *Si Auctor Romae degens librum non in Urbe sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri S. Palatii Ap., alia non requiritur* ».

402. Inde derogata est antiqua disciplina quae praeter approbationem Card. Vic. et Magistri S. P. expostulabat etiam approbationem Ordinarii loci ubi liber typis mandabatur. - Imo, in tota ditione Pontificia civili vigebat lex ut exquireretur approbatio Ordinarii domicilii aut quasi domicilii auctoris praeter approbationem Ordinarii alterius loci ubi liber imprimebatur. - Hodie ex *cit. art. 37* de Urbe Roma tantum fit mentio et res est de facultate extraordinaria collata (non *disiunctive* sed *cumulative*) Card. Vicario Urbis et Magistro S. P., vi cuius, pro iis qui *Romae* degunt. Horum approbatio sufficit, quamvis liber alibi imprimatur et edatur et quamvis auctor neque domicilium aut quasi domicilium habeat in Urbe sed simplicem commorationem dum alibi librum imprimere et edere velit. Cf. Pennacchi. *p. 216*. - Inquam - *imprimere et edere velit* - quia in hoc consistit privilegium ut quamvis alibi liber in lucem edi debeat, tamen auctor *Romae degens* exquirere non debeat nisi approbationem Card. Urbis Vic. et M. S. P. Apost. :• - si enim liber Romae *edatur*, fit locus regulae communi ex *art. 35*. - Itaque

dictio articuli - *sed alibi imprimere velit* - est generaliter enunciata quia utrumque complectitur casum.

Quamvis *Romae degere* significet aliquam notabilis temporis commorationem Romae habere, tamen de tempore commorationis non est subtilius inquirendum, et sufficit actu Romae commorari, quocumque ex fine hoc fiat, ut quis sortiatur privilegium de quo in *art. 37.*

Ratio privilegii desumitur evidenter ex maiore auctoritate quae videtur libro accedere dum editur ab auctore Romae commorante. Quare ne inde assumatur occasio errores insolentius evulgandi censura Romanorum Censorum necessario exquirenda est, eademque sufficit.

§ 2. *De censorum officio in praevio librorum examine.*

Huc referatur caput II, tit. I ita inscriptum.

Summarium — 403. Referuntur art. 38-39. — 404. Commentatio. — 405. Refertur art. 40. — 406. Commentatio.

403. Art. 38. « *Curent Episcopi quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem* ».

Art. 39. « *De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant, Ecclesiae Sanctae dogmata et communem Catholicorum doctrinam quae Conciliorum generalium decretis, RR. Pontificum Constitutionibus atque DD. consensu continentur, unice prae oculis habeant* ».

404. De ratione censurae instituendae Instructiones dederunt Clemens VIII et Alexander VII, sed celeberrimae evaserunt Litterae Bened. XIV *Sollicita et provvida* - quam (ait Leo XIII in nostra Const.) *sicut adhuc viguit ita in posterum vigere integram volumus.* - Hanc proinde integram referemus in *Appendice.* - Interim dumtaxat sufficiat advertere, ad tramitem Benedictinae Cons., ex censura seu praevio examine *triplicem* posse edi sententiam, nempe 1) aut opus esse absolute condemnandum, 2) aut esse corrigendum 3) aut nihil obstare, quominus imprimatur et publicetur. Porro, ex rescripto supra allato, *Congregatio Indicis die 3 Sept. 1898* iussit, Episcopos debere reddere rationes damnationis quando liber, paucis aut nonnullis expunctis sententiis, probari valeat, secus si tota tractatio est erroribus penitus imbuta.

405. Art. 40. « *Absoluto examine si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius in scriptis et omnino gratis illius publicandi licentiam in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat* ».

406. Hic articulus alloquitur non ipsos *censores* sed ipsum *Episcopum.* - Ergo

1) ipse Episcopus eiusque curiae officiales *licentiam publicandi* gratis omnino concedere debent.

Quare 2) *per se* non prohibetur quominus censores ab operis auctore aliquid, ab *Episcopo tamen statuendum,* recipiant. Ita Pennacchi, *p. 221*, Vermeerschs, *p. 97*. Verum nemo non videt, hoc esse parum conforme honestati huius sancti Officii et Episcopos aliter consulere debere censorum *congruae sustentationi,* adeo ut hos cogere valeant ad obeundum gratis omnino suum munus.

Licentia *in scriptis* dari debet, in *principio vel in fine* operis *imprimenda.* - Inde quaeritur an imprimenda sit licentia iisdem verbis quibus obtinetur, instructa subscriptionibus. Hoc sane est magis conforme intentioni et litterae Constitutionis, quia

licentia obtenta iubetur *imprimenda* (cf. cl. Gennari p. 83); sed omnino non potest reprobari praxis imprimendi formulam generalem - *De Superiorium licentia* - aut aliam similem. Ita cl. Pennacchi et Vermeerschs *ll. cc.*

Licentia *scriptis* danda est quia probationem facere debet; nihilominus *oretenus* concessa, per se, sufficit quoad *substantiam*, sed sine gravissima causa non est recedendum ab hac solemnitate, nimirum *licentiae scriptis concessae.* Ad rem docet cl. Vermeerschs *p. 97.* « Olim si iusta causa, v. gr. ne impediatur publica libri utilitas, id postularet, admittebant DD. posse, annuente Episcopo, reticeri obtentam facultatem. *Non cogimus hodie esse severiores* ». Et hanc sententiam puto conformem generalibus iuris regulis.

Regula X veteris disciplinae iubebat *ut exemplum libri imprimendi authenticum et manu auctoris subscriptum apud examinatorem remaneat;* hodie huiusmodi onus auctoribus non amplius imponitur.

§ 3. *De libris praeviae censurae subiiciendis.*

Huc referatur caput III, tit. II ita inscriptum.

Summarium. — 407. Refertur art. 41. — 408. Commentatio. — 409. Refertur art. 42. — 410. Commentatio.

407. Art. 41. « *Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas scripturas, S. Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit* ».

408. In hoc articulo decernitur 1) *quinam* teneantur subesse praeviae censurae seu *omnes fideles* 2) quinam *libri*

et quaenam *scripta* huic legi subsint; sed in unam et alteram partem incidunt quaedam dubitationes.

Nos claritatis gratia *primam articuli* partem remittimus expediendam in subsequenti numero. Modo breviter *alteram* explicamus.

Iamvero *praevia* censura respicit tum *libros* tum *scripta.* Iam explicavimus quid veniat nomine *libri* et *scripti.* (Cf. supra n. 344). Modo quaestionis est an hac lege comprehendantur *libelli periodici,* quorum singuli fasciculi destinantur ut unum opus perficiant seu tractationem *theologicam, canonicam.* Et non dubitamus asserere huiusmodi libellos (vulgo *riviste, revues*) hac lege comprehendi, uti opinatur cl. Vermeerschs, *p. 91*, et Génicot *l. c. n. 458.*

Librorum *materiam* quod spectat, late patet prohibitio, quia subsequens dictio « *aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt* » amplectitur libros qui proprie non tractant, sensu stricto, utputa *historiam ecclesiasticam* et alias disciplinas in articulo expresse indigitatas, sed his pressius accedunt, quales « *tractatus de rebus liturgicis et de iure naturali; vitae servorum Dei; libri qui ex instituto referunt facta prodigiosa quae v. g. in aliquo sanctuario contingunt, libri qui ex instituto morali vel religioso non mere oeconomico vel politico tractant de scientia sociali, puta commentando Encyclicam de conditione opificum* » ita Vermeerschs, *p. 91.* Cf. Pennacchi *p. 225 seq.* Etiam romanenses narrationes (vulgo *Romanzi*) si *morales* aut *religiosas disciplinas* respiciant, ista lege tenentur.

Articulus, quem modo commentamur, desumptus fuit, ad literam, e Decreto Pii IX *die 2 Iun. 1848*, edito pro ditione Pontificia Civili, ast in illo expressa mentio vel *de libris* vel *de scriptis* non continebatur; et ubi hodie legimus *scripta* ita enunciabatur prohibitio: « *ac generatim* (censores solliciti sint) *de omnibus in quibus religionis vel morum honestatis specia-*

tim intersit ». Et dein addebatur: « *Iuxta haec igitur statuimus atque permittimus ut in omni ephemeridum et librorum genere illi dumtaxat sine praevia ecclesiastica censura edi nequeant qui moralis aut religiosi, uti diximus, argumenti sint, in ceteris vero ii tantum articuli qui simile argumentum habeant, vel causam ipsam religionis aut morum honestatis proxime attingant* ». Cl. Gennari *p. 87*, et Pennacchi, *p. 226*, postquam adnotaverint, condemnari *scripta* quae non *obiter* sed *specialiter* de eiusmodi argumentis disserunt et sub nomine *scriptorum* comprehendi *folia* et *diaria*, opinantur integram praescriptionem Decreti Piani adhuc vigere, etiam quoad partem non relatam in *art. 41*, unde inferunt exinde obnoxios esse censurae etiam *articulos* de religione aut morum honestate disserentes insertos in diariis aliunde honestis et probatis et ipsas *ephemerides catholicas*. - Sed haec conclusio videtur aliena a regulis hermeneuticis, quia in nostra Const. tantum perpendere debemus *verba* inibi relata, et prouti inibi sunt relata. Cf. supra n. 347. Nihilominus intelligimus comprehensa, ultima paragraphi parte, omnia *scripta* sane cuiusque molis et formae, etiam partem *unius* folii, seu ipsum *articulum*, quia ipsum vocabulum - *scripta* - haec comprehendit quando *specialiter* intersit religionis aut morum. Ergo requiritur *specialis* gravitas in tractatione argumenti, non *ordinaria*. Et hoc apprime attendi debet, ne sensus exageretur prohibitionis. Cf. cl. Vermeerschs, *p. 92* (1).

(1) Haec certe est interpretatio quam expostulat littera textus. Nihilominus Génicot, *l. c. 458, n. 7* haec docet. « Iamvero in plerisque regionibus putamus hunc usum vigere ut in foliis et periodicis quae non unice argumentum plane religiosum tractant, edantur, sine praevia censura, etiam articuli qui ex argumenti natura revisioni subiacerent, dum censurae subiiciuntur libelli periodici qui toti in argumento prorsus religioso versantur, qualis est theologia dogmatica, vel moralis, ius canonicum, ascetica. Alii (Hollweck) censent, nulla periodica subiacere censurae, quia non nominantur et personae redactoris fidit Ecclesia ». Haec postrema

409. ART. 42: « *Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis, publicent ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.*

« *Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia diaria vel folia periodica moderanda suscipiant* ».

410. Modo, uti proposuimus, interpretari debemus verba - *omnes fideles* - articuli praecedentis. - Cl. Gennari, *p. 85* opinatur decreto attingi - *omnes fideles* - ad tramitem Concilii Lateran. V (a. 1515 *sub Leone X)* ubi iussum fuit « *Nullus librum aliquem et aliam quamcumque scripturam* IMPRIMERE *praesumat* »; non secus ac edicitur in Reg. X Indicis; unde deducit hac lege teneri non ipsos *auctores* sed librorum *editores* seu *typographos*, nisi ipse *auctor* directe curet editionem libri. Exceptionis instar memorat *articulum 37* ob quem *auctores* Romae degentes veniam obtinere debent edendi a Card. Vic. et a Mag. S. P. - Item sentit Ciolli *op. cit. pag. 71.* - Ex adverso cl. Pennacchi, *p. 223*, autumat, hunc articulum attingere ipsos auctores, seu *omnes fideles* librum in lucem edere volentes; et deducit ex *cit. art. 37,* ex *art. 30* ubi *auctores* Regulares iubentur et proprii Superioris et Episcopi licentiam petere et maxime ex *art. 40* ubi praecipitur Ordinariis, absoluto examine, si nihil obstet, *auctoribus* licentiam dare. - Et huic sententiae adhaeremus sed arbitramur, re intimius perspecta, discordiam magis consistere in cortice verborum. Interim advertimus prae-

sententia *generaliter* sane non est probanda, sed in persona *moderatoris diarii* aut etiam certi *redactoris* aliqualiter et in speciali casu, auctoritas eccles. potest reponere munus censoris eique plane confidere. - De consuetudine quam explicat Génicot, advertatur, quod hodie et tam cito non facilis locus faciendus est consuetudini contrariae Const. *Officiorum*. Verum recepti mores possunt explicare et significare, quaenam in singulo loco sint *scripta in quibus religionis et morum honestatis* SPECIALITER *intersit.*

scriptionem Concil. Later. V cui innititur cl. Gennari, haberi repetitam in *art. 44 subs.*

Re sane vera huic opinioni facienda est limitatio quae concordiae quoque terminus videri potest inter duas oppositas sententias. Nimirum si auctor librum componat et nullimode in lucem edere intendat, sed ad instantiam alicuius editoris se flectat ad illum edendum, dummodo tamen ipse editor omnia curet editioni necessaria, arbitramur hunc auctorem non ipsum teneri lege praeviae censurae sed solummodo editorem. Quare arbitramur auctores teneri quando et ipsi edere intendunt et editioni adlaborant, satagendo, utputa, libri notitiam maxime in vulgum spargi. Quod aperte est conforme intentioni nostrae Const. quae in *cit. a. a. 36, 37, 40, 42* respicit expresse casum auctoris qui vel *imprimere vult*, vel qui aliquid praestare debet *antequam publicet* vel *edat.*

Posita hac interpretatione, perspecta evadit intentio *art. 42*, quo *specialis* fit obligatio viris e clero saeculari ut hi nempe, praeter obligationem *omnes fideles* respicientem, certos libros subiiciendi praeviae censurae, teneantur praecepto libros quoque *qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant* - non edere, *inconsultis suis Ordinariis.* Quamobrem Legislator usus est in *art. 41* dictione - *omnes fideles* - ut hos distingueret ab exceptione qua percelluntur, in *art. 42*, *viri e clero saeculari.*

Verum quoad hos libros non exquiritur *praevia censura* sed notitia danda suo Episcopo de eiusmodi libro in lucem parituro ut *clerici obsequentis animi erga illos* (Ordinarios) *exemplum praebeant.* Quare, data notitia, expectanda est venia edendi. - Quam non petere aut non expectare, est sane exemplum animi minus obsequentis sed non exinde liber evadit prohibitus. Imo si veniam edendi irrationabiliter deneget Episcopus, clerico patet via recursus ad Sanctam Sedem. Cf. Pennacchi, *p. 230.* - Porro grave est praeceptum inde factum clericis, ne edant inconsultis Ordinariis.

Denique exponenda est altera pars articuli qua statuitur « *Iidem prohibentur quominus absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant* ». Ad intelligentiam huius articuli potior quaestio est, quid veniat *nomine diarii vel folii periodici.* - Sane in *art. 21,* distinguuntur - *diaria, folia et libelli periodici;* - in *art.* nostro praetermittitur *libellus periodicus.* Et *libellum periodicum,* suo loco, diximus intelligi illos fasciculos quos, in unum ligatos, uti libros consideravit S. Officium. (Cf. n. 344). - Unde in propositum habet cl. Vermeerschs, *p. 99* « FOLIA PERIODICA - *illa intelligimus quae diariorum similia, sola frequentia editionum, ab his differunt. Non ergo ea quae gallice vocantur - Revues - cum fasciculi eorum pro libris vel libellis habeantur* ». Huic sententiae adaeret cl. Pennacchi, *p. 231,* et confutat Périès qui *op. cit. p. 209, 210,* contrarium opinatur. Et haec sententia sane est conformis regulis interpretationis, quia *legislator quod non expressit, praetermittere voluisse intelligitur.* Ceterum subest ratio, quippe folia et diaria vel periodica tractant quaestiones politicas atque ut plurimum maxima animi contentione et non semel cum vehementi partium studio. Verum his negotiis se immiscere dedecet clericos, nisi praestanti virtute et ingenio praediti sint, quod probari debet ab Episcopo. E contra *libelli periodici* comparandi sunt libris qui obnoxii sunt ordinariae legi *praeviae censurae.* - Nam hic agitur de *prophanis* foliis, non de *ecclesiasticis* et *religiosis.* Ita Pennacchi *l. c.* qui exinde notat folia eccles. et religiosa submittendos esse vi *art. 41,* praeviae censurae.

Parum autem refert an clericus diarium *per se* moderetur an *per alium* qui dumtaxat praebeat nomen. Cf. Vermeerschs, *p. 99.*

In articulo agitur de *directore* seu de eo qui diarium *moderatur,* non de *collaboratoribus.* Unde *collaborari* diario seu huic cooperari *inserendo* articulos est alia res, ad quam non spectat iste articulus.

§. 4. *De Typographis et editoribus librorum.*

Huc referatur caput IV, tit. II ita inscriptum.

Summarium. — 411. Refertur art. 43. — 412. Commentatio. — 413. Referuntur articuli 44, 45. — 414. Commentatio. — 415. Refertur articulum 46. — 416. Commentatio.

411. Art. 43: « *Nullus liber censurae eccles. subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit* ».

412. Hic articulus cavet de *libris*; ergo non de *foliis* et *diariis*. Ita Pennacchi, *p. 240* adversus cl. Gennari, *p. 89*. - De libris nempe agit obnoxiis censurae praeviae et planum est.

Libri in fronte gerent nomen et cognomen tum *auctoris tum editoris*; unus enim et alter moneri, puniri, atque ad emendationem et damni reparationem, cogi debent si delinquant. Praeterea etiam praeferent libri locum impressionis et *ipsum annum* impressionis, ut nempe una editio ab altera distinguatur. Iubet enim subsequens *articulus 44*, *novam* quoque editionem *censurae* subiiciendam esse; sed praetermissa anni significatione, facile haec lex eludi posset.

Praeterea consulit articulus casui quo praestat vel ementito nomine seu adhibito *pseudonimo*, vel reticito nomine librum edere; et statuit, id permittendi potestatem esse penes Ordinarium.

Sed quinam invocatur Ordinarius? Iamvero, ex regula generali *art. 35*, Ordinarius loci *ubi liber editur*, veniam impertit; ergo etiam in *casu* nostro viget regula communis, quia nihil in contrarium edictum est. Sed specialia adesse possunt rerum

adiuncta ut tantummodo Ordinarius vel loci impressionis vel auctoris aestimare possit causas legitimas suppressionis nominis; et tunc iste Ordinarius, re perpensa et deliberata, pandat suum iudicium Episcopo loci ubi liber editur; et hic stabit rationabili deliberationi alterius Ordinarii - In iure vetere a Trid. Conc., *Sess. 4, De edit. et usu SS. Librorum in fin.*; et a Clem. VIII *De impress. lib.* § 1, exquirebatur auctoris *nomen* significari. Ius *novum* exquirit *nomen* quoque *Editoris;* quippe hic, hodiernis moribus, gerit veluti integrum negotium *publicationis.*

413. Art. 44: « *Noverint typographi et editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere; hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari* ».

Art. 45: « *Libri ab Apostolica Sede damnati ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma* ».

414. In *articulum 44* tantum quaerere praestat, an *versio* debeat praeferre nomen tum auctoris tum traductoris. Et sane haec est intentio legis, nihilominus, quoad substantiam, huic satisfacit qui *editae versioni* praeponit tantum nomen *traductoris*. Cf. Vermeerschs, *p. 98*. - Porro *versio* aliquando non est fidelis, vel est aucta adnotationibus vel liber nocet apud unum populum, dum apud alium non est reprobandus. Cf. cl. Gennari, *pag. 91.*

Sed istae prohibitiones tangunt libros obnoxios praeviae censurae, non alios agentes de scientiis pure naturalibus quos viri e clero saeculari edere non debent, inconsultis suis Ordiniriis. Cf. Pennacchi *l. c. 241.* - Praescriptio huius articuli nullimode habebatur in iure vetere, quippe respondet omnino novis rerum adiunctis.

Articulus 45 nulla indiget explanatione quia explorati iuris est, S. Sedis auctoritatem aeque valere pro universa Ecclesia; Episcoporum autem decreta cohiberi intra fines suarum dioe-

cesum. Additus vero fuit ut distingueretur damnatio *S. Apostolicae ubique* vigens, a damnatione Episcopali, vi *art. 29.*

415. Art. 46. « *Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes, neque vendant, neque commodent neque retineant; celeros prohibitos venales non habeant, nisi a S. Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti* ».

416. Librarii qui catholico nomine gloriantur sunt potissimum, ni fallimur, illi qui in tabellis suae apothecae appositis, se inscribunt *librarios catholicos;* et hi sane severius monendi sunt ne tanto nomine indignos se praebeant, et, quod peius est, ne hoc sancto nomine fidem publicam sibi conciliantes, facilius venenum pravae lectionis ingenuis emptoribus propinent.

Articulus, in primis, revocat praeceptum iuris naturalis, nempe ne ullimode sint in commercio, id est, neque vendantur, neque commodentur, neque retineantur venales libri ex professo *de obscenis* tractantes. Tamen quoad obscenos *classicos* recolatur *articulus 10* qui nonnullis personis istos permittit.

Quoad alios libros prohibitos vel *absolute* vel *relative* (cf. supra n. 342) quos legere nonnulli possunt, saltem illi qui sunt instructi legitimâ veniâ, monet articulus eiusmodi libros non posse haberi venales nisi impetratâ licentia a *S. Cong. Ind.* per Ordinarium. Additur - *per Ordinarium impetrandam esse veniam* - quia stylus est SS. Congregationum dispensationes non concedere, nisi preces oratorum commendentur ab Episcopo. Praeterea etsi S. Congregatio, exceptionis instar, cuidam librario concederet hanc facultatem, inscio Episcopo, tamen rescriptum dispensationis ostendi debet Episcopo qui nisi perspectam habeat veniam S. Sedis, ex suo munere, isti librario venditionem eiusmodi librorum prohibere omnino deberet, additis quoque poenis.

Deinde cavet articulus eosdem libros autem non posse vendi, nisi quando venditores *existiment ab emptore legitime peti.* – Ergo haec existimatio desumenda est ex adiunctis personarum, seu non praescribitur exhibitio obtentae licentiae, utputa quum petit professor alicuius Academiae, vel alius vir notorie probus et honestus. Si vero, ex adverso, venditor existimare possit, *ab emptore non legitime peti*, ut puta ab adolescente vel a disculo iuvene, non debet vendere nisi exhibeatur attestatio obtentae licentiae vel alia ratione probetur, emptorem legitime petere. Nam lex non praescribit uti medium *necessarium probationis* exhibitionem rescripti, sed relinquit venditori sibi efformare, ex quacumque specie probationis, prudentem *existimationem* de legitima petitione emptoris. Cf. cl. Gennari *l. c. p. 92.* Vermeerschs, *p. 46;* et decretum S. Cong. Prop. Fidei, *20 Iun. 1820, in Collect. n. 1874* quoad venditores *sub hasta* (1).

(1) Etenim facta hac quaestione: « Est officialis christianus cuius officium est praeesse quando merces sub hasta venduntur. Aliquando autem reperiuntur libri haereticorum aut alii obscena continentes; teneturne praedictus officialis investigare utrum sint tales libri nec ne? » Responsio haec fuit, sub *die 26 Iun. 1820:* « *Officialem de quo in casu non teneri investigare an inter merces quae sub hasta venduntur, reperiantur libri haereticorum aut alii obscena continentes. Quod si casu id agnoverit, possitque impedire ne pravi libri obveniant licitatoribus qui ipsis sint abusuri, id quidem praestet, cum quisque debeat proximi peccatum impedire, quando id commode potest aut sine gravi incommodo* ».

§ 5. *De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.*

Huc referatur caput V, tit. II, ita inscriptum.

Summarium. — 417. Refertur art. 47. — 418. Commentatio. — 419. Refertur art. 48. — 420. Commentatio. — 421. Refertur art. 49. — 422. Commentatio.

417. Art. 47. « *Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum, et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam* ».

418. Haec excommunicatio *sp. m.* Papae reservata iisdem verbis continetur in Const. *Apostolicae Sedis* sed hodie haec censura viget quatenus edita est in Const. *Officiorum.*

Quinam *legentes, retinentes, imprimentes* et *quomodolibet defendentes* intelligi debeant suo loco explicavimus, quum determinati sunt diversi effectus huius prohibitionis. (Cf. n. 341). - Exinde quia hac prohibitione tenentur *legentes, retinentes, imprimentes* et *quomodolibet defendentes* isti effectus prohibitionis constituunt veluti totidem crimina *sui generis*, unde qui *legit* etsi non *pervertatur*, qui *retinet, imprimit, defendit quomodolibet* etsi effectum non sortiatur vel perversionis suae vel alienae vel divulgationis libri, nihilominus poena committitur, statim ac quicumque actus prohibitus in suo genere est consummatus.

Illud adverbium, *quomodolibet*, afficiens actum defensionis, respicit omnem operam defensionis, nempe aut *physicae* aut *moralis* defensionis. Inquam etiam *physicae defensionis* quia per se *liber prohibitus* debet vel destrui ne ad aliorum manus

deveniat, vel deponi apud eum qui retinendi habeat facultatem, vel saltem tradi ad manus Superioris eccles. Porro in hac nova Const. non iubetur ut pravi libri tradantur locorum Ordinariis vel Inquisitoribus, prouti antea praecipiebatur. Quare quisque actus ordinatus vel ad impediendam destructionem libri vel ad fovendam eius divulgationem, est actus defensionis physicae.

Denique ad incurrendam censuram omnes actus prohibiti debent poni *scienter*, seu cum plena cognitione reprobationis Ecclesiae et prohibitae cooperationis in rem ab Ecclesia damnatam. Quare excusat nedum ignorantia *crassa* et *supina* sed etiam *affectata*. Cf. supra n. 32, § 3.

Haec conditio *absolutae scientiae* ad censuram committendam videtur respondere difficultati quam movet Vermeerschs, *p. 108*, observans *imprimentes*, quoad effectum poenae, habendos esse tantum qui « *opus imprimendum suscipit:* IMPRESSOR *nempe quem gallice proprie appellamus - l'Imprimeur -* ». Alii enim opifices qui vel *proxime* impressioni cooperantur, aestimare non possunt criminis gravitatem. - Et hoc sane verum est; sed ipse Legislator occurrit difficultati, iubens poenam non commissuros esse nisi illos qui ista omnia praestant *scienter*.

Corrector librorum imprimendorum non cooperatur proxime *impressioni*, sed censuram incurret qua *lector*, dummodo tamen *absque* gravi incommodo ab huiusmodi munere abstinere posset.

Hanc excommunicationem vero incurrunt legentes *libros*, ergo non ephemerides; incurrunt vero legentes libellos periodicos qui *in unum ligati*, veluti librum constituunt; (ex decret. S. Off. *13 Ian. 1892*).

Libri *haereticorum et apostatarum haeresim propugnantes* sunt qui exarantur non ab infidelibus aut a malis catholicis sed ab ipsis haereticis et apostatis, adeo ut si conscribantur a *credentibus*, a *fautoribus* haereticorum immunes sint ab hac poena.

Libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos illos intelligimus, quos non per rescriptum alicuius S. Cong. damnati sunt sed per litteras quae aut in forma Bullae aut Brevis aut Encyclicae ab ipso Papa editae sunt. Praeterea requiritur, librum esse *nominatim* damnatum et *sub poena excommunicationis*, quae proinde vi huius Decreti Generalis fit reservata S. Pontifici. Cf. cl. Gennari, *p. 98.*

419. Art. 48. « *Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt vel imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam* ».

420. Haec censura desumpta est a Const. *Apostolicae Sedis*, quae ita coercuit censuram latam in Conc. Trid. « Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concil. Trid... excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV, *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, *cui illos tantum* subiacere volumus qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt ». S. Officium *die 22 Decemb. 1880* sensum verborum *de rebus sacris* ita explicavit: « *Censuram nemini reservatam* inflictam *eis qui libros de rebus sacris tractantes* sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt, restringendam esse ad libros Sacrarum Scripturarum nec non ad earumdem annotationes et commentarios, minime vero extendendam ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, id est ad religionem pertinentibus tractantes ».

Quare haec censura lata a nostra Const. nemini est reservata; eamdemque incurrunt non *auctores*, non *lectores*, non *venditores* sed TYPOGRAPHI et EDITORES tantum, prouti aperte significat illa dictio: *imprimunt* vel *imprimi faciunt.* - Hi vero lege tenentur ne imprimant aut imprimere faciant *sine Ordinarii approbatione*, ast sub hac poena non obligantur obtentam

veniam publicare in fronte vel in fine libri, quia in *art. 43*, fit haec obligatio sed poena non adiicitur.

421. Art. 49. « *Qui vero cetera transgressi fuerint quae his Decretis Generalibus praecipiuntur pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur et si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur* ».

422. Uti in aprico est, hic sollicitudo excitatur Episcoporum ut iure suo utantur ferendi poenas in trangressores legis sive communis, sive peculiaris, ne isti impuniti evadant quando nempe aliam non incurrant poenam iam in iure statutam. Sed quia hodie veluti censurarum usus dumtaxat est expeditus sed his parcius utendum est ne vilescant, inde cavetur, monitiones praemittendas esse et sedulo curandum ut hae suum sortiantur effectum.

Caput IV.

DE PROHIBITA TOLERANTIA HAERETICORUM ET DE INFIDELIBUS DEVITANDIS OB PERICULUM PERVERSIONIS.

Summarium. — 423. Ecclesia post Const. - *Ad evitanda* - tolerat haereticos tolerantia *christiana*, vel *politica* sed non *dogmatica*. — 424. De scholis vel collegiis *mixtis*, nempe ex catholicis et haereticis. — 425. De communicatione *in divinis* cum haereticis. — 526. Nonnullae prohibitiones *ex iure speciali*. — 427. De disputatione cum haereticis, sive publica sive privata; quomodo vetita laicis et permissa clericis, iure communi scripto. — 428. De conversatione cum Iudaeis. — 429. De Saracenis.

423. Ecclesiae intentio in hisce poenis decernendis adversus haereticos atque in eorum libris magnopere reprobandis eo spectat ut devii corrigantur et ut fideles custodiantur immunes a lue et contagio haereticorum. Ita Div. Hieronymus in *Comm. in Ep. ad Galatas, c. 5.* - Quare poena potior et aliarum veluti fundamentum est *excommunicatio;* unde haeretici in humanis et divinis *devitandi* erant. Nihilominus Martinus V, ob mutata temporum adiuncta, legem edidit *tolerantiae*. Haec autem est tolerantia *christiana* quae nullam implicat tolerantiam *dogmaticam* ab Ecclesia Catholica usque proscriptam et damnatam, neque, per se, secumfert tolerantiam *politicam* seu *civilem* qua haereticis et catholicis eadem iura *politica* in republica attribuuntur. Verum haec tolerantia *politica* aliquando non reprobatur ab Ecclesia ob rerum publicarum conditionem. - Itaque in ius Ecclesiae *privatum* inducta tantum fuit *tolerantia christiana* quae cum acatholicis practice ita regi debet ut scandalum et perversionis periculum avertatur. - Cf. Aichner, *op. cit.*, *edit. 7, p. 153 sq.*

423. In hac re maximi momenti est quaestio an expediat permittere catholicorum conversationem cum acatholicis in collegiis, in scholis. - Maior difficultas obstat circa institutionem religiosam. Iamvero haec, in scholis *mixtis*, alumnis catholicis semper a catholicis hominibus danda est nec actus cultus debent esse communes, si forsitan illos excipias qui poni solent extra templa absque ulla solemnitate ritus, veluti in Dei honorem aliquam cantilenam in loco non sacro musice canere aut recitare. - In civitatibus vero sive communitatibus ita mixtis, solemne hoc haberi debet ut nullus acatholici filius, patriae subiectus potestati, admittatur ad catholicam religionem invito patre, ob eamdem rationem qua Ecclesia non vult ut invitis parentibus filii baptizentur: adest enim magnum in hoc perversionis periculum et pro Religione gravius pertimescendum damnum (1).

425. Nam *in divinis* cum acatholicis communicatio est prohibita, quatenus approbationem secumferre videtur aut adhaesionem cultui acatholico. At in casu necessitatis, debita servata forma, et remoto scandalo ab acatholicis sacramenta recipi possunt (2). Imo aliquando, scandalo et perversionis periculo amoto, aliqua in divinis communicatio licita est ex motivo rationabili; ex c. si officiales aut magistratus catholici, vi muneris sui, con-

(1) Nam S. Officium *die 13 sept. 1827* declaravit ab hac regula in praxi discedi non debere: « *Infantes hereticorum* a parentibus oblatos non esse baptizandos, nisi probabilis affulgeat spes catholicae eorum educationis ». Cf. Giraldi, *op. cit., l. p. 764 sq.* ubi refert Instructionem S. Off. diei *10 Mai 1753*. Item cf. Zitelli *Apparatus iur. eccles. edit. 2, p. 256,* ubi late disserit de hac quaestione et plura affert decreta S. Sedis. Item Const. *Inter omnigenas* Bened. XIV; eiusque opus *De Syn., L. 6, cap. 5.* Historiam tolerantiae maxime *politicae* et *civilis* texit Devoti, *Inst. Can.* Tom. IV, *tit. 6,* late referens *literaturam*. - In Collectanea de Prop. Fide, *a. 1893,* vide caput IV, *De communicatione in divinis cum acatholicis, p. 470.*

(2) Siquidem, pro ratione necessitatis, administrari possunt nonnulla sacramenta etiam ab excommunicatis *vitandis*. Cf. supra n. 140.

ventibus acatholicorum intersint, aut si quis funus amici comitetur, dummodo id fiat absque ulla *activa* participatione in liturgia acatholicis propria et solemni. Ideo Clem. XI missionariis catholicis permisit celebrare Missam in templis haereticorum seu schismaticorum in Aethiopia: *ad facilius promovendam eorum conversionem.* - Cf. De Angelis, *De haereticis, p. 197,* et Aichner, *op. cit. p. 160.*

426. E contra illud quod ordinario est permissum, veluti, curiositatis causa, invisere templa haereticorum quando non celebrantur sacra, alicubi est prohibitum ob speciales rationes, prouti factum est heic Romae per Instructionem Eminentissimi Cardinalis Vicarii directa Parochis *die 12 Iulii 1878,* in qua, de mandato Summi Pontificis, decernitur, non solum in divinis nullam cum acatholicis communicationem permissam esse; nec eorum sectis, quacumque de causa, nomen dare licere, sed neque mera curiositate templa haereticorum ingredi fas esse, tempore collationum, aut earum invitationes typis imprimere, aut templa construere aut reficere; et haec omnia prohiberi *sub excommunicatione speciali modo Papae reservata.* - Cf. *Acta S. Sedis, Vol. 11, p. 168.*

427. Specialiter in iure aliquid cautum est circa disputationem cum haereticis. Nan in *cap. 2, h. t.* § *1, X* (V, 7) statuitur: « Inhibemus, quoque ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit excommunicationis laqueo innodetur ». In *cap. 12, h. t.* laicis inhibetur praedicare haereticis. - Verum pro locis ubi catholici cum acatholicis vivunt permixti, consuetudo paulisper emollivit hanc prohibitionem, cum *privata* disputatio cum haereticis passim occurrere possit et si vir doctus, veluti *laicus* scientia Religionis commendatus, hanc disputationem recusaret, scandalo et dicteriis non semel occasionem praeberet. Disputatio *publica* vero sine venia auctoritatis ecclesiasticae, ob actus solemnitatem, laico unquam permittenda est.

Clericis, iure Decretalium, non prohibetur cum laicis publica et privata disputatio; quamvis prudentia dictet clerico indocto, ut evitet huiusmodi contentiones doctrinales, et disciplina ecclesiastica cuicumque etiam docto clerico prohibeat ne eam suscipiat cum haereticis publicam disputationem in qua constituti arbitri uni vel alteri victoriae palmam adiudicare debeat; adest enim in alea disputationis magnum scandali periculum. Imo S. Cong. de Prop. Fide iubet Missionarios ut abstineant a disputationibus publicis cum haereticis, uti rescripsit *die 8 Martii 1625, (in Collect. n. 294)*, decernens: « *publicas disputationes non fieri cum haereticis, quia plerumque vel ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantias populi acclamantis, veritas falsitate praevalente opprimitur; et si aliquando huiusmodi disputationes recusari non possunt, primum de illa certior fiat S. Congregatio quae iuxta temporis et personarum qualitatem quid agendum sit praescribit* ».

428. Ad haec, in libro V, Decret. Greg. IX, titulus 6, inscribitur: *De Iudaeis et Saracenis et eorum servis*, ubi dantur normae conversationis Iudaeos inter et Christianos servandae et poenis coercentur fideles auxilium afferentes Saracenis, in fidem Christianam hostibus usque infensissimis.

Iudaeis, prouti expostulabat divinae providentiae oeconomia, permissa fuit cohabitatio in civitatibus christianis sed cautum fuit ut *signo quodam exteriore* Iudaei a ceteris distinguerentur; arg. *c. 15, h. t.* Imo Pontifices, in fines proprii territorii, maxima cum humanitate exceperunt Iudaeos, undique expulsos et ubique divexatos ob odium ab ipsis excitatum in plebe Christiana quam depauperabant usuris, et blasphemiis lacessebant. Ne autem eorum conversatio in perniciem populi christiani dimanaret, statuerunt, illos posse suum cultum exercere absque pompa et ostentatione et veteres synagogas reficere posse sed non de novo extruere; ex *c. c. 3 et 7, h. t.;* ipsos iuribus *civilibus* gaudere, non *politicis;* quocirca poterant bona possidere et

contractus inire; at ullam iurisdictionem ex publico munere obtinere et exercere, ex *cap. 18 h. t.* - Illis separatae habitationes assignatae sunt in urbibus, in oppidis, ne communes cum christianis domus et vicos haberent et alia huiusmodi constituta fuerunt, arg. *c. c. 13 et 15, caus. 28, q. 1* (1).

(1) Digna est quae sedulo attendatur, responsio S. Officii edita *die 22 Iulii 1898* ad Dubium: *An schismaticus in bona fide constitutus absolvi possit a Confessario Catholico.*

« Huic Supremae Congregationis S. R. et U. Inquisitionis fuit propositus enodandus sequens casus:

« Bonifacius in partibus Schismaticorum Orientalium arduam missionarii apostolici vitam agens, quadam die in tribunali poenitentiae sedens, inter alias, Agatham invenit, quae generalem anteactae vitae confessionem apud ipsum instituendam humiliter et enixe petit. Agathae petitioni Bonifacius annuens, eam maxima patientia et caritate audit et adiuvat. Sed ecce, dum bona mulier ordine et praecisione admirabili, nec non fervida fide, humilitate ac lacrimarum copia sordes confitetur, hoc deinde subiungit: se nunquam suis sacerdotibus, utpote pravis moribus imbutis ac sacramentalis sigilli minime curantibus, conscientiam suam ita fideliter aperuisse, ac denique Confessarium exorat ut ei det veniam se apud ipsum semper in posterum peracturam ut Eucharistiae Sacramentum in sua propria Ecclesia recipere digne valeat.

« Quibus auditis, confessarius comperit illam non esse de gremio, saltem de corpore, Ecclesiae Catholicae, et anxius non parum factus, secum quaerit quomodo cum spirituali poenitentis bono haud facile iudicium componat. Ac primo quidem de praecipuis fidei articulis illam interrogat, quam satis instructam reperit; dehinc prudenter sciscitatur ab ea quid de schismate sentiat, quidquid de necessaria fide ac subiectione in Ecclesiam Catholicam atque in eius visibile Caput. Quibus illa: *Christiana sum,* respondit: *schisma nescio quid sit; ego unam ubique terrarum veram Christi Religionem agnosco, in qua vivere et mori cupio: mea certe non refert de quaestionibus iudicare, quae sicut a sacerdotibus exortae sunt, ita et ab ipsismet christiana inter se charitate concilientur. Quare,* sequitur devota mulier, *cum crastina die sit apud nos ob peculiare Festum magnus in communione Altaris populi concursus obsecro te, pater sancte ut sicut meam plenam confessionem iam audivisti, ita nunc et absolvas me pau-*

In rubrica tituli additur: *De Iudaeis... et eorum servis*, quia in *c. c. 1, 2, 8, h. t.* statutum fuit, ut nemo christianus operas suas ad serviendum in domo et familia Iudaei locaret.

429. Saraceni vero, a Sara Abrahae uxore se natos esse iactitantes, Mahumedi dogmatibus addicti a sua origine, sub saec. VII, pro viribus semper bella moverunt in christianos quos ad internecionem redigere sibi proposuerant. Quocirca Pontifices severissime decreverunt ne fideles opem ferrent Saracenis depugnantibus in populum christianum neque cum illis commercium exercerent: ex *c. c. 6 et 12, h. t. et Extrav. eod. tit. inter comm. et Bulla Coenae.*

perculam a peccatis, de quibus maxime doleo, ut et ego exultanti animo ad sacram Synaxim accedere possim.

« Mulieris constantiam admiratus, cum ex sua parte de illius bona fide certus sit, et ex altera serio timens ne amplior disquisitio obfutura ei magis, quam profutura esset, autumans se bonum facere, Bonifacius Agatham, ceteroquin confessam et contritam absolvit. Nec eamdem impedit quominus S. Eucharistiam per Ministrum Schismaticum accipiat, silentio concedens quod per se concedere non posset, eo vel magis quod ipse optime noscat *Sacramenta, ritus et preces*, apud Schismaticos, nihil in se continere quod catholicum non sit.

« Hinc quaeritur:

I. An aliquando absolvi possint schismatici materiales, qui in bona fide versantur?

II. An eisdem concedi possit, *saltem tacite*, ut in propriis ecclesiis aliquando sacramenta recipiant, atque sacris functionibus assistant?

III. An Bonifacius bene revera egit, et quid ei consulendum.

« Porro in Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE. et RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, idem EE. ac RR. Patres rescribi mandarunt:

Ad I. Cum scandalum nequeat vitari, Negative, praeter mortis articulum; et tunc efficaciter remoto scandalo.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative: et consulendum confessario ut, praehabita licentia a poenitente, ipsam opportune et caute moneat.

TITULUS X.

DE GRAVIORIBUS CRIMINIBUS IN CHRISTI ECCLESIAM EIUSQUE PRAELATOS ADMISSIS.

Summarium. — 430. Corpus Ecclesiae visibile seu eius unitatem lacerant schismatici. — 431. Huic corpori seu unitati vires auferre student qui liberum impediunt exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. — 432. Vires quoque Ecclesiae hebetare contendunt qui eius bona temporalia usurpant. — 433. Item gravis criminis rei sunt in Ecclesiam qui membra huius corporis verberibus, aut morte afficiunt, scilicet qui Antistites sacrorum vel in carcerem detrudunt, vel aliter offendunt aut necant.

430. Ecclesiae corpus visibile coalescit ex pluribus membris quae in unitatem componuntur per potestatem quam Antistites, in certos gradus hierarchicos distributi, exercent in quoscumque fideles, suos subditos, quam potestatem, vicissim, Antistites administrant necessariam observantes dependentiam a Summo Pontifice, Ecclesiae capite visibili, et unitatis centro. Christus, Ecclesiae institutor, ipse posuit huius unitatis fundamentum, constituens Summum Pontificem et Episcopos qui Ecclesiam suam gubernarent; praeterea alios gradus iurisdictionis reliquit determinandos supremae Pontificis potestati. - Atqui hanc admirabilem unitatem rumpere contendunt et, quantum in se est, rumpunt *schismatici.*

431. Nonnulli vero si non eo deveniunt audaciae ut corpus Ecclesiae dilacerent *per schisma,* tamen efficiunt ut ista suam activitatem, sua iura libere explicare non possit. Hoc praestant impedientes exercitium auctoritatis S. Sedis quam haec in omnia regna experitur per Litteras, per Decreta, per *Acta S. S. C. C.* Romanarum, quae ipsi obnoxia faciunt vel violentiae vel pote-

stati civili. Non minus Ecclesiam laedunt qui auferunt clericis privilegium fori, et in genere Ecclesiae detrectant potestatem legiferam, iudicialem, administrativam, executivam.

432. Quum Ecclesia suam divinam missionem explicare debeat inter homines, bonis indiget temporalibus quibus satisfacit et suorum necessitatibus administrorum nec non impensis omnino necessariis in fovendo cultu divino.

Quae bona adeo respondent incolumitati et dignitati Ecclesiae ut divina providentia civili principatu instruxerit Summum Pontificem quo melius hic a qualicumque civili potestate inmunis, imperio divinae religionis, valeret regere populos inter se natione moribus atque privato et publico iure tam diversos. - Quamobrem quicumque ista bona usurpare audet, crimen patrat et poenis est compescendus.

433. Denique poenis utique gravioribus - *gravioribus*, inquam, prae aliis constitutis in *privilegio canonis* - deterrendi erant homines ne violentas manus inferrent in Sacros Antistites Ecclesiae qui eius corporis sunt honorabiliora membra et maximam auctoritatem et reverentiam sibi conciliare debent apud populum christianum.

Caput I.

DE SCHISMATICIS ET DE IIS QUI ROM. PONTIFICI OBEDIENTIAM DETRECTANT.

Huc referat, tit. 8, lib. V, X, et tit. 3, lib. V, in 6.

Summarium. — 434. Quinam dicantur schismatici. — 435. Schisma aliud *purum*, aliud non *purum* seu admixtum haeresi. — 436. De iis qui se subtrahunt ab obedientia Pontificis pro tempore existentis. — 437. De ponis in eiusmodi schismaticos. — 438. De ordinatis a schismaticis. — 439. Appellantes ad futurum universale concilium vel excommunicatione vel interdicto percelluntur a Const. *Ap. Sedis.*

434. Schismatici hi sunt qui recedunt ab unitate Ecclesiae; *in quantum ea est corpus misticum ex fidelibus et legitimis pastoribus ac praesertim Romano Pontifice tamquam capite constans.* - Ita canonistae post D. Thomam. Quare etiam, Sede Romana vacua, schisma fieri potest: siquidem non deficit unitas, etsi ad tempus desit subiectum potestatis primatialis; *Schisma siquidem ipsum* (ait *can. 34, caus. 24, q. 1*), *quod graecum nomen est, scissuram sonat.* Unde non concipitur schisma *occultum,* uti habetur *haeresis occulta.* Nam schisma *in facto consistit,* seu in separatione ab unitate Ecclesiae et quousque dumtaxat est verbis expressum propositum resiliendi ab unitate Ecclesiae habetur grave peccatum sed non patratur *crimen* schismatis, nisi quum *facto* perficitur *scissura.* Constitutio Apost. Sedis, excommunicatione speciali modo Papae reservata plectit sub. n. III: « *Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt* ».

435. Schisma dicitur *purum* quod non est admixtum alicui haeresi, ast hoc difficile fit si schisma diu perduret, prouti monet

can. 26, caus. 24, q. 4. Revera donec tantum obedientia detrectatur Rom. Pontifici quin eius denegetur ius primatus vel alius articulus catholicae doctrinae, schisma est sine haeresi; et dicitur *purum;* quando vero iura unitatis catholicae doctrinaeque aliqua dogmata impetuntur, tunc schisma haeresi miscetur et est schisma mixtum seu *non purum,* veluti si dicatur Primatum Romani Pontifici esse *honoris* tantum. Essent schismatici *puri* qui principi laico obedirent, tamquam supremo Ecclesiae capite.

436. Hisce schismaticis, in articulo, accensentur illi *qui a Romani Pontificis pro tempore.... obedientia pertinaciter se subtrahunt....* Et iure merito, quia unitas Ecclesiae consistit tum in connexione *membrorum* inter se, tum in connexione cum R. P. tamquam *capite* eius visibili; sane schisma fieri potest se subtrahendo dumtaxat ab obedientia Rom. Pontificis. - Quapropter schismatici sunt qui Pontifici pro tempore existenti obedire renuunt, profitentes eius Successori se parituros esse. Censura autem lata est in eos qui ab *obedientia* se subtrahunt. Quamobrem non sat est, in casu speciali, utputa in re liturgica, ob ipsam rem praeceptam, veluti ob novam divini officii ordinationem, obedientiam Papae non praestare sed requiritur, *communiter*, in omnem causam (1), inobedientes personae *Pontificis* se praebere, eius Primatum iurisdictionis respuendo. Inquam - personae *Pontificis* - quocirca si obedientia denegetur Papae non qua Pontifici, seu qua Principi civili, ex hoc capite cen-

(1) Sed qui in particulari quadam re, posthabita potestate Pontificis, fretus civili auctoritate aut quocumque alio suffragio populari audet officia aut iura eccles. veluti beneficium parochiale assumere, aliaque, id genus, munia sibi arrogare et vindicare, quaeritur an hic habendum sit schismaticus. Pius IX Const. *Etsi multa luctuosa, 21 Nov. 1873,* edixit in Helvetica foederatione excommunicationem incurrere qui munia parochialia sibi usurpabant suffragante populo et civili auctoritate, sed spreta Pontificis prohibitione et hanc excommunicationem esse reservatam *sp. mod.* Romano Pontifici. - DD. autem non conveniunt an haec excomunicatio

sura non incurritur. - Et quidem *pertinaciter*, nempe cum plena cognitione et voluntate denegandi obedientiam ei quem uti legitimum Pontificem Ecclesia reveretur universa. - Secus, si de eius legitimitate prudenter dubitari posset.

437. Schismatici, siquidem sint non *puri* seu *haeretici* tenentur iisdem poenis ac haeretici; si vero tantummodo schismatici sint, puniuntur aliis quoque poenis, idest praeter excommunicationem sed mitiori modo. Revera schismatici *puri* evadunt;

1) inhabiles ad obtinenda beneficia ecclesiastica et alia munia eccles., arg. *cap. 5, De elect. X* (I, 6) maxime ob *infamiam facti* qua fiunt *improprie* irregulares, iuxta principia superius exposita. Cf. Thesaur, *op. cit., P. II, c. I. Schisma.*

2) Bonifacius VIII, *cap. 1, h. t. in 6*, in schismaticos tulit poenam privationis beneficiorum quorumcumque, ipso facto, incurrendam. Sed hanc poenam revocavit Benedictus XI, *Extravag. comm. un. h. t.*, prouti interpretantur Garcias, *De benef. 11, cap. 10, n. 151*, Reiffenst. *h. t. n. 11.* Et haec sententia est verior. Nam alii, sed minus probabiliter, decretalem Benedicti XI ita interpretantur ut poenam revocaverit tantum quoad Columnenses, in quos animadvertere potissimum statuerat Bonifacius VIII.

3) Sed quamvis beneficiis non priventur schismatici, tamen, qua excommunicati, prohibentur ab usu iurisdictionis ecclesiasticae; prouti declarant *canones 16, caus. 7, q. 1; et 31, caus. 24, q. 2 et cap. 1, h. t.* Sed quoad validitatem actorum iure quo utimur

referenda sit ad § III, vel ad § XI Const. *Ap. Sed.* - Cf. Bucceroni in Const. *Ap. Sed. n. 35.* - S. Cong. Concil. *die 23 Maii 1874* iussu S. Pontificis edixit censuram de qua in Litteris *diei 21 Nov. 1873,* aliasque poenas incurri ab eiusmodi intrusis in provincia Veneta et Mediolanensi. - Putat decreto S. C. Conc. contineri non simplicem *declarationem*, sed *extensionem* cl. Bucceroni *l. c.* secutus Card. D'Annibale qui hoc probat in *Comm. n. 90, not. 3.* - Hos plane sequimur. Alii contradicunt autumantes inibi fieri simplicem *declarationem*. Cf. Bucceroni *l. c.*

post Const., *Ad evitanda*, attendenda sunt quae suo loco explicavimus.

438. Vi eiusdem suspensionis, etiam in potestate ordinis, clerici ab eis ordinati suspensi remanent, et hinc has ordinationes Canones *nullas* aut *vacuas* appellant. Hanc suspensionem ita confirmavit Const. *Apost. Sedis,* sub *n. 6*, inter *suspensiones latae s. Summo Pontifici reservatas;* nempe: « *Suspensionem ab ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus* ». Notetur, hanc tantummodo suspensionem *latae sententiae* conservatam fuisse, omnes alias contra male ordinatos et ordinantes exolevisse. Cf. D'Annibale, (I, 395), *not.* 7.

439. Speciem schismaticae rebellionis, nempe appellationem a decretis Papae ad futurum universale Concilium, damnaverat iam Bulla Iulii II, *Suscepti regiminis,* et modo solemniter condemnat *art. 4*, Const. *Ap. Sedis,* ferendo excommunicationem *sp. m. P.* reservatam adversus « *Omnes et singulos cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit* ». Hic compescitur rebellio schismatica appellandi ad futurum concilium eo consilio ut interim suspendatur Pontificis auctoritas cui tamen nec universale concilium praevalere potest. Cavetur in hoc articulo de appellatione quae fit a Romano Pontifice qua tali non qua Principe civili; eademque fit, ad futurum concilium nempe oecumenicum. - Unde si appelletur ad provinciale concilium est gravior iniuria sed non est locus poenae. - Praeterea si appelletur ad concilium iam *sedens*, quamvis ad tempus *inter-*

missum, (siquidem fieri solent ad certum tempus prorogationes) non incurritur censura. Verum Concilium Vaticanum quamvis non absolutum, non potest dici solum *suspensum* ob gravitatem impedimentorum et non certum prorogationis tempus, quare ad idem modo appellare crimen constituit quod hac censura comprimitur.

Non incurret censura appellans ad *futurum Pontificem* quia iam admitteret potestatem primatialem Papae. - Demum notentur verba: *ab ordinationibus seu mandatis Rom. Pontif.*, quibus significatur, hic intelligi non actus potestatis *legislativae*, seu leges, statuta sed actus potestatis *administrativae* et *executivae* seu *iudicialis,* illos nempe qui naturâ suâ aliquid iubent vel decernunt circa aliquos singulos, vel aliquam peculiarem communitatem, vel certum collegium. - Eadem ratione contrahunt hanc censuram qui auxilium, aut consilium, aut favorem praestant, ut appelletur, nimirum *complices accessorii.* Sed poena tenet *appellatione secuta.* Cf. D'Annibale, *Comm. cit. n. 47.* Hoc significant illa verba: *quorum auxilio.... appellatum fuerit*, quae spectant ad complices seu consulentes, auxiliantes, foventes; nec non ad appellantes ipsos. Sed attenditur tantum, quoad consummationem criminis, appellatio *secuta*, non vero appellationis effectus secutus, secus censura nunquam incurreretur.

Qui vero *auxilium, favorem, consilium, opem praestant* et aliud agunt cooperantes in crimen, quomodo hi omnes sint *complices accessorii* et in quonam consistat haec correitas, explicavimus supra *n. 42 sq.* et huc remittimus lectorem.

Quia excommunicatio, utpote proprie censura, afficit singulos, seu personas physicas, non personas morales, veluti capitula, collegia, in has personas latum est interdictum: quod Const. *Apost. Sedis sub n. 8, de interdictis* ita decernit: « *Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt, universitates, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eius-*

dem Pomani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum concilium appellantia ». Proinde personae quae hoc interdictum incurrunt, videntur immunes ab excommunicatione; nam interdictum est nova poena et specialis qua tenentur corpora moralia; cf. D'Annibale, *Summ. I, 396, not. 1*, et ea quae explicavimus *n. 75 seq*. Quamobrem singuli pertinentes personae morali quousque pertineant nec non alii qui pertinere incipiant, vi huius *interdicti* prohibentur ab usu quorumdam iurium spiritualium.

Verum consulentes aut fautores *hoc interdicto* non percelluntur quia praeteriti sunt. - Attamen hoc interdictum est magis privatio quam censura, unde clericus qui tali interdicto irretitus celebrat, non fit irregularis.

Caput II.

DE IIS QUI SIVE EXERCITIUM IURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE INTERNI AUT EXTERNI FORI IMPEDIUNT, SIVE CURIAE ROMANAE ACTA AUT LITTERAS APOSTOLICAS VEL AB EXECUTIONE PROHIBENT VEL CORRUMPUNT.

Summarium. — 440. Quo sensu hic assumatur iurisdictio ecclesiastica in *art. 6*. — 441. Quinam sint qui hanc impediunt *directe* vel *indirecte*. — 442. Impediunt tum qui recurrunt ad iudices laicos ad eorum mandata procuranda, tum qui mandata edunt, tum, qua complices accessorii, qui auxilium, consilium vel favorem praestant. — 443. In *art. 7* in *prima parte* cavetur tantum de *iurisdictione iudiciali*; et iure, quo hodie utimur, ex authentica interpretatione hac censura compescuntur legumlatores. — 444. In *altera parte* huius *art.* cavetur de iuribus Ecclesiae non qua est perfecta societas sed qua est hominum societas quae iure viget sibique consulere debet. — 445. In specie defenduntur *acta curiae Romanae*; ne ista impediantur a publicatione et ab executione. — 446. In specie, quoad Litteras Apostolicas, et Supplicationes a Papa, vel ab alio Eius vice aut mandato signatas, compescitur *crimen falsi*; et *falsa* publicatio, aut signatura. Explicatur in quo consistat *crimen falsi*, quibusque poenis compescatur. — 447. Excommunicatio l. s. Ordinariis reservata *in scienter utentes falsis Litteris Apostolicis vel crimini in ea re cooperantes.*

440. *Art. 6*, Const. *Ap. Sedis* est lata excommunicatio *sp. modo* Papae reservata in « *Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium vel favorem praestantes* ».

Interpretationem aggredientes huius articuli, advertimus hic defendi iura Ecclesiae quatenus est societas perfecta independens a societate civili, ordinata in gubernationem populi

christiani. Sane *iurisdictio* prouti intelligenda est ad rem nostram et prouti hodie assumitur in lege canonica et civili est: « *Potestas publica circa aliorum regimen et gubernationem* ». Cf. *Vol. I, n. 40 sq.* Fideles vero uti singuli reguntur in *foro interno* et ipsis succurritur per absolutiones a *peccatis*, per dispensationes et alia media spiritualia, (cf. supra n. 48 seq.); fideles autem quatenus coalescunt in societatem visibilem, reguntur in *foro externo* in quo prospicitur *directius* bono universae societatis. - Innuimus hic agi de iurisdictione quae Ecclesiae competit quatenus est *societas* perfecta; quia infra in *art.* 7 compescuntur - *edentes leges et decreta contra libertatem et iura Ecclesiae*, - seu impedientes exercitium illius legitimae activitatis competentis cuique personae physicae et morali, cuius est bona acquirere, vendere et ita porro. - Item huc non pertinet potestas qua Praelati gaudent in regimen suorum Ordinum Regularium. Cf. Bucceroni *l. c. n. 19.*

Agitur in praesentiarum *de exercitio iurisdictionis* ex qua committuntur administranda ea quae sunt ordinis et conferuntur officia ecclesiastica; minime vero agitur de exercitio potestatis ordinis seu de ipsa administratione sacramentorum quae attenditur in *art.* 7 iam citato.

441. Proinde *impedientes directe* vel *indirecte* exercitium iurisdictionis eiusmodi, sunt qui obsistunt *directe* quominus Papa edat leges, Episcopus ferat censuras, Parochus assistat matrimoniis (1), excipiat confessiones, clerici beneficia ecclesiastica assecuti non fruantur suis iuribus ob denegatum - *Regium exequatur* - et ita porro. Obsistunt autem *indirecte* qui in alias res vel personas exercent violentiam quae tamen refluit in personas ecclesiasticas, veluti quum harum personarum *agentes*, *procuratores*, *familiares*, *consanguinei* vel *affines* molestiis affi-

(1) Nimirum comprehenduntur illi actus ordinis qui sine iurisdictione exerceri non possunt.

ciuntur, ut illi cessent ab exercitio iurisdictionis. - Quia versamur *in odiosis*, qui e converso compellunt Ecclesiae Praelatos et ministros *directe* vel *indirecte* ut exerceant iurisdictionem, effugiunt .hanc censuram et palam est. Item, quia in re poenali versamur, verba cum affectu accipienda sunt seu poena plectitur crimen consummatum. Nihilominus Lehmkuhl opinatur (II, 929) sufficere actionem ex natura sua impeditivam positam fuisse, neque inquirendum, num ea actio re ipsa Superiorem impedierit. Sed D'Annibale *Comm. cit. n. 59* ait: « *Impedientes*, si nempe impedimentum effectum habuerit ». Et hunc sequimur. Cf. supra n. 19 seq. Non interest vero an quis *privata* vel *publica* auctoritate impediat.

442. Porro plectuntur hac censura - *et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes.* - Petrus Avanzini in suo commentario *n. 11* quaestionem iam movit, an haec sit una species impedientium, aut potius una ex conditionibus ad incurrendam censuram contra impedientes latam. - Iamvero hisce verbis contineri unam speciem impedientium, eamdemque hodie, malo fato, frequentem et magis timendam, facile persuadet textus quia particula *et* aequivalet disiunctivae *vel*, uti expostulat subiecta materia et est usitatum in iure, arg. *l. 53 De verb. signif.* - Quamobrem *recurrentes ad forum saeculare* sunt qui ad forum saeculare seu *ad magistratus* recursum habent ut hi mandata edant impeditiva iurisdictionis eccles. - D'Annibale *l. c.* mavult *forum saeculare* intelligi *forum iudiciale;* sed quia *forum saeculare* opponitur *ecclesiastico* latissime sumpto magis placet lata interpretatio comprehendens quamcumque speciem magistratuum. Sed ideo recurrens censura punitur quum sortitur effectum seu obtinet *mandata edi ad instantiam recurrentis.* Nam si magistratus ipse *ex officio* mandatum edit, ipse incurrit censurum latam etiam *in edentes;* recurrens autem *ex alio capite* censuram subibit vel quia *de facto impediit* vel quia *consilium, auxilium, favorem* praestitit. - Sed haec omnia

mandata procurare, edere obnoxia sunt censurae postquam mandatum editum et denunciatum est, atque post effectum secutum seu postquam oppositum fuerit *impedimentum* exercitio iurisdictionis: siquidem haec censura lata est *in impedientes*.

Edere intelliguntur qui mandatum sua auctoritate condunt, perficiunt, non scribae, non praecones, qui istud exarant vel in publicum divulgant.

Denique qui *recurrunt*, qui *mandata edunt* censuram committunt quum hoc praestant ad impediendam iurisdictionem eccles.; quippe si recursum habeant ad sollicitandam Praelati diligentiam, ad expeditiorem negotii solutionem non est locus censurae; vel si impedimentum sequatur *per consequens*, veluti dum quis personam Episcopi persequitur, hunc removet ab exercitio suae iurisdictionis.

Denique diversi effectus quos sibi praeponere valet qui impedimenta struit exercitio iurisdictionis eccles. ita recensentur a D'Annibale *Comm. cit. n. 58.* « Sunt igitur, 1° ne fiant ea quae propriae iurisdictionis sunt; 2° ne facta executioni demandentur, 3° ut quae executioni mandata fuerint revocentur ». Quoad *primum*, nulla difficultas; quoad *secundum*, celebre est exemplum appellationis *ab abusu* vel *per abusum*, qua a iudice eccles. appellatur ad iudicem saecularem ad illius decreta impedienda aut revocanda; quoad *tertium* res expedita non est. Siquidem non conveniunt DD. quaerentes quomodo possit dici impedire exercitium iurisdictionis ille qui efficit ut acta iurisdictionis iam exercitae revocentur. - Nihilominus nonnulli indiscriminatim affirmant, impediri iurisdictionem a suo pleno exercitio dum eius acta revocari coguntur, et hinc incurri semper censuram ab iis qui obtinent revocari acta iurisdictionis eccles., ita Filiuccius *Quaest. XVI, n. 281.* Sed alii negant et verius, nisi agatur de actis quae aliquod exquirant exercitium iurisdictionis ad ultimam actorum executionem; veluti in cen-

suris *a iure f. s.* impedire sententiam condemnatoriam. Cf. D'Annibale *l. c.*

Hactenus de *complicibus* principalibus; ast censuram incurrunt quoque *auxilium, favorem, consilium* praestantes. Sed haec praestantes, pro regula communi, puniuntur censura effectu sequuto. Censuram non incurrunt *exequutores* decretorum, quos praeterit Const. nostra.

443. In articulo subsequenti seu 7 *Const. Apost. Sedis* protegitur, in prima parte, exercitium iurisdictionis iudicialis competentis Ecclesiae pro suo *iure publico* societatis perfectae; dum in *altera* parte articuli res est de libera explicatione sui *iuris privati*, quo fruitur quatenus est legitima societas. Sane *articulus* 7 decernit censuram excommunicationis *sp. mod.* Papae reservatae in « *Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; itemque edentes leges, vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae* ».

Quamobrem hic articulus tuetur iurisdictionem ecclesiasticam quoad *forum clericorum privilegiatum.* Verum Constitutio nostra censurarum numerum reducere intendens, censuram edit dumtaxat contra *cogentes iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas.* Iamvero

1) *cogentes,* ex interpretatione authentica per S. Officium *data fer. IV, die 1 Feb. 1871,* non sunt nisi *legislatores* vel aliae *auctoritates* seu magistratus qui, scilicet nec *a lege* nec *ab homine* coacti, pertrahere cogunt, auctoritate sua, iudices laicos, qua *laicos*, nempe *ex officio civili* quo pollent, etsi clero sint adscripti, ad clericos trahendos ad laicum tribunal, nimirum ad agendas causas sive civiles sive criminales coram ipsis iudicialiter. Item confirmatur alio decreto S. U. I. *26 Martii 1874;* et ex litteris iussu Leonis XIII editae *die 23 Ian. 1886* (1).

(1) S. Officium has dedit *die 23 Ian. 1886 litteras circulares* ita conceptas. « Cum vero de sensu et intelligentia huius capitis saepe dubi-

2) Quia spretus debet directe cadere in fori privilegium oportet, ut clerici *qua tales* praesumantur subiici foro laicali nempe *qua reos* principales, *idest nomine proprio*. Unde si quis citetur ut testis, vel ut reddat rationem *pro alio*, uti tutor, fideiussor, vel trahatur scopo defensionis nempe ad *evictionem praestandam*, vel si habeatur quasi pars minus principalis *ratione connexionis causarum*, ad normam Tituli « *De mutuis petitionibus* » tunc qui talia praestare cogit iudices laicos in clericos, non incurrit censuram hic latam. D'Annibale *Summa I, 390, not. 7.*

3) Hinc neque *actores* contrahunt hanc excommunicationem pertrahentes clericos apud iudicem laicum, prouti pluries iam declaravit S. U. I. - Ratio est quia ex praesente rerum statu fere ipsi *actores* coguntur clericos pertrahere ad tribuual laicum; quando ipsi legislatores renuunt fori ecclesiastici privilegium recognoscere idemque tueri. Haec de fori privilegio.

tatum fuerit, H. S. C. S. R. et Univ. Inquisitionis non semel declaravit, caput *Cogentes* non afficere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. - Hanc vero declarationem SS. D. N. Leo Papa XIII probavit et confirmavit, ideoque S. H. Congregatio illam cum omnibus locorum Ordinariis pro norma communinicandam esse censuit.

Ceterum in iis locis in quibus fori privilegium per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur iura sua persequi nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forma laicorum convenire possint; eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis operam dederint.

Episcopos autem in id forum convenire absque venia S. Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit, in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris *f. sent.*, uti violatores privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint ».

Notentur denique ea verba - *praeter canonicas dispositiones* - quae nempe nonnullis in casibus fori privilegio derogarunt; et istae sunt vel *leges concordatae* Ecclesiam inter et Statum, vel casus legitimae *degradationis* clerici aut alicuius peculiaris causae aut criminis; quos casus enumerat Schmalzgrueber *De foro compet. n. 80 sq.* Quoad normas practicas cf. Bizzarri, *Collect. ed. 1885, p. 178 seq.*

444. In secunda parte articuli censura fertur in « *edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae* ». Scopus praescriptionis est defendere illa Ecclesiae iura quae proprie non cadunt in iurisdictionem, scilicet in potestatem legislativam, coactivam et iudicialem, sed potius comprehenduntur in potestate ordinis et in ea naturali libertate qua gaudet quaeque persona physica aut moralis perficiendi nonnullos actus sui fini conformes; ut puta instituendi scholas, praedicandi, emendi, vendendi etc. quae omnia commode comprehenduntur in potestate administrativa seu executiva sed non *coactiva* neque *contentiosa* (1).

Plectuntur vero excommunicatione - *leges* aut *decreta edentes contra libertatem aut iura Ecclesiae.* - *Ecclesiae* nempe *universalis;* nam *Bulla Coenae* quae singulis Ecclesiis consulere statuerat adhibebat verba *quarumcumque Ecclesiarum. Leges* intelligimus ordinatas, suapte natura, ad bonum commune; et *decreta* edita non pro singulo cive sed quae *generaliter* pro-

(1) D'Annibale *in Comm. n. 68* ita rem exemplat: « *Contra libertatem....* haec verba patent latissime et omne prorsus feriunt legum et decretorum genus quibus nedum exercitium potestatis ecclesiasticae sive iurisdictionis sive ordinis sed quodvis aliud ius intercipitur, restringitur deprimitur, perturbatur, ut puta ius docendi, promovendi ad ordines, publicas supplicationes extra templa vel noctu obeundi, Ecclesias, beneficia, pia sodalitia excitandi, beneficia conferendi sine ullo interventu potestatis laicae. Imo et iura quae Ecclesiae non uti Ecclesiae sed uti societati competunt etc. ».

spiciunt cuidam generi personarum vel cuidam urgenti necessitati, cui *lex* non consulit. Ita enim a *legibus* distinguuntur *decreta*, quae proinde, quum versemur in odiosis, non ita extendere debemus ut comprehendant sententias iudiciales, et alia id genus omnino peculiaria decreta ad *singulos* cives spectantia. Sane inter leges omnino *generales* et ordinationes administrativas et sententias iudiciales omnimode *peculiares*, *media* sunt *decreta* quae spectant ad certum genus personarum; et *in poenis benignor est interpretatio facienda;* ex *reg. 49 iuris in 6.* - Ista *edentes* sunt ipsi legislatores, et magistratus quibus commissa est potestas administrativa. Nihil refert an legislator sit persona physica aut moralis seu collegialis; item dic de edente decreta. In personis collegialibus illi censuram incurrunt qui votum dedere favorabile legi propositae et incurrunt postquam lex vim habere coeperit *formaliter*. - Omnes alii delinquentes minus principales seu accessorii, veluti faventes, consulentes, *ex hoc capite*, non tenentur poena, quia hos praeterit Const. nostra.

445. Quia centrum unitatis et ecclesiasticae potestatis est Summus Pontifex, hinc speciali sanctione defendendae erant Eius auctoritas et libertas quoad *acta* quae immediate ab Eo proficiscuntur, vel ab Eius Legatis et Delegatis, nec non ab Eius Officiis in Curia Romana constitutis. - Ceterum declaravit S. U. I. *die 13 Ian. 1892 acta S. Sedis* seu *S. Apostolicae* esse quae sive immediate a R. P. sive etiam mediantibus S. S. C. C. seu officiis Curiae proficiscuntur (1). Nos vero *Vol. II, tit. I*, docuimus Curiae Romanae partem facere Legatos quoque et Delegatos Pontificios.

(1) Dubium ita conceptum fuit: « Utrum per acta a S. Apostolica profecta designentur tantum acta quae immediate a S. P. proficiscuntur an etiam acta quae mediate a S. P. proficiscuntur, an etiam a SS. RR. Congregationibus proveniunt », et rescriptum prodit « *Negative ad 1am partem, affirmative ad 2am* ».

Hinc Const. *Ap. Sed. excommunicatione sp. modo P. reser.*, edixit censuratos *sub n. 8: « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios laedentes vel perterrefacientes »*. Hic articulus vero additus fuit praecipue quia Regalismus et Liberalismus quamplurima invenit sophismata quibus laicae potestatis protegeret audaciam impediendi, pro suo lubitu, acta S. Sedis, dum exquirit pro eorumdem executione - *Regium Placet* - vel - *Regium exequatur* - aut aliter contendit praeviam instituere censuram in *Acta S. Sedis*, iuxta - *Articulos Organicos etc.* - cf. *Acta S. Sedis Vol. IV, pag. 147 in nota*. Quocirca ad compescendam quamcumque huiusmodi audaciam hic articulus Bullae Coenae iam pridem adiectus fuit. Eius interpretatio haud difficilior est, si verba, prout materia fert, assumantur in propria rigorosa significatione; et hinc:

1) recurrentes sunt sive clerici sive laici qui data opera invocant laicam potestatem; nempe Magistratus hac potestate in civitatem pollentes, quique auctoritatem sibi vindicant impediendi S. Sedis acta; et haec intelligimus esse,

2) litteras Apostolicas sive in forma Bullae sive in forma Brevis et acta iudicialia et administrativa Sacrarum Congregationum et Legatorum aut Delegatorum Pontificis qui scilicet vel ordinariam vel delegatam nomine Papae exercent iurisdictionem.

3) Attenduntur impedimenta opposita actorum *publicationi* aut *executioni*, sive directe sive indirecte obiiciantur. - *Indirecte* nempe, quum non ipsi, ad quos spectat executio *actorum*, violentiâ afficiuntur sed aliae personae quarum iniuria tamen redundat in partes principales, prouti explicat ipse textus, aiens *« aut eorum causa sive ipsas partes sive alios laedentes vel perterrefacientes »*. *Partes* sunt ii quorum interest ut acta

promulgentur et demandentur executioni. - *Alios* intelligimus ab ipsis partibus habentes causam, veluti *agentes*, *procuratores*, *executores*, vel *affines*, *consanguineos*.

Quamobrem *eorum causa* (nempe ne *acta* debitam habeant publicationem aut executionem) vel ipsi impetrantes rescripta sive gratiae sive iustitiae, vel partium procuratores, agentes, notarii, executores, subexecutores (uti habet - Bulla Coenae - § *13*) per iniurias reales in corpus (hoc est *laedere*) et graves morales coactiones (hoc est *perterrefacere*) prohibentur ab usu vel ab executione actorum Sedis Apostolicae eiusque Legatorum et Delegatorum.

4) Quia versamur in re criminali quaelibet pars huius dispositionis, scilicet sive *recursus* sive *impedimenta* in Acta Curiae Rom. *quoad exercitium potestatis ecclesiasticae* oportet quod respective suum obtinuerint effectum; cum sanctio attingat factum, effectu sequuto. Verum Doctores non omnes in hoc conveniunt; (cf. Lehmkuhl (II, 933) qui effectum prohibitionis non expostulat) sed quia hinc inde adest probabilis opinio, viget *dubium iuris* et hinc *quod minimum est sequimur.*

5) Demum - *prohibentes* - hi sunt qui publica auctoritate prohibent. - Etenim utrum alii quoque comprehendantur *privati prohibentes* non convenit apud Auctores, et hi privati tenentur potius sanctione inflicta *in recurrentes, laedentes aut perterrefacientes*. Cf. D'Annibale, *Comm. n. 71 seq.*

446. Praeterea *articulus 9 seq.* consulit integritati nonnullorum actorum Pontificalium, eorum nempe quae ab ipso Pontifice proficiscuntur eiusque auctoritatem immediate referunt. Compescitur enim excommunicatione *crimen falsi* perpetratum in Litteris Apostolicis. Revera Const. *Ap. Sedis*, inter *excomm. sp. modo reservatas sub n. 9*, Rom. Pont., edicit excommunicatos: « *Omnes falsarios litterarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem vel S. R. E.*

Vicecancellarios, seu Gerentes vices eorum aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso publicantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum ». Articulus punit patrantes crimen *falsi,* de quo agitur in *Tit. 20, Lib. V* Decretalium Gregorii IX.

Hoc crimen definitur « *immutatio vel suppressio veritatis animo decipiendi in fraudem alterius aut in sui commodum facta* ». Committitur *dictis, scripturis, facto et usu.*

1) *Dictis,* sunt falsarii testes qui aut mendacium proferunt aut veritatem occultant. Item iudex potest esse falsarius, qui pecunia corruptus iniustam profert sententiam: *cap 1. De sent. et re iud. X.*

2) *Factis* sunt falsarii, qui ex gr. falsos nummos cudunt aut falsis utuntur.

3) *Usus* rei falsae constituit, non minus ac ipsa confectio falsitatis, crimen falsi.

4) Demum *scripturis* admittitur falsum pluribus modis iuxta *caput 5 h. t. X et cap.* « *Quam grave* » *h. t. in 6*, qui modi reducuntur ad sequentes. Nimirum, vel prorsus falsae confinguntur litterae vel genuinae corrumpuntur cum aliquid inducitur aut deletur in parte substantiali sive sigillum adimendo vel novum addendo, vel falsam rescribendo subscriptionem sive obrupto filo nova folia inserendo. - Glossa in *cap. 6 h. t. X* ad verbum « falsitatis » hoc versiculo vitia summat: « *forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum. Haec sex falsata dant scripta valere pusillum* ».

Falsarius ex iure canonico, arg. *can. 9, caus. 3, q. 5*, est infamis *infamia iuris;* et, praeterea, clericus est deponendus, arg. *can. 7, Dist. 50.* - Dein per Const. *Ap. Sedis* in textu iam cit. excommunicantur committentes falsum in litteris Apostoicis. - Litterae Apostolicae sunt quae prodeunt vel in forma

Bullae per Datariam et Cancellariam Apost., vel in forma Brevis per Secretariam Brevium (1). Signaturae sunt supplices libelli quos Papa admittit ad expeditionem signando *Fiat*. - Cf. *Vol. II, p. 258.*

Unde rescripta S. S. Congregationum et etiam Poenitentiariae Apost. non veniunt sub nomine litterarum Apostolicarum. Quoad officium Vicecancellarii et eius Vices Gerentis recolenda sunt quae exposuimus, *Vol. II, p. 235 seq.*

Falsarii, qui hanc excommunicationem incurrunt, ii sunt qui corrumpunt litteras Apostolicas per aliquem modum ex recensitis in allato *versiculo*. - *Falsi* vero criminosa intentio obtinetur quum ex falso alteri damnum vel sibi commodum comparatur. Quare si quis falsum patrat, veluti exercitationis causâ, litteras mox laceraturus, poenam non committit.

Falso publicat qui litteras vel *corruptas* vel *falso* confictas in vulgum edit. Non enim agitur de formali promulgatione sed de simplici in vulgum editione. Unde in hoc facto adest parvitas materiae, si paucorum ad notitiam istae deducantur.

Falso signat supplicationes qui non confingit aut corrumpit supplicationes (hoc enim in textu non cavetur), sed qui supplicationi addit verbum - *Fiat* - et postea subscriptionem addit.

Sed de complicibus nulla fit mentio.

447. Quia vero *falsi crimen* admittitur etiam *usu*, uti diximus, ita Constitutio *Ap. Sed.* coercet per excommunicationem l. s. Ordinariis reservatam, n. 3: « *Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini in ea re cooperantes* ». - Ante hanc Constitutionem diversis poenis tenebantur clerici et laici ob *usum* Litterarum Ap. falsarum, ut patet ex *cap. 7, h. t.* quod

(1) Ergo non comprehenduntur Brevia ad Principes, vel Brevia aut Bullae Poenitentiariae; cf. *Vol. II, p. 251 seq.*, et d'Annibale *Com. cit. num. 79, not. 12.*

decernebat: « ... *si clerici fuerint, officiis et beneficiis ecclesiasticis spolientur; si laici tamdiu maneant excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter* ». Quum vero Const. *Ap. Sed.* indiscriminatim loquatur, huic excommunicationi subiecit clericos et laicos, et quaeritur an per novam poenam veteres abrogatae censendae sint, quia nova censetur veteri subrogata, ex *cap. 4*, § *ult., De iud. X* (II, 1). Et hoc affirmat D'Annibale, *Comm. Ap. Sed. n. 163.* Alii contradicunt quia in cit. cap. in clericos statuitur privatio beneficiorum et officiorum *fer. sent.* et de hisce poenis nihil statuere intendit Const. *Ap. Sedis.* Ita sentiunt Comm. Patavini, (III, 339), et Ciolli, § *145.* Quocirca versamur *in dubio iuris* et hinc quod minimum est sequimur, adhaerentes sententiae Card. D'Annibale. Ceterum haec sententia verior videtur, quia in clericos *nova* poena constituta est, unde est locus *subrogationi.* - Porro quando una poena alteri non intelligatur *subrogata,* tunc una et altera poena viget; veluti in casu nostro, si quis litteras falsificaverit eisque postea usus fuerit, utramque excommunicationem incurrit.

Insuper articulus nominat solum litteras Apostolicas, excludendo *signaturas;* at crimini in ea re cooperatores punit, nempe quum *opera,* non simplici consilio, utentes coadiuvant. Inquam - *utentes* - seu non *falsificantes,* si *scienter* et ipsi fecerint non secus ac complices *accessorii.* - Quare utrosque excusaret ignorantia etiam *affectata,* iuxta dicta *pag. 59.*

Caput III.

DE IIS QUI IURISDICTIONEM VEL SPIRITUALEM VEL TEMPORALEM, POTISSIMUM CIVILEM ROM. PONTIFICI COMPETENTEM, USURPANT AUT BONA PATRIMONIALIA ECCLESIASTICA USURPANT, DISTRAHUNT, DETINENT.

Summarium. — 448. In *art. 11 et 12*, Const. *Apost. Sedis* inter excomm. *sp. m. P. reservatas* defenditur iurisdictio *ordinaria*, quoad forum externum, quamvis *civilis*. — 449. Tum per *art. 11 cit.*, tum per Concil. Trid. in *Sess. 22, cap. 11, De ref.*, defenduntur bona Ecclesiae sed diversimode, potissimum quia Const. *Apost. Sedis* compescit *usurpantes* et *sequestrantes* dumtaxat, dum Concil. Trid. praeterea attingit, praeter *usurpantes*, quoscumque distrahentes vel detinentes quaecumque bona Eccles. - Praescriptioni Tridentinae addenda est Const. - *Ambitiosae* - inter *extrav. comm. De rebus Ecclesiae*, quae statuit ne legitimi possessores bonorum ecclesiasticorum haec alienent absque appositis solemnitatibus. — 450. Explicatur, in specie, *art. 11 cit.* — 451. Exponitur, *cap. 11, Sess. 22*, Concil. Trid. — 452. De Const. *Ambitiosae.* — 453. De patronis et de clericis beneficiariis. — 454. Exponitur *art. 12.* Const. *Apost. Sedis*, de usurpantibus ditionem Pontificiam civilem. — 455. Excommunicatio *simpliciter P. reservata* lata in consulentes aut quacumque ratione persuadentes Pontifici ut bona Eccles. Rom. alienet aut infeudet.

448. In Constitutione *Apost. Sedis* ita concipitur sub *n. 11.* excommunicatio *sp. modo reserv. P.* lata in « *Usurpantes vel sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes* ». In primis advertatur, censuram tenere usurpantes *iurisdictionem....* ad *personas* eccl. etc. pertinentem. Hic assumitur iurisdictio non *delegata* aut *fori interni* sed ea quae ratione *Ecclesiae* aut *beneficii* pertinet personis eccl.; ergo ordi

naria et fori externi (1), quamvis temporalis. Nam antiquitus sed hodie (2) etiam, praeter Ecclesiam Romanam, nonnullae Ecclesiae vel beneficia, adnexam habebant vel habent iurisdictionem et spiritualem et civilem. - Itaque excommunicationem istam incurret Archiepiscopus qui Suffraganeis suis ea interdicere velit ipsis competentia vi suae iurisdictionis ordinariae, aut Episcopus qui Abbati *nullius* vel *quasi nullius* ea prohibere contendat ipsi, iure ordinario, attributa. - Ob specialem praerogativam Ecclesiae Romanae *articulus 12 seq.* speciali mentione comprehendit usurpantes ditionem civilem, seu civilem principatum Ecclesiae Romanae; de quo infra.

449. Concilium Trid. in *Sess. 22, cap. 11,* excommunicatione reservata Rom. Pont. animadverterat in quoscumque *publica auctoritate* usurpantes et in alios omnes detinentes aut distrahentes haec *usurpata* bona, reditus, obventiones, emolumenta Ecclesiis et locis piis pertinentia.

Verum ob specialia nostrorum temporum adiuncta, quippe hodie apud nos in ius publicum et privatum populorum voluerunt, veluti legitimae, induci *publicae* usurpationes bonorum ecclesiasticorum quae *personis ecclesiasticis ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum* pertinent, unde ipsae *privatae* usurpationes, conniventibus legibus, fieri coeperunt, Const. *Apost. Sedis*, excommunicationem edidit speciali modo P. reservatam in haec bona aut iurisdictionem *usurpantes*. Alii vero qui alia bona ecclesiastica, cuiuscumque generis sint, usurpant aut detinent aut qui distrahunt aut detinent prioris generis bona iam

(1) Inquam - *fori externi* - nam iurisdictio per se pertinet ad forum externum et nonnisi improprie parochi vi sui beneficii dicuntur habere *iurisdictionem* in *foro interno:* proprius enim habent *iura* et *munera ordinaria*. Cf. D'Annibale, *Comm. n. 56.*

(2) Ita Episcopus Urgellensis, veluti Princeps in republica (vulgo D'Andorra) in Hispania non pauca adhuc exercet munera iurisdictionis temporalis.

usurpata, incurrunt excommunicationem a Tridentino latam simpliciter reservatam.

Demum qui iure detinent bona Ecclesiarum uti beneficiati aut quicumque alius haec bona detineat cum venia Ecclesiae. quales sunt emptores horum bonorum accedente venia S. Apostolicae, si alienent, incurrunt censuram aut alias poenas ad tramitem Const. *Ambitiosae*. - Haec sunt veluti suprema lineamenta legis ecclesiasticae punitivae in usurpantes, detinentes, distrahentes bona patrimonialia ecclesiastica.

450. Modo commentari aggredimur, *art. 11*, Const. *Apost. Sedis* qui habet pro obiecto, *iurisdictionem*, *bona, reditus ad personas eccles. ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentia*.

1) Quid veniat nomine *iurisdictionis* iam explicavimus.

2) *Bona* vero, *redditus* sunt qui percipiuntur a beneficiariis ratione *Ecclesiae* aut *beneficii;* quare excluduntur bona, reditus qui alio titulo extrinseco percipiuntur, veluti reditus *incerti*, *stolae*, *distributiones quotidianae* (1). Nomine *beneficii veniunt beneficia* tum *saecularia* tum *regularia* et etiam capellaniae ecclesiasticae erectae in titulum. *Ecclesiae* vero opponuntur *beneficiis* quia sunt nonnullae Ecclesiae in quibus facta non est divisio praebendarum (2), sed *personae* habent *bona, reditus* quatenus Ecclesiae sunt adscripti. - Et quia agitur de bonis pertinentibus ad *personas ecclesiasticas*, ergo excluduntur loca pia, confraternitates laicorum, capellaniae laicales, bona destinata Ecclesiae reparandae, et etiam monasteria, quia *bona monasteriorum ad nullas personas ecclesiasticas pertinent, sed vel ad ipsa monasteria*, vel ad *Romanam pertinent*

(1) Sed non omnes DD. excludunt *distributiones quotidianas a fructibus beneficii*; uti notavimus supra n. 165; sed in poenalibus sequimur benigniorem sententiam.

(2) Istae dicuntur Ecclesiae *receptitiae et sunt numeratae vel innumeratae*.

Ecclesiam (Bucceroni, *Comm. edit. 5, p. 119*). Hic Auctor asserit non comprehendi bona, reditus beneficiorum *vacantium;* et D'Annibale, *Comm. n. 90, not. 43* autumat, hanc opinionem esse probabiliorem sed ait: « *posterior* (contraria) *recepta est nec est ab ea recedendum* ».

3) Censura tenet *usurpantes* sive clericos sive laicos, qui nempe vel *publica* vel *privata* auctoritate (1), audent res Ecclesiae sibi addicere quasi iure sibi pertinentes vel in easdem iura exercere proprietatis.

4) Iamvero *usurpare* quis dicitur cum ab ipso domino rem occupat quasi suam; ut peregerunt Gubernia Civilia, quae bona Ecclesiarum sibi vindicarunt quasi sibi pertinentia ex iure publico hodierno et iusserunt, ista bona esse in commercio non secus ac cetera bona. Quocirca S. U. Inq. *9 Martii 1870*, declaravit hac censura non teneri fures, raptores praedones; et S. U. I. sub *die 8 Iulii 1874* edixit. comparantes sibi haec bona ab usurpatoribus actu ultimae voluntatis aut inter vivos, excommunicationem hanc non incurrere. Quomodo vero hi non effugiant censuram a Tridentino latam, infra explicabimus.

5) Eadem ratione tenet clericos vel laicos *sequestrantes*.

6) *Sequestrare* autem est: *Rem controversam sive immobilem sive mobilem apud tertium deponere, ut haec, lite finita, victori restituatur;* quod peragitur aut partium voluntate aut iudicis auctoritate, ut declaravimus, suo loco in *Lib. I, n. 557*. Hic non agitur de sequestratione voluntaria quae est species contractus; sed de ea facta ex officio a Iudice quia, uti adnota-

(1) Sane hic articulus spectat ad usurpationem sive privata sive publica auctoritate factam, dum textus Tridentinus mox explicandus respicit usurpationes publica auctoritate factas. - Et ratio legis repetenda est a diversa ratione temporum quia antiquitus tantummodo a Principibus, er violentiam tyrannicam, fiebant usurpationes; hodie ob iniustas leges iuris privati, infensas patrimonio Ecclesiae, etiam privati perpetrant usurpationes.

vimus, hic compescitur iniuria spoliationis facta Ecclesiae in suis bonis per violentam iniuriam. Proinde non comprehenditur sequestratio ex conventione partium seu Ecclesiae ipsius et alterius contendentis perpetrata, et excipiatur casus quo iudici, ex legibus concordatis, fieret auctoritas in clericos et in bona ecclesiastica (1).

7) *Demum* ad incurrendam censuram sive usurpatio sive sequestratio oportet quod utraque graviter *iniusta sit*, nempe formale grave peccatum contineat. Quare ex. c. usurpatio facta bona fide, veluti scopo occultae compensationis, aut ipsa sequestratio decreta in casu necessitatis, ut puta ne bona dilapidentur, non ea est quae hac censura proscribitur.

451. At qui effigiunt hanc excommunicationem, faciliter incidunt in excom. latam a Conc. Trid. - *Sess. 22, cap. 11 De ref.* S. Pontifici *simpliciter* reservatam: en verba: *Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate etiam* REGALI *aut* IMPERIALI *praefulgeat, in tantum malorum omnium ra-*

(1) Actiones quas *usurpare, sequestrare* in themate Const. *Ap. Sed.* compescit, ita explicat D'Annibale, *Comm. n. 91 seq.* « *Usurpare* est rem a domino occupare quasi ad se pertinentem. Tribus igitur opus est, ut quis rem usurpare dici possit; 1° ut eam occupet, 2° ut a domino, 3° ut quasi ad se pertinentem. - Ideo ... excommunicationem non incurrunt ex 1° qui aliquid, citra occupationem, detinent licet iniuste; ut puta conductor, fructuarius, emphyteuta; qui dominum, suo tempore, rem suam reposcentem iniuste repellit; ... nec ex 2° qui rem iam ab alio usurpatam invadit, occupat (*sed tamen huc spectat canon Tridentinus de quo infra*); nec demum ex 3° qui sata incendunt, arbores caedunt... » Quid sit *sequestrare*, iam significavimus, hoc vero debere esse *iniustum* ita docet D'Annibale *l. c.* « *Iniustum* autem dicitur si 1° vel nullo iure sit factum, vel 2° nulla cogente necessitate, utputa fugae, subtractionis, dilapidationis periculo; quippe est species executionis a qua iudicium inchoare, nisi ex iustissima causa, iniquum est; vel 3° sine R. P. vel aliorum ad id *legitimam facultatem habentium expressa licentia*; esset enim usurpatae iurisdictionis actus, nisi forte ex ea causa fiat, qua personas ecclesiasticas ad forum laicale trahere licitum est ».

dix.... cupiditas occupaverit ut alicuius Ecclesiae seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census aut iura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta seu quascumque obventiones quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum seu quacumque arte aut quaesito colore.... in proprios usus convertere illosque usurpare praesumpserit seu impedire ne ab iis ad quos iure pertinent percipiantur.... Quod si eiusdem Ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas (nempe excom. Pont. reservatam) *eo ipso privatus existat. Clericus vero qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat, nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur; et a suorum ordinum executione etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur* ».

Haec censura Trid. Concil. latissima est, quia comprehendit:

1) omnia bona ecclesiastica, nimirum etiam *iura* et *iurisdictionem*, nec non redditus seu proventus quos *incertos* vacant, qui converti debent in *ministrorum* et *pauperum necessitates*. Ecclesiastica autem haec *iura* et *bona* censentur, dummodo pertineant personis physicis *eccles.* et moralibus a *canonico iure* erectis et constitutis;

2) percellit censura actus iuridicos quibus Ecclesiae bona et patrimonialia iura *usurpata* in alios, actu sive ultimae voluntatis sive inter vivos, transferuntur; prouti habetur in Decret. S. Un. Inq. *8 Iulii 1873.*

3) At ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur ut haec bona aut *publica auctoritate usurpentur* aut ea

usurpata dein in alios transferantur, ita tamen ut non referat, an ipse usurpator aut alius remotus successor rem usurpatam in alios transmiserit aut ipse detineat. *Usurpatio* vero intelligitur non furis aut latronis, sed Principis aut alterius potentioris personae, agentis per publicam auctoritatem ex responsione Sacrae Congr. S. Officii die *23 Aprilis 1873*, et ex alia eiusdem Congr. die *9 Martii 1870* et ex decisione S. Congr. Concil. in Sorana *a. 1696*. - Cf. De Luca *Ad Trid. h. t. Disc. 32*, et D'Annibale *l. c. n. 96, not. 56* (1).

452. Verum si bona Ecclesiae quae iure detinentur a bene-

(1) In specie iuvat nonnullas enodare quaestiones. - Primo quaeritur, an incurrat censuram ex Trid. Conc. qui res usurpatas *conducit*. Dubitationem facit D'Annibale *l. c. n. 97, not. 61*, qui explicans verbum *pervenerint* advertit, *pervenire dicitur quod est remansurum* et addit « *Huc igitur pertinent tantum qui rem suo nomine detinent, non qui alieno, ut puta, depositam, commodatam, conductam* ». - Nihilominus qui fundos Ecclesiae usurpatos conducit, incurrit excommunicationem quia Tridentinum hanc fert in quoscumque qui ... *obventiones fructus quocumque quaesito colore in suos usus convertere audent*. Ergo non quia fundus ad conductorem *perveniat* sed quia fructus in suos usus convertit. Cf. Gennari, *Consultazioni, p. 5 et 36*, uti recoluntur responsiones S. Poenitentiariae. - Quaeritur an possint redimi (*affrancare*) *census;* et hinc quaestioni *affirmative* respondet D'Annibale *l. c. n. 97, not. 66;* sed, ni fiant distinctiones, res est valde obscura. Sunt nonnulli census *redimibiles;* et hos redimere fas est, quatenus redimens utitur iure suo, dummodo si in eis *redimendis minus, accepta sorte, persolverint*, id *Ecclesiis restituant*. Ita Poenitentiaria, *1 Iun. 1869*, ad 10um; ad 4um autem negat posse redimi census vel ex pacto vel ex iure can. *non edimibiles*. Sane hos, per iniuriam, fecit redimibiles ius hodiernum civile, et hos redimere est auferre Ecclesiae *dominium directum*. Cf. Gennari *l. c.* - Deinde quaeritur an censura constituta in Trid. Concil. incurratur in emendis fructibus, rebus annonariis fundorum usurpatorum. - Et communis sententia DD. et ipsae responsiones S. Poenitentiariae confirmant, incurri censuram quando haec bona emantur in *notabili quantitate*. Cf. Gennari *l. c.* - Iam Bened. XIV hanc quaestionem agitavit in Epistola - *Urbem Antibarum* - data ad Secretarium de Prop. Fid. *die 19 Martii 1752* et § *16 seq.* docet *ex*

ficiariis vel ab aliis legitimis administratoribus aut ipsa bona usurpata quae ab administratoribus vel ab emptoribus ex venia S. Sedis iure possideantur, alienentur absque solemnitatibus praescriptis in Extrav. *Ambitiosae*, tunc taliter *alienantes* et *recipere praesumentes* incurrunt excommunicationem nemini reservatam; quam confirmavit Const. *Ap. Sedis* sub n. 3 inter excommunicationes nemini reservatas, decernens taliter censuratos « *Alienantes et recipere praesumentes bona Ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis* Ambitiosae - *De Reb. Eccl. non alienandis* - ».

communi DD. *sententia* bona mobilia, per se, esse in commercio, et hinc transire in proprietatem acquirentium sed tamen proprietatem esse *resolubilem* et *revocabilem*; quippe si dominus fundi restituat pretium ab emptore solutum, hic rem domino restituere debet. - De *immobilibus* autem statuit, haec semel usurpata non esse *in commercio*, sed semper clamare ad dominum cui reddenda sunt nullo expetito pretio emptionis a possessore exsoluto. Haec veluti lege generali praecipiuntur capite 18, *De rest. spol.* X (II, 13) quod caput fuse suo loco explicavimus. Vol. I. - Proinde quoad res annonarias, quoad fructus, in genere, fundorum usurpatorum teneri debet, haec transire in plenam proprietatem emptorum sed hos peccare et censuram etiam incurrere, si haec ementes sint in mala fide et cognoscant se scandalum parere fidelibus et usurpatores adiuvare ut persistant in usurpatione. Indemnitati Ecclesiae consulere debent si res non iusto pretio emerint. Ita limitari debet sententia quam ante exposuimus. Cf. D'Annibale *l. c. n. 97, not. 65.* - Denique quia inibi consideratur crimen spoliationis vel detentio rei spoliatae, non comprehenduntur hisce canonibus qui decimas non solvunt, quos Trid. Concil. subiecit censurae *fer. sent.* in *sess. 25, cap. 15 De ref.* neque illi qui debita non solvunt clericis beneficiatis, Ecclesiis, locis piis, uti declaravit S. Cong. Concil. *in Sorana 27 Feb. 1596*, apud Pignatelli, *Tom. 7, Consult. 11*; neque beneficiati qui pessumdant res beneficii sui, nam haec decreta spectant ad *extraneos*; unde S. Cong. Conc. *in Feretrana* apud Pignatelli *l. c.* declaravit: « *Hoc decretum non habet locum quando dominus beneficii cdedit arbores fructiferos et illos ad commodum proprium convertit sed procedit in caedentes arbores animo furandi* ».

Quoad conditiones huius prohibitae alienationis et quoad genera *bonorum* subiecta huic prohibitioni, subaudimus explicationem tituli *De rebus Ecclesiae alienandis vel non*, qui titulus pertinet ad tractatum *De rebus* et solum recolimus in hac Const. *Ambitiosae* decerni quod si alienantes bona Ecclesiae praefulgeant dignitate Episcopali vel Abbatiali subiiciantur non excommunicationi sed poenae interdicti ab ingressu in Ecclesiam. At Const. *Ap. Sedis* de interdicto mentionem non fecit ac proinde exulavit.

Praeterea contra inferiores praelatos et clericos habentes dignitatem, personatum, officium, beneficium, praebendam vel administrationem, si alienent bona proprii beneficii vel dignitatis etc., eadem Extravagans Const. *Ambitiosae* decernit privationem horum iurium ipso facto incurrendam. - Verum inde enata est elegans quaestio; nempe utrum haec poena privationis amplius vigeat, postquam articulus Const. *Ap. Sed.* tulit, quoad *omnes*, alienantes et recipientes excommunicationem. Inquam - *quoad omnes* -; nam antea Const. *Ambitiosae* Episcopos et Abbates *alienantes* plectebat interdicto ab ingressu Ecclesiae; alios praelatos inferiores privationis poena. Modo nonnulli DD. veluti Lehmkuhl II, *n. 974* autumant Episcopos et Abbates adhuc teneri tantummodo interdicto lato ab Extrav. *Ambitiosae,* non excommunicatione lata a Const. *Ap. Sed.;* et De Angelis *h. t. n. 4* opinatur hos non teneri neque interdicto, quia hoc non renovavit Const. *Ap. Sed.*, neque excommunicatione, quia censura excommunicationis servata est ad formam Extrav. *Ambitiosae.* Sed nos sequimur D'Annibale (*l. c. n. 177*) qui asserit excommunicatione ita generaliter lata in Const. *Ap. Sed.* - *omnes* - prorsus teneri *recipientes* et *alienantes;* et hunc sequimur dum opinatur, exinde poenam pravationis beneficiorum iurium fuisse sublatam. Cf. supra n. 447. Hanc admittunt adhuc vigere De Angelis *l. c.;* Santi *h. t. n. 14.*

Insuper Const. *Ambitiosae* contra omnes decernit nullitatem

actus alienationis. Quare alienatio haec debet non tantum per praelatum alienantem, sed etiam a successore in beneficio, si antecessor non hoc praestiterit, revocari, in quorum defectum veniunt clerici addicti Ecclesiae detrimentum passae; arg. *c. c. 2 De precariis X*, (III, 14) et *2, 6 h. t.* - Sed censurae et aliae poenae non incurruntur nisi alienatio fuerit *perfecta*, prouti expostulatur ad dominium, si fieri posset, transferendum.

Denique *accipientes* sed non *alienantes* excusantur ob ignorantiam *crassam* et *supinam* quia illa dictio: *Alienantes et recipere praesumentes* - aperte significat, *praesumptionem* attendi quoad *recipientes* tantum. Verum notetur, hanc Constitutionem non ubique fuisse usu receptam, uti testatur Bened. XIV, *De Syn.*, *l. 12*, *c. 8, n. 9*. - Item prae oculis habeantur *leges concordatae.*

453. Patronus beneficii, cuius bona usurpet vel distrahet, ipse praeter poenas iam dictas, incurrit *privationem* iuris patronatus, uti decernit Concil. Trid. l. iam explicato. - Clericus vero quamvis tantum cooperatus fuerit aut annuerit et consenserit, antequam *plene perficeretur,* in spoliationem, privatur, ipso facto, beneficiis quibuscumque et ad alia beneficia inhabilis fit. - Ad haec, statuitur suspensio ab exercitio s. ordinum sed *fer. sent.* per Ordinarium infligenda.

454. Const. *Ap. Sed.;* speciali modo, tueri voluit bona Civili Principatui *Eccl. Rom.* pertinentia decernens sub n. 12, *excom. l. s. sp. m. P. reservatam* in « *Invadentes, destruentes detinentes, per se vel per alios, Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes* ».

Quum in hoc articulo prospiciatur defensioni *dominii temporalis*, hoc non ea extensione assumitur qua defendebatur in *art. 12 Bullae Coenae*. Siquidem ibi exprimuntur etiam regna

saecularia quae se Divo Petro reddiderant vectigalia et erant quamplurima, sed hodie in Const. *Ap. Sed.* agitur tantum de Terris et Civitatibus subiectis Dictioni Pontificiae nempe Civili Principatui Romani Pontificis. Quia agitur de dictione politica et temporali, hinc

1) *invadentes, destruentes, usurpantes, perturbantes, retinentes* Terras, Civitates aut iura et iurisdictionem, eisque adiuvantes, ii intelliguntur qui invadunt, destruunt, usurpant, perturbant, retinent, eo nempe consilio, ut auferant iura politica legitimi principis et ipsi vel alii quibus opem praestant, assequantur et conservent civilem supremum principatum; nec non ceteri omnes intelliguntur comprehendi qui iisdem, ad hunc scopum politicum, *proxime auxilium, consilium, favorem* praebent. Quocirca *iura* et *iurisdictionem* hic accipimus spectantia ad principatum civitatis politicum, non alia iura vel spiritualia vel mere civilia.

2) Apprime consideranda sunt ea verba *nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes*, quae significant, ex omnibus recensitis factis et *unum singulum,* quasi delictum sui generis, sufficere ad incurrendam censuram, veluti aut tantum *invadere*, aut *perturbare,* aut solum *detinere*, et ita porro. Hinc etiam percelluntur censura *cooperantes* proxime et efficaciter uni tantum ex hisce damnatis facinoribus. Quare sufficit civitatem *perturbare* et *perturbantibus* praesto esse, ad incurrendam censuram, quamvis finis perturbationis, utputa usurpatio Urbis, non successerit. Qui favor, quod consilium, auxilium opera efficaci, non tantum intentione praeberi debent ad incurrendam excommunicationem, uti inter plures alias hanc edidit responsionem S. Poenit. die *10 Dec. 1860*, declarans: *Censuras Ecclesiasticas iuxta litteras Apostolicas die 26 Martii 1860 incurri ab iis qui firmiter cooperantur vel adhaerent rebellioni ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in foro conscientiae, utrum quis censuras*

incurrerit, discutienda est per Confessarium uniuscuiusque conscientia.

3) In primis, inter *complices* seu *cooperatores* distinguendae sunt variae species. Nempe *primo* eorum qui cooperantur *actu usurpantibus*, hos vel pecunia vel consiliis vel favore adiuvantibus, et *secundo* eorum qui cooporantur hac vel alia ratione ut res *iam usurpata* detineatur pacifice. - Praeterea inter eos qui detinentibus opem praebent ut detineant, excellunt hi qui munus publicum obtinent, et haec munia sunt vel *militaria* vel *politica* vel *civilia*.

4) Iamvero per cooperationem etsi *efficacem* in muneribus *militaribus* quis non incurret censuram si est physice coactus, ut miles qui invitus inscribitur, vel si quis cooperetur Gubernio invasori non in *politica* conservatione regiminis sed tantum in *civili* tranquillitate tutanda et bono civium procurando, quippe haec necessaria sunt in quacumque civitate: conf. D'Annibale *l. c. n. 101.*

5) Quia in articulo distinguuntur delinquentes *principales*, et *accessorii*, sane principales sunt ipsi viri Principes qui potiuntur summa rerum in civitate, quamvis ex constitutione Reipublicae exercere ipsi non possint functiones publici regiminis, nisi praehabito consilio aut assensu vel suorum Administrorum vel Oratorum populi. - Quocirca inter hos viros Principes qui *iura, iurisdictionem retinent*, non comprehenduntur isti Oratores populi, vulgo Deputati, Senatores qui potius inter *fautores* et *adiutores* accenseri possunt. Ceterum hi constituunt quemdam *Ordinem* personarum et censurae tenent *singulos*, non *personas morales*, nisi expresse ferantur in has personas, et tunc magis poenae quam censurae aestimantur. Cf. n. 98 seq. Nihilominus si isti iurent *activam* obedientiam, ex resp. S. Poenitentiariae *10 Dec. 1860 ad 10, et 14* habentur quasi *usurpantes* et hinc uti *principales* delinquentes. Quare ex *hoc capite* incurrerent censuram uti singuli, non qua Ordo personarum iure publico con-

stitutus. - Effugiunt vero hanc censuram, si iurent tantummodo obedientiam *passivam* legibus tum divinis tum ecclesiasticis consentaneam.

Item *accessorii* delinquentes sunt qui *munia politica* exercent potiora, veluti praesides provinciarum, civitatum, terrarum, locorum; quamobrem ex Resp. ad *11*, S. Poenitent. *diei 6 Octobris 1860* non licet haec obire munia sub auctoritate gubernii usurpatoris; sed excusat grave incommodum, prouti in ceteris legibus. Tamen advertatur cum clar. Ballerini quod decreta SS. Congr. edita dum usurpatio patrabatur, non parum amisisse sui ponderis postquam usurpatio consummata fuerit et pene formiter constituta. Cf. Ballerini ad Gury (II, 972) et cl. Pennacchi, *Comm. pag. 387* (1).

455. Verum Pontificia Dictio Temporalis non solum ab invasoribus defendenda erat, sed etiam a malis vel infestis consiliariis, etsi hi rectissima intentione consilia promant. Huic periculo consuluit *art. 13* inter excom. *simpliciter* Papae reservatas, declarans consuratos: « *Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V.* - Admonet nos, *quarto*

(1) S. Poenitentiaria postquam pluries declaraverit non licere iurare iuxta formulam iuramenti a Gubernio italico propositam, uti exponit cl. Gennari, *Consult. p. 70 seq., die 1 Dec. 1886* edixit, Deputatis in Italico regno constitutis licere edere supra dictam iurandi formulam sub conditione emittendi reservationem *salvis iuribus divinis et ecclesiasticis*, et hanc reservationem debere fieri expresse *audientibus saltem duobus testibus*. Cl. Gennari *l. c.* probat hanc esse unam rationem restringendi sensum, sed non unicam; notat enim quoad ceteros Deputatos reservationis nescios iuramentum esse licitum vi restrictionis *mentalis* aut amphibologiae. Nam huiusmodi iuramentum est *promissorium*, non *assertorium* et quis dum iurat legum observantiam, intelligitur iurare leges iustas; quia *iniusta lex* non est lex. - Praeterea qui expostulat iuramenti prolationem non habet ius ad exigendam observantiam legum nisi *iustae* sint. - Istae animadversiones autem applicandae sunt fere ad omnes *constitutiones* politicas, ubi hodie plus minusve nonnullae leges *iniustae* vigent.

kal. Aprilis 1567, Innocentii IX. - Quae ab hac Sede, *prid. non. Nov. 1591, Clementis VIII.* - Ad Romani Pont. *curam, 26 Iunii 1592 et Alexandri VII.* - Inter caeteras, *nono kal. Novem. 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus* ».

Iamvero S. Pius V *in cit. const. sub* § *3* haec habet: *Statuimusque et decernimus quod omnes et singulae tam communitates et universitates quam cives ..... aliaeque quaecumque personae ..... ac S. R. E. Cardinales ..... tractantes, consulentes aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis ..... aut alii quicumque alienationes huiusmodi Romani Pontificis pro tempore existenti*, per se vel alium aut alios insinuantes vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis ..... ». Quare huiusmodi consilia aut suasiones, veluti delicta *sui generis*, censurae subiacent statim ac fuerint exterius prodita et executioni demandata per se aut per alios, quamvis effectum non obtinuerint. Cfr. D'Annibale, *l. c. n. 143.* Alii Pontifices, in articulo memorati, S. Pii V Constitutionem confirmarunt aut paulisper immutarunt.

Pro nostris temporibus quaeri potest an exinde ab iis incurratur censura qui Papae consulunt *renunciationem* Ditionis Temporalis ad pacem ineundam cum Gubernio Italico. Affirmant cl. De Varceno et Ciolli *in suis Comm.;* negat Pennacchi *p. 1013* cui adhaeret D'Annibale *l. c. not. 9* quia nunc non agitur de principatu civili alienando sub specie contractus *infeudationis*, ut tunc agebatur, sed de simplici et absoluta *abdicatione;* quod utique est gravius sed a mente illorum Pontificum plane remotum: in poenalibus vero nec a minori ad maius fit extensio; quocirca haec posterior sententia magis vera est.

CAPUT IV.

DE IIS QUI REALI INIURIA, NIMIRUM IN CORPUS PERPETRATA, AFFICIUNT VEL PERSONAS ECCLESIASTICA DIGNITATE POLLENTES VEL CLERICOS QUOSCUMQUE.

Summarium. — 456. In censura quae continetur in *art. V*, Const. *Apost. Sedis inter excomm. sp. in P. res.* et antea in Bulla Coenae § 11, habetur quaedam species *Privilegii canonis* pro certo genere praecellentium personarum. — 457. Exponitur textus huius articuli. — 458. Explicatur *art. 2*, Const. *Apost. Sedis* inter excomm. simpliciter reservatas Rom. Pont. ubi continetur *Privilegium Canonis.* — 459. Quando excommunicatio *canonis* sit reservata. — 460. De censura l. s. nemini reservata lata in laedentes aut perterrefacientes personas S. Officio addictas, in odium eiusdem S. Officii.

456. Praeter ipsa iura Ecclesiae ab usurpationibus et eversionibus sive publicis sive privatis defendenda, personae quoque ecclesiasticae, eae potissimum quae praecellentem habent auctoritatem, protegendae erant ab iniuriis quibus mali homines eos, violenter corpus offendentes, afficere audent. - Iampridem in Conc. Laterenense II Innocentius II in celebri can.: *Si quis suadente diabulo,* perculit excommunicatione R. P. reservata violentas manus in clericos iniicientes. Hanc excommunicationem quam probant eruditi, omnium primam *ipso iure seu ipso facto*, incurrendam fuisse inductam, Const. *Apost. Sedis* conservavit inter excomm. simpliciter Papae reserv. sub n. 2 - sed specialem addidit (1) censuram, Papae *speciali modo* reservatam, adversus realiter laedentes personas Procerum Ecclesiae. Qua-

(1) Vel melius posset dici nihil novi fuisse decretum nisi *reservationem;* sed unus forsan adest casus in quo censura revera inducta fuisse dicenda est, nempe si Legatus Papae sit *laicus* vir.

mobrem patet in themate, rem esse de quadam specie *Privilegii fori.*

457. Const. *Apost. Sedis* inter excomm. sp. m. reserv. censuratos declarat *sub art. 5.* « *Omnes interficientes, percutientes, capientes, carcerantes, retinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris seu Dioecesibus eiicientes nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes, in eis auxilium, consilium* (1) *vel favorem* ».

Articuli mens est, Proceribus Ecclesiae conciliare necessariam *securitatem* et *reverentiam;* quare accommode D'Annibale in suo *Comment. n. 50*, notat hic puniri iniurias in *corpus, libertatem, dignitatem* patratas. Sed puto proprium esse harum offensionum ut omnes sint *reales* seu in *corpus,* adeo ut si *libertas*, si *dignitas* impetatur absque laesione vel constrictione corporis non sit locus huic speciali censurae.

In corpus iniuriose agitur interficiendo, percutiendo, mutilando; *in libertatem* capiendo, carcerando, detinendo; *in dignitatem*, insequendo vel eiiciendo. *Insequi* vero hostiliter est persequi nocendi animo seu inferendi vulnus in corpus, vel laesionem aut constrictionem, quamvis postea hoc perfici non possit. *Eiicere* a suis dominiis et suis terris importat expellere Principes, Praesules a locis quibus praesunt et commorantur vi officii, non ex domestico domicilio.

Quia versamur in odiosis, si quis absque *percussione* aut *mutilatione, detentione* vel *expulsione* aut *hostili insecutione* aliquem ex his Praesulibus laedat, non incurrit hanc censuram. Veluti si contemnat, ei vestes detrahendo aut sputis aut luto foe-

(1) D'Annibale - in *Summula* et in *Commentario* - legit textum absque hoc verbo - *consilium* - sed alii passim, ut Bucceroni, Lehmkuhl etiam - *consilium* - in textu comprehendunt.

dando, non hanc sed incurreret aliam excommunicationem, *vulgo canonis*, quae est inter reservatas simpliciter R. P., quaeque latissime patet. Sane censura *ex can. - Si quis suadente diabolo* - contra regulas iuris, ex recepta communi interpretatione, passa est latissimam applicationem. At haec exceptio ad casum nostrum non est producenda.

Attamen censura de qua nunc agimus hoc habet speciale ut sit severior, quippe *sp. m.* reservata Rom. Pont. - Nam eo spectat ut tueatur *personalem* securitatem et dignitatem illorum qui potiora munia agunt in Ecclesia, hinc non qua *clericos*, sed qua *proceres* in Ecclesia protegit. Quare nonnullas offensiones non comprehendit, punitas ex censura communis *Privilegii Canonis* et etiam minus patet quoad personas exinde defensas. *Privilegium Canonis* protegit omnes clericos latissima significatione appellatos, sed solos clericos; dum e contra excommunicationem huius *art. sp. m.* Papae *reserv.* incurrunt laedentes Papae Legatum etsi *laicum*. Attamen quia versamur in odiosis, Episcopos intelligimus iam consecratos et non comprehendimus Abbates *Nullius*.

Ad ultimum adverti debet, teneri hac censura qui *mandant* et qui *ratum habent*, quippe *ratihabitio* retrotrahitur et mandato aequiparatur, *ex regula 10 De R. I. in 6;* verum, ut habet *cap. 23, De Sent. excom. in 6 - non potest ratum quis habere quod eius nomine non gestum est.* - Unde tempore admissi criminis oportet quod adesset capacitas habitualis delinquendi in eo cuius nomine aliquid gestum fuit; siquidem nomine infantis vel amentis crimen admissum non intelligitur. - Item hac censura percelluntur qui mandanti aut crimen exequenti *auxilium* aut *favorem* aut *consilium* praestant, tamen effectu sequuto, ut par est in criminalibus.

458. Modo agamus de altera censura quae appellatur vulgo Privilegium vel excommunicatio Canonis, quaque Const. *Apost. Sedis* sub n. 2, inter excom., *simp. P. reservatas*, censuratos

declarat: « *Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos vel utriusque sexus monachos, exceptis, quoad reservationem, casibus et personis de quibus iure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat* ».

Cum hoc *privilegium canonis* sit comparatum non in favorem personarum, sed ordinis clericalis latae interpretationi obnoxium fuit, sane non ex regulis iuris, sed ex receptis moribus. Hac de causa *clerici* nomen quam latissime assumitur ut comprehendantur Regulares utriusque sexus, Novitii, Tertiarii in communi vitam agentes vel Eremitae qui aut collegialiter vivunt, aut saltem ii Eremitae qui de mandato legitimi superioris habitum acceperint. Ergo illi excluduntur qui arbitrio suo habitum assumunt et dimittunt. - Verum quoad istos nempe Eremitas de mandato Episcopi habitum suscipientes et alicui Ecclesiae inservientes, an gaudeant *hoc privilegio* non est sine controversia apud Doctores. Quare D'Annibale, *Comm. n. 108*, autumat - *pro percussoribus respondere, melius est* - seu hos non teneri hoc canone.

Iniuria autem qua censura incurritur oportet sit *directa* in personas, nimirum in *corpus* clericorum per aliquod factum laesivum, vel ipsius *corporis*, vel *libertatis* aut *dignitatis*, dummodo dignitas non *verbis* sed *factis* impetatur directis in *personas* seu in *corpus*, (1) etsi corpus non directe laedatur, sed violentia in res inferatur corpori adhaerentes, utputa vestes conscindendo, pulvere, sputo foedendo, pileum, baculum violenter detrahendo. Revera violentiam debere esse *realem*, *factis* non *verbis* in personam admissam, loculenter edicunt verba canonis statuentis: *Si quis suadente diabolo.... in clericum vel monachum violentas manus iniecerit* etc.

(1) Addimus - seu *in corpus* - quia iniuria debet personam clerici dehonestare externe in corpore. Unde si quis clerico rem aliquem subripiat vel calumniam divulget, *personam* clerici offendit, sed non incurrit hanc censuram quia corpus nullimode attingit.

Illa verba: *suadente diabolo*, exprimunt non incurri censuram nisi *factum* moveat ex proposito iniuriandi, quod abest, si clerici persona laedatur vel iusta defensionis causa vel reprehensionis; unde eximitur magister clericum percutiens ad correctionem, vel maritus, filius, frater graviter plectentes clericum cum sua uxore, matre, sorore turpiter agentem. Namque hi excusantur, (aequitatis iure), quasi aestu irae abrepti, ob vehementem iniuriam ipsis quoque latam in offensione tam gravi facta hisce personis sibi adeo arcte coniunctis. Quare haec ratio non excusaret quoad alios extraneos, et item dic de aliis id genus casibus. Siquidem *quoad extraneos* non praesumitur aestus irae vel subita ira, sed si haec probetur, cessat censura et planum est.

Doctores quaerunt an huic censurae sint obnoxii *mandantes*, nec non *ratum habentes*, et D'Annibale censet, hos non teneri, *Summa I, n. 367*, quia, quidquid fuerit de iure Decretalium, nunc ex hac Const. censurae vim habent: *eo modo quo in ea insertae sunt.... non secus ac si primum ab ea editae fuerint*. - Proinde praeteriens, mandantes et ratum habentes, hos exemisse nostra Const. videtur quia hos praeteriit et haec sententia hodie communior est. Item *impuberes*, qui ob praesumptum malitiae defectum, regulâ generali, non solent comprehendi in lege poenali nisi expresse nominentur, videntur huic censurae non obnoxii. - Cf. Ballerini-Gury, II, 975, et cl. Pennacchi, *Tom. I, p. 474*.

459. Haec censura est R. P. reservata: *exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus vel alius absolvat*. Isti casus sunt,

1) Si percussio fuerit, *levis* etsi non levis iniuria, quae ex. gr. fit pugno, pede, absque gravi damno, Episcopus potest absolvere quemcumque percussorem;

2) Si *gravis*, tantum eos Episcopus absolvere potest qui collegialiter vivunt; ex *cap. 50, De sent. excom.*, quippe hi censentur impediti quominus adeant Rom. Pontificem;

3) Si vero *enormis* fuerit, id est importaverit mutilationem, ex Const., *Perlectis, Extrav. 32, De sent. ex. - Ioannis 22,* - Episcopus absolvere poterat percussores impuberes, sive ante sive post pubertatem expostularent absolvi; et hos adhuc absolvit, quatenus sequenda sit sententia eorum autumantium, impuberes quoque huic censurae obnoxios esse;

4) In dubio utrum percussio fuerit *levis* vel *gravis* vel *enormis,* res expediri debet attentis locorum et personarum adiunctis; at si dubium perseveret, teneri debet, gravem fuisse vel enormem: ex cit. Extrav. *Perlectis.*

5) Demum Legati sive *a latere* sive *missi* possunt absolvere percussores sibi subditos, imo Legati *a latere* etiam extra suam provinciam, non sibi subditos, arg. *cap. 9, De off. legati X* (I, 30).

6) Episcopi vero ex regula generali Conc. Trid. *Sess. 24, c. 6,* possunt absolvere in casibus omnibus occultis, quamvis percussio *enormissima* fuerit.

7) Si obstet impedimentum adeundi Romam quisque confessor absolvere valet percussorem, iuxta regulas suo loco explicatas. Cf. n. 124 seq.

460. Demum ob specialem defensionem qua indigent contra perversos cives personae exercentes sanctum Inquisitionis Officium, idemque s. Officium adiuvantes, ut puta *denunciantes* homines haeresi infectos, sive in Urbe sive in quacumque provincia vel dioecesi, Const. *Apost. Sedis* insistens vestigiis Const. Pii V. *Si de protegendis,* promulgavit excommunicationem sed *nemini reservatam sub n. 2* in « *Laedentes aut perterrefacientes, Inquisitores, denunciantes, testes, aliosve ministros S. Officii, eiusque Sacri Tribunalis scripturas diripientes aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praebentes* ».

Advertimus *S. Officium* modo accipi quocumque in loco constitutum sit, non tantum illud quod viget Romae; ubi vero

S. Officium non viget aut unquam viguit, uti in Regno Neapolitano, quae hoc canone constituuntur produci non possunt ad tribunalia Episcoporum eorumque ministros, quamvis Episcopi sint Inquisitores nati, et hoc declaravit S. Off. *die 16 Iun. 1894.*

Rei autem tum *principales* tum *accessorii* committunt hanc censuram quando laedere aut perterrefacere audeant ministros S. Officii, in odium S. Officii, atque scripturas huius tribunalis diripiunt aut comburunt. - *Ministros* intelligimus quoscumque addictos S. Officio, veluti *Consultores*, quippe eorum opera necessaria est executioni huius specialis Officii. *Testes* vero intelliguntur non qui produci possent vel produci debebant sed ii qui *actu* producti iam sunt. - *Scripturas* diripere significat non unam vel aliam sed plures seu varia *instrumenta* rapere, non per *furtum* sed *rapinâ*, seu *vi*. - Scripturas huiusmodi *comburentes* percelluntur hac censura, quatenus hoc medium et non aliud eligunt *destructionis.*

Sed, uti iam adnotavi, hic fit sermo de quocumque tribunali Inquisitionis seu S. Officii sive in Urbe sive in partibus constituti.

Cetera de poenis in specie, prosequemur in IV volumine.

Allegatum I.

SUSPENSIONIS, IRREGULARITATIS, ET PRIVATIONIS PAROECIAE.

Die 5 Dec. 1863, 30 Iul. 1864, 8 Iul. et 12 Aug. 1865. *Sess. 21 c. 6 de Ref.*

Compendium facti. Vacante anno 1847 paroecia quingentarum supra mille animarum in dioecesi N. in Italia superiori, suffectus eidem fuit Titius Sacerdos indigenus. Eius electio laeta parochianis non successit.

Progressu temporis aversio incolarum omnem modum excessisse visa est. Hinc continuae ac renovatae querelae tum parochianorum tum laicae potestatis, quod ipse gravibus ac interminabilibus quaestionibus non solum familias, sed etiam publica officia cumularet.

Apprime noscens praesens Episcopus nulla alia ratione se posse huic malo prospicere (quamvis Titius facinorum reus non appareret) nisi temporanea saltem Parochi remotione a paroecia; ut id sua sponte faceret hortatus est. Sed hortationes in irritum cum cessissent, emisso denique decreto anno 1857, Titium ab officio Parochi ad tempus removit, illique interdixit parochialia officia, sive publica sive privata exercere, iussitque eum a paroecia recedere donec, rebus in melius conversis, in pristinum statum restitueretur.

Titius aegre tulit eiusmodi decretum, ac caeteris omissis, supplicem libellum porrexit S. Congregationi, ut Episcopus veram remotionis causam S. C. panderet, ut S. C. succurreret detrimento, et dedecori quod inde sibi proveniebat; quod si Episcopus illam ab administratione paroeciae suspensionem caeterasque inhibitiones loco poenae se dedisse affirmasset, supplex postulabat institui regularem processum ad normam ss. canonum.

S. Congregatio die 27 Februarii 1858 Episcopo rescripsit ut *referret de causis inflictae suspensionis, transmissis documentis ad rem facientibus.* Episcopus mandatis parens, suis literis cum necessariis documentis seriem factorum contexuit, ex qua decerpta sunt ea quae tantum indi-

cavi: addebat autem Episcopus, Paroeciam post Titii remotionem revi-guisse cultu religioso et pace, omnibus exultantibus et gratias agentibus: Titium dum haec contingerent, nullimode se submisisse episcopalibus praeceptis, quin imo suo irritanti ingenio populi opinionem sibi adversam magis exacerbasse: opus denique fuisse saeculari brachio ad eum removendum a parochiali domo, ut suffici posset Vicarius Parochus.

His et similibus ab Episcopo enarratis, aliis literis a Titio S. C. datis, rescriptum emissum est die 26 Ianuarii 1859 his verbis conceptum: *relatum, et notificetur Episcopo eum in finem ut ulteriora non praetermittat media, ac officia ad spontaneam resignationem obtinendam.*

Novis itaque literis ab Episcopo missis, accurate enarrabat quibus mediis usus esset ut Titius sua sponte beneficium resignaret, quae denuo in irritum cesserunt, addiditque inter caetera, parochianos ita animo esse alienos a Titio, ut reconciliatio suo iudicio nullimode speranda foret.

Interea aliis literis S. C. missis Titius insistebat pro immediata reintegratione in paroeciali ministerio, quibus S. Congregatio rescripsit: *relatum*, mandavitque Episcopo ut *tam huiusmodi decretum, quam alterum diei 26 Ianuarii 1859 Parocho notificaret, eumdemque moneret, ut dociliter se submitteret praescriptionibus episcopalibus ac S. Sedis.*

Quae inde subsecuta fuerint, sicut ea quae Episcopus gesserat, continentur in sequenti episcopali decreto diei 5 Novembris 1861, quo laudatus Episcopus poenam suspensionis a divinis contra reluctantem Parochum indixit: « Titius anteactis etiam temporibus (sunt verba decreti) in « administratione paroeciae sibi commissae ita versatus est, ut fere omnium « in se invidiam concitaverit.... sed eo usque schismata, et mala omnia « in paroecia progressa sunt ut Nos.... coacti fuerimus eumdem.... ab omni « parochiali officio ad tempus removere. Id vero praestitimus decreto diei « 26 Octobris 1857, quo eidem interdiximus in sua paroecia consistere, « muniaque parochialia tum publica tum privata quomodolibet exercere.... « Interim Nobis nuntiatum est praefatum presbyterum absque ulla venia « Nostra, et contra decretum 26 Oct. 1857 rursus in paroeciam rediisse, « ibi sacra facere et poenitentiae sacramentum accedentibus administrare. « Tunc per nostrum Pro-Vicarium generalem.... eumdem monuimus ne « tam flagranti inobedientia causam suam redderet deteriorem. Quam « quidem admonitionem cum ille despiceret, novo decreto diei 9 Febr. « currentis anni mentem Nostram aperuimus eidem declarantes gravi se « facinore inquinari, qui contra episcopale mandatum adhuc in paroecia « immorari, et omni iurisdictione privatus poenitentiae Sacramentum

« maximo populi scandalo Christifidelibus praesumeret administrare. Haud « multo post, videlicet die 10 Martii S. Concilii Rescriptum dedimus, quo « *reiectis precibus Parochi (Titii) Nos iussit eumdem monere ut dociliter* « *se submitteret praescriptionibus Episcopalibus et S. Sedis.* Sperabamus « quidem fore ut, qui Nostris monitis et iussis semper reluctaverat, S. Sedis « oraculo saltem acquiesceret. Ast dolendum hic maxime est, quod res « ipsa in peius prolabi visa fuit. Namque ille novas admonitiones nihili « prorsus faciens in sua paroecia adhuc morari, ibidem Missam celebrare, « Confessiones audire, sacram Synaxim populo administrare ausus est. Et « ne quid tantae inobedientiae deesset, suam ipse inobedientiam literis « diei 16 Septembris pr. el. audacter Nostro Pro-Vicario professus, irre- « verenti prorsus ratione in curiam nostram invectus est.

« Cum igitur probe noverimus nullum aliud Nobis in promptu esse « remedium quo vel contumacem presbyterum ad obedientiam et resipi- « scentiam revocemus, vel ab insolentia, et scandalis deterreamus, per « praesentes literas *eumdem presbyterum.... Parochum.... a divinis suspen-* « *dimus, et ita suspensum ab omnibus haberi volumus* ».

Elapso vix mense ab huiusmodi suspensionis decreto graviora de Titio retulit Episcopus ad S. C. - Retulit nempe: ex iuratis testibus constare Titium notorio suspensionis spretu Missam pluries celebrasse; proindeque quaerebat, an Titius declarari possit irregularis, et an idem privari debeat parochiali beneficio, et interim urgente necessitate, eadem paroecia conferri debeat alteri idoneo Sacerdoti. Quibus quaestionibus die 3 Februarii 1862 responsum fuit: « *Sacr. Congr. inhaerens resolutionibus alias in similibus editis respondet, enunciatum Sacerdotem Parochum incidisse in irregularitatem, et nihil impedimento esse quominus Episcopus eum irregularem declaret. Quo vero ad depositionem a Beneficio parochiali, ipse Episcopus accuratius referat singula rerum adiuncta supradictum Parochum respicientia, transmissis documentis in copia authentica ad rem facientibus* ».

Transmissis itaque ab Episcopo relationibus, plurium testium depositionibus, laicae potestatis Notis et Ordinationibus, ipsius Parochi confessionibus suffultis, quaestio in plenario S. Congregationis consessu iuris ordine servato disceptata est sub dubiis: I. « an et quomodo decreta episcopalia sustineantur in casu ». II. « An et quomodo sit locus depositioni (Titii) a paroecia in casu »: quibus S. Congregatio die 5 Decembris 1863 respondere censuit: ad I. *affirmative in omnibus:* ad II. *dilata, et ad mentem: mens est ut Episcopus praefigat Parocho novum terminum*

duorum mensium ad deducendum iura sua coram S. Congregatione et de resultantibus certioret.

Titius itaque intra praescriptum terminum adversus acta quae Episcopus S. Congregationi miserat, in sui defensionem haec inter caetera protulit, scilicet: relationes Episcopi veritati consonas undequaque non esse: se praesenti paroeciae fuisse suffectum, postquam aliam oppidanam rexerat, quae translatio ab antecessore Episcopo facta non fuisset, nisi de sua idoneitate ad regendam plebem ipsi constitisset: parochianorum aversionem quae statim excitata est, repetendam esse ex gravibus paroeciae illius difficultatibus et ex partium studio ut praesens, (qui positus erat) Vicarius eidem paroeciae tanquam Parochus praeponeretur. Caeterum cum sibi nunquam accusationum capita notificata fuerint, inquiebat optimam suam agendi rationem ostendi ex quodam antecessoris Episcopi epistolio, tum ex quatuordecim parochianorum testimonio, qui referebant, saniorem paroeciae populum non solum ab insectando Parocho abhorrere, sed imo vehementer optare ut Titius quamprimum suae paroeciae restitueretur, quae in deterius ob eius absentiam in dies vergebat.

Subdebat autem idem Titius Episcopum nimis faciles aures praebuisse tum Vicario Foraneo sibi infensissimo, tum provinciali laico Delegato, qui sine delectu exceperat suorum hostium querelas: atque idcirco se iugiter institisse ut formalis processus institueretur, vel saltem singula accusationum capita proderentur, sub qua conditione tantummodo ipse Episcopo significaverat, ultro se paroeciam dimissurum: sed quia deerat iusta persecutionis causa, neque plebis quies, aut Parochi salus periclitabatur, ideo, aiebat, Episcopum in exilio decernendo sibi dixisse, suam esse intentionem *restituendi Parochum atque ita incendium extinguendi*: quod tamen non sincere id Episcopum dixisse aiebat, cum ante decretum diei 26 Octobris 1857 idem Antistes sibi voce declarasset, *praefatae paroeciae locum non amplius fore Titii patriam.*

Negabat praeterea Titius alia accusationum capita, cuiusmodi erat illud, quo dicebatur se Vicario Parocho recusasse habitationem ac caetera similia; neque se deliquisse aiebat, quod contra decreti praescriptionem ad patrios lares remigraverit; gravibus enim causis et necessitatibus adactus id fecit. Quare decretum 26 Octobris nullius roboris esse concludebat.

Irritum et aliud suspensionis decretum esse contendebat, quod ideo latum fuit, quia priori decreto non obtemperaverit; ipse enim ad S. C. pro declaratione nullitatis eiusdem primi decreti appellaverat: pendente

autem appellatione, cum de valore prioris decreti iudicari deberet, alterum suspensionis est inflictum. Stante itaque nullitate decretorum irritam pariter esse concludebat emissam declarationem contractae irregularitatis.

His, quae indicata sunt, copiose a Titio expositis, denique rogabat, ut in suspenso maneret iudicium super dictis decretis; interim concessa ad cautelam absolutione a censuris, et irregularitate, conficeretur regularis processus, ex quo si crimen aliquod resultaret se libentissime officium, ac beneficium resignaturum.

Iterum itaque causa in S. Congregationem disceptanda descendit sub dubiis: I. « An sit standum vel recedendum in primo dubio in casu ». II. « An et quomodo sit locus depositioni Sacerdotis (Titii) in casu ». III. « An et quomodo sit locus absolutioni a censuris et dispensationibus « ab irregularitate in casu ». Discussa iterum causa die 30 Iulii 1864, S. Congregatio respondere censuit: ad I. *in decisis:* ad II. *dilata, et ad mentem:* ad III. *dilata, et det vera resipiscentiae signa.*

Episcopus cohaerenter ad mentem S. Congregationis, quae eidem pandita est, respondit: ordinatum fuisse Titium titulo ecclesiasticae cappellaniae, cuius annuos redditus enarrabat: retulit quinam annui redditus e paroecia de qua agimus Parocho obvenirent: paucissima esse in sua dioecesi beneficia quae ab Episcopo libere conferuntur, quorum nullum in praesens vacans erat.

Titius interea quosdam subiectionis actus Episcopo adpromisisse visus est; ac simul postulavit a S. C. ut ab onere sibi gravissimo ipsorum decretorum penitus solveretur, instituto regulari processu.

DISCEPTATIO SYNOPTICA.

Quae favore parochi disputabantur. — Sancitum in iure esse innuebatur *ex officio*, neminem paroecia privari debere, nisi ex causa criminis et crimen sit ex iis, quae sunt in iure expressa iuxta Trident. Concilium *sess. 21, cap. 6 de Ref.* Siquidem coactiva eiusmodi remotio gravissima est poena, qua, ex ss. canonibus, Clericus plecti nequit nisi post gravissimum crimen, praehabitis monitionibus, ac formali confecto processu, solemni iustaque iudicis sententia fuerit convictus. Et secundum hanc saluberrimam iuris dispositionem, S. C. C. ubi delictum evidenter probatum non foret, aut forma ss. canonum neglecta sit, locum privationi paroeciae non esse constanter respondit.

Atqui in praesenti casu de Parocho agebatur, qui a paroecia remotus

est, nullo instituto processu, ac neglecta prorsus forma in iure praescripta: quin imo de Parocho agebatur, contra quem, ipso fatente Episcopo, crimen non aderat. Quod si post Episcopi decretum ea patraverit, quae criminis qualitatem redoleant, in his commiseratione potius, quam poena dignus videbatur. Remotio enim a paroecia et a propria patria, licet temporanea, quae famam Titii in discrimen vocabat, eum compulit, ut vel regularem processus confectionem, vel reintegrationem in officio invocaret: quae invocatio in irritum cum cessisset, animi exulcerationi, potiusquam dolo malo, ea quae adversus decretum pertinaciter gesserat, adscribenda videbantur.

Neque ad sustinendam remotionem confugiendum esse observabatur, ad grave odium, quo adversus Parochum parochiani fere omnes flagrare dicebantur. Cum enim crimen quodlibet nec ostendi nec adesse contingeret, odium plebis sine ulla Parochi culpa obvenit, quo in casu cogi non posse Parochus ad resignationem paroeciae dicebatur; quin imo ob eiusmodi causam neque resignatio sponte facta facile a Superiore est admittenda, *Cap. 10 de Renunciat.* S. Pius V. in Const. *Quanta Ecclesiae....* diei 1 Aprilis 1568, in qua S. Pontifex licet resignare posse beneficium edixerit illos, *qui ob capitales inimicitias, nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi*, subiunxit tamen: *Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus valeat ullo modo beneficium, vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita posset commode sustentari.* Quam Constitutionem Barbosa *de off. et potest. Epis. alleg.* 69 illustrat.

QUAE FAVORE EPISCOPI PERPENDEBANTUR. — E contra advertebatur, quod licet Titius nullam plebis odio causam praebuisset; licet nullo crimine irretitus foret, nihilominus Episcopus rite munere suo functus est. Notum est enim eum a paroeciae regimine removeri oportere quem mala plebs odit, ne propter bonum Pastoris gravissimum detrimentum universo gregi inferatur. Quod si aversio et odium concitatae plebis iustum non sit, non erit Parochus puniendus, idest paroecia tamquam reus condemnatoria sententia *privandus*: sed tamen erit *removendus* facta aliqua beneficii permutatione, ceu in similibus casibus factitatum est, *Eystetten. Permutationis Paroeciae* diei 22 Septembris 1742.

In hac autem hypothesi non officere observabatur defectus formalitatum iuris, et defectus formalis processus, cum de poena irroganda non agatur, sed de simplici remedio afferendo scandalis, et inimicitiarum periculis.

Quamvis autem gravia crimina Titio imputanda in facto non adessent, non tamen omnino innocens dicendus erat. Ipse enim occasionem saltem ex sua imprudenti agendi ratione plebis concitationi praebuerat, neque Episcopi admonitiones, hortationes quicquam profecerunt. Non deerant itaque sufficientes causae ob quas Episcopus, qui universo dioecesis bono est praepositus, tamquam prudens remedium decretum temporariae remotionis emiserat.

Neque subsequens remotionis decretum irritum erat reputandum, quod provocatum fuit ex flagranti Titii contumacia, et protervia, qua praescriptionibus episcopalibus et S. Sedis, nulla ratione, non sine plebis scandalo, se submisit: ac denique suspensione violata in irregularitatem incidit.

His aliisque propositis definienda supererant.

DUBIA

I. « An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu ».

II. « An et quomodo sit locus depositioni Sacerdotis (Titii) a paroecia « in casu ».

III. « An et quomodo sit locus absolutioni a censuris et dispensationi « ab irregularitate in casu ».

Resolutio. — S. Congregatio in examen revocata causa die 12 Augusti 1865 respondere censuit:

Ad I. *in decisis, et amplius.*

Ad II. *esse locum deputationi administrationis paroeciae in spiritualibus et temporalibus, assignata favore Sacerdotis (Titii) donec aliter de beneficio ecclesiastico provideatur pensione libellarum 400.*

Ad III. *peractis per decem dies spiritualibus exercitiis in aliqua domo religiosa ab Episcopo designanda, esse locum absolutioni a censuris, et dispensationi ab irregularitate.*

Ex his colliges:

I. Cum agitur de Parocho non amovibili, qui ad normam ss. Canonum paroeciae est praepositus, posse a paroecia eumdem amoveri per privationem, vel per simplicem oeconomicam remotionem, quae vel perpetua esse potest, vel ad tempus.

II. Paroeciae privationem fieri non posse nisi constet de culpis omnino gravibus, quibus ex iure gravissima haec privationis poena infligitur, iudiciali ordine apprime servato, qui in his causis praescribitur.

III. Oeconomicam remotionem ex duplici causa fieri, ex imperitia nempe et inidoneitate Parochi ad paroeciam ut par est regendam, vel ex gravi odio et aversione plebis, quibus extantibus, Parochus paroeciae suae consulere non possit.

V. In temporanea oeconomica remotione Parochi, esse paroeciae succurrendum per administratorem, seu idoneum Vicarium qui vices Parochi suppleat, aequa portione reddituum adsignata.

VI. Decreta oeconomica perpetuaque remotione, succurrendum esse Parocho assignatione alterius beneficii.

VII. In praesenti casu intervenisse gravem parochianorum aversionem, et relativam saltem Parochi inidoneitatem ad praesentem paroeciam regendam.

VIII. Colliges insuper non esse confundenda Episcopi decreta inhibitoria cum decretis formalis suspensionis (1).

(1) Ex ephemeride *Acta S. Sedis, Vol. II, p. 276.*

Allegatum II.

PAROCHIALIS.

Die 22 Decembris 1860. *Sess. 21 c. 6 De reform.*

Compendium facti. Crebro repetitis querelis nomine communitatis A. ad Curiam episcopalem adversus loci Parochum N., summaria inquisitio in eumdem instituta fuit, ex qua sequentia imputationum capita satis comprobari curiae visa sunt, nempe 1, nimius, et durus rigor Parochi N. in castigandis pueris per verberationes, et adultis per implorationem politiae saecularis. 2. Indomita ludi et conversationis passio, quae ipsum frequenter a sua paroecia abesse, et in vicina oppida excurrere cogeret; unde non raro serotinis horis, media nocte, imo summo mane domum revertebatur. 3. Notabiles negligentiae in officio pastorali, ac in administratione sacramentorum, ex causa praesertim seri reditus ex locis peregrinis. 4. Notabiles distractiones in publicis divini officii functionibus non sine populi admiratione. 5. Culpabilis neglectus in assistendo moribundis, quorum nonnulli ipsius culpa sine sacramentis decesserunt. 6. Demum gravis aversio, et abalienatio parochianorum exinde derivans, ita ut ipso Parocho celebrante divina officia, parochiani ecclesiam vitarent, sacramenta recusarent, et passim maxima frequentia vicinas ecclesias peterent.

Hinc suadente publicae utilitatis ratione et pro bono pacis, sententia a Curia lata fuit, qua per modum provisionis administrativae et temporariae, Cooperator datus est Parocho N., eiusdem Parochi sumptibus, donec huiusce provisionis causam cessare constaret. Quae quidem provisio post mensem temperata est ita, ut permissum et praeceptum fuerit Parocho, et Cooperatori in omnibus cultus divini functionibus alternare vices, salvo tamen arbitrio parochianorum Cooperatorem adeundi, in sacramentorum administratione, et infirmorum adsistentia.

At Parochus ad Curiam metropolitanam appellans, sui favore sententiam, quae sequitur, a Iudice huius Curiae obtinuit, videlicet: sententiam poenalem contra Parochum N., tamquam aequum poenae modum exce-

dentem, non sustineri; ideoque Coeperatorem ipsi datum revocandum; Parochum vero appellantem propter culpabiles negligentias in munere parochiali esse severe coarguendum. Praeterea, iudicii expensas et stipendium dati Coadiutoris, a Parocho ferenda esse.

Vicissim ab hac sententia episcopalis Curia ad Apostolicam Sedem appellavit. Pendente autem appellatione, cum dissidia inter Parochum N. et parochianos augeri in dies non sine spirituali horum damno intelligeret Episcopus, ope alterius sententiae, Parochum ipsum ad permutandum intra trimestre parochiale suum beneficium cum alio damnavit, eumque interim ab omni exercitio iurisdictionis et ordinis, excepta Missa privata, suspendit. Itaque contra hanc sententiam iterum appellavit Parochus ad metropolitanam Sedem, quae tamen ob pendentiam litis penes Apostolicam Sedem, suam incompetentiam declaravit. Exinde Parochus ad S. Sedem suam etiam appellationem deduxit. Quae autem utrinque disputata sint in sequenti disceptatione per summa capita reperies.

DISCEPTATIO SYNOPTICA.

Ea quae favore Parochi adducta sunt. — Curia metropolitana in ferenda sententia iudicio Curiae episcopalis adversa, perpenderat, inquisitionem institutam super Parochi accusationibus deficientem et mancam fuisse. Investigatum enim non fuerat quam ob causam, quove animo accusatores Parocho oppeterent: an scilicet personali odio et vindictae forsan cupidine abrepti, vel potius desiderio occurrendi publicae paroeciae malis, quae Parocho imputabantur. Eo vel magis quod cum a decem annis Parochus N. eam regeret paroeciam, accusationum capita ad ultimos annos non referebantur, ita ut expiscata et conquisita ea facta esse viderentur, quae lapsu temporis obliterata manebant. Quare ratio agendi Parochi in primis ad trutinam revocari debuisset, et si culpa vacuus repertus ipse non esset, locus fiebat admonitionibus, ut ad sanam frugem rediret.

Accedit, non omnia accusationum capita Parocho communicata fuisse ut sese defendere posset.

Insuper eadem metropolitana Curia singulas accusationes perpendens, observabat probari quidem, Parochum nimiam aliquando adhibuisse severitatem in adolescentes, et quandoque, praecipitanter in hac re se gessisse; at eosdem iuratos testes deposuisse, non cuncta esse veritati consona: distractiones autem minori etiam pretio habendas esse, quae ad

duos casus, tempore iamdiu praeterito referebantur. Circa accusationes ludi ad plures noctis horas protracti, id raro accidisse testes affirmabant, et quando imbrium vis impedimento reditui foret.

Demum, minoribus imputationibus omissis, eadem Curia circa negligentiam in Sacramentorum administratione perpendebat, sex tantum numerari huius negligentiae casus in toto decennio curae parochialis; attamen de eorum nonnullis Parochus auditus non fuerat; circa caeteros vero, vel excludebantur circumstantiae ludi et absentiae a Parochia, vel deprehendebantur falsa seu exaggerata accusatio, vel alia concurrebant adiuncta, quae Parochi negligentiam, si non omnino excusarent, saltem non adeo criminosam reddebant prout ex adverso contendebatur.

Caeterum, quamvis ob indicata rationum momenta gravis nimis existimata fuerit poena inflicta Parocho N., ratione nempe expensarum pro alendo Coadiutore, praesertim autem ob dedecus eidem obventurum; nihilominus eadem Curia monendum serio Parochum esse censebat, ob immoderatam ludi et conversationis passionem, ob eiusdem commemorationes extra fines Porochiae, usque ad serotinas noctis horas, distractiones, et neglectum in obeundis sacris actionibus, anxietatem in conservanda sanitate et vita in casibus, in quibus pastor bonus vitam etiam pro ovibus dare debeat, ob vehementiam denique in castigandis pueris et adultis.

Parochus praeterea sese apud Sedem Apostolicam defendebat ab altera lata sententia, qua permutatio beneficii decernebatur, hanc pariter sententiam non sustineri contendebat, non solum quia iisdem rationibus ac prima sententia inniti dicebat; sed etiam quia lata fuit pendente penes Apostolicam Sedem appellatione, quo in casu sine vitio attentati, nihil innovari potuerat.

Ea quae deducebat Curia Episcopalis in sui defensionem. — Pro defensione prioris sententiae adducebat Curia caput 5. *De rerum permutatione*, in quo legitur: « Si Episcopus causam perspexit necessariam, « licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uni loco « minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere ». Quo textu freti Doctores sentiunt, integrum esse Episcopo cogere Clericum ad permutandum cum alio beneficium, quatenus urgens causa publicae utilitatis id exigat, licet sine Beneficiati culpa id eveniat: ex. gr. si gravis exurgat eversio, et odium populi adversus Parochum, ita ut eius verba nullum amplius fructum afferant, populus divina contemnat, et scandala oriantur. Namque bonum publicum debet praeferri privato, ceu inter alios docet

Reiffenst. *ad cit. tit. n. 38 et 39.* Nihilominus subiungebatur, mitius cum Parocho in praesenti casu actum fuisse. Additus enim eidem fuerat Cooperator dumtaxat, iuxta monitum citati Reiffenst. *ibidem n. 40,* et quidem ad tempus, permissa insuper inter Parochum et Cooperatorem alternativa in sacris explendis functionibus. Constitit enim ipsi soli animarum curam relinqui non posse, in quem scilicet gravis populi aversio concitata fuerat.

Circa sententiam autem Iudicis metropolitani eadem episcopalis Curia animadvertebat, dictam sententiam falso supposito laborare: namque in ea falso supponitur institutam fuisse inquisitionem, ut Parochus poena plecteretur culpae proportionata. Non aliud siquidem actum fuerat, quam ut decerneretur, quo remedio, rebus in ea parochia funesto dissidio conturbatis, per modum provisionis administrativae occurrendum esset. In eadem insuper sententia falso supponi dicebatur ad eiusmodi provisionem deveniri ex iure non posse, nisi antea constaret solius Parochi culpa, ea contigisse mala, quibus remedium erat afferendum: quod non convenit cum iis, quae ad consulendum ecclesiasticae administrationi cauta in iure sunt. Quin imo Innocentius III *cap. 10 de Renunt.* ait: « Propter malitiam « autem plebis cogitur interdum Praelatus ab ipsius regimine declinare, « quando plebs adeo durae cervicis existit, et in rebellione sua ita per- « tinax invenitur, ut proficere nequeat apud ipsum, sed propter eius duri- « tiem, quo magis satagit, eo magis iusto iudicio deficere permittatur ». Haec quidem sancita extant circa Parochum omnino insontem, quae maiorem vim habere dicenda sunt, si Parochus in pertinaci odio plebis omnino insons non reperiatur. Plures autem culpas recognovit ac enumerat ipse metropolitanus Iudex, quamvis caeteras nimia facilitate excusare visus fuerit.

Ad defectus quod attinet in peracto summario processu inventos observabatur iuxta Reiffenstuel *l. 5 tit. 1* §. *4 n. 209.* Engel *ius can. eodem loc.* publicationem testium reo fieri non debere si ipsis exinde grave immineret periculum vel incommodum; quod insuper ex praxi eiusdem dioecesis servari solere dicebatur.

Caeterum si omissiones quae processus substantiam tangerent, irrepsissent, non ideo absolvi reus, sed processus suppleri debuisset, ne culpa iudicis in detrimentum christianae reipublicae cederet.

Gradum praeterea faciens episcopalis Curia ad defensionem alterius sententiae qua decreta est, per modum provisionis, beneficii parochialis permutatio, ea innitebatur pariter causis dissidii et aversionis in dies auctis ob eiusdem Parochi arrogantiam.

Quibus *ex officio* nonnullae Resolutiones S. C. C. addebantur, quae similes causas respiciebant, et sunt sequentes. In *Taurinen. Suspensionis die 7 Iulii 1855* Archiepiscopus curae animarum exercitium interdixerat cuidam Parocho, quod prudentiae legibus et animarum solicitudine neglectis, ac spretis monitionibus, adeo difficili suo ingenio indulgeret, ut subditorum existimationem ac fidem omnino amisisset. Facultate proinde usus fuerat Archiepiscopus, quam facit Concilium Tridentinum Ordinariis *in sess. 21 c. 6 de Refor.* ut scilicet possint Parochis imperitis et sacris officiis minus aptis, si alias honestae vitae sint, coadiutores, seu vicarios ad tempus deputare. Et licet ex adverso plures obiicerentur defectus ob non servatum iudicialem ordinem, ob omissam trinam canonicam monitionem, et citationes, ac licet imputationum vel veritas vel gravitas in discrimen revocaretur, attamen ad dubium: « An decretum Curiae archie« piscopalis sit confirmandum vel infirmandum in casu: » responsum prodiit, quo archiepiscopalis sententia confirmata est hisce verbis: *affirmative ad primam partem; negative ad secundam; et quoad redintegrationem dilata, usquedum Orator doceat de peritia et idoneitate administrandi paroeciam.*

Pariter in *Eystetten. Permutationis Parochiae 21 Iulii, 11 Augusti, et 22 Septembris 1742*, cum plures adversus Parochum cuiusdam loci delatae essent ad Curiam episcopalem querelae, non solum ob inhonestam eius vitam, verum etiam ob neglectum pastoris officium, in ministrandis Sacramentis, visitandis aegrotis etc. et de nimia quadam saevitia in pueris castigandis, aliisque huiusmodi, unde omnium animi ita exacerbati erant, ut ab eo Sacramenta recipere, divinisque rebus interesse recusarent; Episcopus prius Coadiutorem ei deputavit; deinde cum huiusmodi provisionem inutilem evasisse intelligeret, ad avertenda mala, quae ex odio, et simultatibus adversus Parochum concitatis, graviora in dies effici videbantur, decrevit, ut intra quadrimestre tempus de permutanda paroecia Parochus ipse sibi consuleret, ne purmutatio fieret ex officio.

Deveniente causa per appellationem ad S. C. C., Procurator fiscalis instabat, ut confirmaretur sententia, inter alia rationum momenta, haec perpendenda proponens, quod scilicet ex peculiari more cum Eystettensis dioecesis, tum aliarum Germaniae partium integrum semper Episcopis fuerit, Rectores parochialium ecclesiarum, iusta aliqua suadente causa, ab uno loco amovere, atque ad alium transferre, eosque ad Beneficii permutationem etiam invitos cogere: quod per faciliorem remotionem non bene moratorum Parochorum citius eliminabantur scandala, ac surripiebatur

heterodoxis obloquendi occasio de Religione catholica, quod non posset aeque obtineri, si mos iste hactenus servatus vellet in posterum interverti. Addebat insuper id ex iuris praescripto etiam fieri ut innocens Parochus cogi possit ad beneficium permutandum si aliter bono pacis et spirituali ovium suarum periculo consuli nequaquam possit, *ex Cap. Nisi cum pridem de renunc.*, Glossa *ibidem*, Innocent. in *cap. 8 de elect. et in cap. Tua nos. n. 5 de Cleric. aegrot. num. 5* Federic. de Sen. *de permut. benef. num. 40* Paris. *de resign. l. 5 cap. 3 num. 176*, aliique.

Hinc proposito dubio: « an iudicatum Curiae episcopalis Eystettensis « sustineatur in casu ». S. C. 11 Augusti respondit - *affirmative* - et die 21 Septembris stetit *in decisis* addita clausula. - *ita tamen ut permutatio per Episcopum fiat cum beneficio redditus aequivalentis.* -

Altera demum consentanea Resolutio adducebatur, quae emissa est in causa *Limburgen. Permutationis Paroeciae* die 27 Iulii et 19 Decembris 1857 contra quemdam Parochum, qui primum ad permutandam paroeciam decreto episcopali cogebatur; deinde in contumacia eo permanente, amotus ab eadem, censuris multatus fuerat. Decretum autem illud causis gravis odii, et aversionis innitebatur, quae adversus eum excitata in populo fuerat ob acre eiusdem ingenium ac imprudentem agendi rationem, a qua licet monitus, numquam destiterat. Plura utrinque disputata in ea causa fuerunt, tum circa formam processus, tum circa expositorum veritatem: attamen ad dubia: I. « An sustineatur Decretum amotionis latum a Curia « episcopali Limburgensi in casu ». II. « An sint infirmandae poenae cano« nicae inflictae in casu », responsum fuit: ad I. *affirmative*. Ad II. *Scribatur Episcopo ut Sacerdotem* (N.) *a censuris absolvat ac rehabilitet, eumque provideat de alia paroecia seu beneficio redditus aequivalentis.*

Hisce itaque *ex officio* expositis perpendendum in praesenti nostro casu erat, num revera occurrerent eiusmodi rerum adiuncta, ut necesse omnino fuerit hisce extraordinariis uti remediis, quae ob bonum publicum ad maiora mala, et scandala praevertenda, iura permittunt. Quare propositum est

DUBIUM

« An Sententiae Curiae episcopalis... sustineantur in casu ».

Responsio. Sacra Congregatio Concilii die 22 Decembris 1860 respondere censuit: *attentis peculiaribus circumstantiis esse locum permutationi cum altero beneficio redditus fere aequivalentis infra sex menses.*

Ex iis colliges:

I. Distingui debere paroeciae privationem quae habeat rationem poenae, a simplici oeconomica remotione, quae fit sive ad tempus, sive in perpetuum.

II. Paroeciae privationem fieri non posse, nisi constet de culpis omnino gravibus, quibus ex iure gravissima haec privationis poena infligitur, iudiciali ordine servato, qui in his causis praescribitur.

III. Oeconomicam autem remotionem ex duplici causa fieri, ex imperitia nempe et inidoneitate Parochi ad paroeciam uti par est regendam, vel ex gravi odio et aversione plebis, quibus extantibus, Parochus paroeciae suae consulere amplius non possit.

IV. In praesenti autem casu locum habuisse oeconomicam hanc remotionem variis concurrentibus causis, inter quas ultima non erat ratio agendi Parochi, qui gravi sua negligentia plebis aversioni causam dederat, eamque sua arrogantia auxerat (1).

(1) Ex ephemeride *Acta S. Sedis Vol. I, p. 513.*

Allegatum III.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si umquam alias, maxime est necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus omnis fere doctrina, quam Servator hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi; sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda: ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli viderunt pro-

xima originibus tempora: similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, iussa Episcoporum, Conciliorum decreta, omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint Romani Pontifices, ne haereticorum scripta, malo publico, serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I Pelagii, Leo magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere. Cognitae eadem de re sunt litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. Similiter decursu aetatum, Monothelitarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wicleffi et Hussii pestilentes libros sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimoquinto, comperta arte nova libraria, non modo in prava scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua causa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicae per illud tempus postulabat; propterea quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in istrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X, decessores Nostri certas tulere leges, utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haereseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, posteaque Clemens VII gravissime sanxerunt, ne cui legere, neu retinere Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videbatur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post Tridentinae Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praesules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas; quibus Regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit.

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem Romani Pontifices, nominatimque Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV gnari temporum et memores prudentiae plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quae res praeclare confirmant, praecipuas Romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quamdiu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones, quae excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. Praeterea, propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderent, atque aestimarent Regulas indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur.* Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium ut *Regulae Indicis.... recenti revisioni et redactioni submittantur.* Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant; inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant

leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum: ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatae lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur; quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e Sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt; quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae Synodi iussu editis, *Observationibus*, *Instructione*, *Decretis*, *Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

DECRETA GENERALIA
De Prohibitione et Censura Librorum.

TITULUS I.
De Prohibitione Librorum.

Caput I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes, quos ante annum MDC. aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in Novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item proibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

Caput II.

De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

Caput III.

De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra statuta sunt.

Caput IV.

De Libris Obscenis.

9. Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii et magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

Caput V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros erede, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones, docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

Caput VI.

De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

Caput VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in Sacra Aede Lauretana decantari solent et Litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

CAPUT VIII.

De Diariis, foliis et libellis periodicis.

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

CAPUT IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema S. Officii Congregatio tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico Indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

Caput X.

De denunciatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quos liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II.

De Censura Librorum.

Caput I.

De Praelatis librorum censurae praepositis.

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere; quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius Sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae, publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum; hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta Sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarum loci in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

Caput II.

De Censorum officio in praevio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant; Ecclesiae Sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

Caput III.

De libris praeviae censurae subiiciendis.

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui Divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve

huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e Clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis, publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

Caput IV.

De Typographis et Editoribus librorum.

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu. iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum, novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: coeteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

Caput V.

De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros,

vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, VIII Kalendas Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. Card. MACCHI

A. Panici, Subdatarius.

Allegatum IV.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sollicita ac provida Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut christifideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus ac doctrinis, quae vel morum integritati, vel catholicae religionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus sancti Gelasii I decretum, queaque iam pridem a Gregorio IX aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt; ignorare neminem arbitramur, quae fuerint a praedecessoribus nostris Pio IV, sancto Pio V, et Clemente VIII diligentissime praestita, ut saluberrimum opus a sacrosanctae Tridentinae synodi patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitae lectionis librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis ac regulis communirent. Quod quidem negocium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet; ad id deputatis duabus sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, et quibus proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem romanae universalis Inquisitionis a Paulo IV commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus iudicandum occurrit. Certum est autem, sanctum Pium V primum fuisse Congregationis Indicis institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII, Sistus V., et Clemens VIII confirmarunt variisque privilegiis et facultatibus auxerunt: eiusque proprium ac fere unicum ufficium est in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

§ 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione univer-

salis Inquisitionis de proscribendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos ipsi plane pespectum, ac diuturna experientia compertum habemus; nam in minoribus constituti, de libris nonnullis in ea censuram tulimus, et consultoris eiusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus; postremo inter sanctae romanae Ecclesiae Cardinales cooptati, Inquisitoris generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti, non modo censorum animadversiones in libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quae singulis feriis quintis coram nobis habentur, Cardinalium sententias atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decernatur, audire, et excipere consuevimus. Haud minoris diligentiae testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi censoris, seu relatoris officium in ea Congregatione non semel obivimus; ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri proscriptionem rata habuimus, nisi audito Congregationis secretario, qui libri materiam, revisorum censuras, Cardinalium iudicia, et suffragia accurate nobis exponeret.

§ 2. Sed quoniam compertum est nobis, atque exploratum multas librorum proscriptiones, praesertim quorum auctores catholici sunt, publicis aliquando iniustisque querelis in reprehensionem adduci, tamquam si temere, ac perfunctorie in tribunalibus nostris ea res ageretur; operae pretium duximus, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, certas firmasque regulas proponere, iuxta quas deinceps librorum examen iudiciumque peragatur; tametsi plane affirmari possit, idipsum iampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia aequipollenti, constanter actum fuisse.

§ 3. Porro romanae universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat sanctae romanae Ecclesiae Cardinalibus a summo Pontifice delectis, quorum alii sacrae theologiae, alii canonici iuris doctrina, alii ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque romanae curiae exercitatione, prudentiae demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adiugitur unus ex romanae curiae praesulibus, quem Assessorem vocant, unus etiam ex Ordine praedicatorum sacrae theologiae magister, quem Commissarium appellant; certus praeterea consultorum numerus, qui ex utroque clero saeculari, ac regulari assumuntur; alii demum praestantes doctrina viri, qui a Congregatione iussi, de libris censuram instaurant, iisque qualificatorum nomen tributum est. De variis in praefata Congregatione, iisque

gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei, ac de personis violatae religionis reis. At cum librum aliquem ad eam, tamquam proscriptione dignum, deferri contigerit; nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, iudicandum remittat, sed pro rerum temporumque ratione, sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; nos, inhaerentes decreto lato ab eadem Congregatione feria quarta kalendis Iulii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione, et methodo iudicium institui mandamus.

§ 4. Primo nimirum uni ex qualificatoribus, aut consultoribus a Congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis indicatis, et paginis, in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus revisoris ad singulos consultores mittatur, qui in congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in aedibus sancti Officii, de libro, et censura sententiam dicant: ipsa deinde censura, cum libro, et consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittantur, ut hi in congregatione, quae feria quarta haberi solet in fratrum praedicatorum coenobio sanctae Mariae supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuncient. Post ab Assessore sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur, cuius arbitrio iudicium omne absolvetur.

§ 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut auctoris catholici liber non unius tantum relatoris perspecta censura illico proscribatur; ad normam praefati decreti mensis Iulii anni millesimi septigentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus censor librum proscribendum esse iudicet, quamvis consultores in eamdem sententiam conveniant, nihilominus alteri revisori ab eadem Congregatione electo liber, et censura tradantur, suppresso primi censoris nomine, quo alter iudicium suum liberius exponat. Si autem secundus revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de libro decernant; at si secundus a primo dissentiat, ac librum dimittendum existimet, tertius eligatur censor, cui, suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Huius autem relatio, si a priore cousultorum sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant. Sin minus, iterum consultores, perspecta tertia censura suffragium ferant; idque una cum omnibus praefatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui re ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel quia

id auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, libri iudicium coram se ipso in congregatione feriae quintae habendum decreverit, quod saepe a nobis factum fuit, et quoties ita expedire iudicavimus, in posterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici et Cardinalibus libri censuras, et consultorum suffragia, omisso examine congregationis feriae quartae, eiusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus: nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque huius definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

§ 6. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus praeditos, quibus sancti Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus eiusdem Congregationis Praefectus existit; Assistens vero perpetuus est Magister sacri palatii; Secretarius autem a prima Congregationis institutione usque in praesentem diem, ex Ordine fratrum praedicatorum a summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt praeterea ex utroque clero saeculari, et regulari eiusdem Congregationis consultores, et relatores selecti; et quidem, ubi aliquis librorum relationes coram congregatione semel, bis, tertio laudabiliter peregerit, tum ipsa congregatio Pontificem rogare solet, ut eius auctoritate in consultorum numerum referatur.

§ 7. Sub ipsa Pontificatus nostri primordia, ea nos subiit cogitatio, ut certam aliquam et immutabilem methodum pro examine iudicioque librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti filii nostri Angeli Mariae sanctae romanae Ecclesiae Cardinalis Quirini nuncupati, eiusdem sanctae romanae Ecclesiae Bibliothecarii, et dictae Congregationis Praefecti, qui pari prudentia et doctrina suum nobis sensum scripto declaravit, verum etiam antiquiores aliquot eiusdem Congregationis consultores coram dilecto filio Iosepho Augustino Orsi, Ordinis praedicatorum, tunc ipsius Congregationis secretario, nunc autem palatii apostolici Magistro, convenire iussimus, suamque sententiam, aperire quae pariter scripto concepta, nobis iam tunc exhibita fuit. Cumque haec omnia diligenter apud nos asservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem nostram resumentes, quemadmodum ea, quae ad librorum examen atque iudicium in primodicta Congregatione sancti Officii peragendum, pertinet, auctoritate nostra constabilivimus; ita etiam ea quae ad Congregationem Indicis, et eiusdem generis negocia apud eam tractanda facere possunt, opportunis decretis constituere volen-

tes, praelaudati Cardinalis Praefecti consiliis, dictorumque consultorum votis inhaerendo, haec deinceps servanda decernimus.

§ 8. Cum Congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera sancti Officii Congregatio, quae ob causarum et negociorum multitudinem singulis hebdomadis ter haberi consuevit, illius propterea secretario peculiare munus et officium recipiendi librorum denunciationes, ut fieri iam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a libri delatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet, tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositae accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis consultoribus, ab ipso praevia summi Pontificis, aut Cardinalis Praefecti, vel eius qui Praefecti vices supplet, approbatione eligendis: quorum collato consilio, si liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo iudicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas adnotatis paginis quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam eius censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam consultorum congregationem, quam olim *Parvam* dixerunt, nos autem *Praeparatoriam* vocabimus, ut relatoris animadversionibus ad librum collatis, de earum pondere iudicium fiat. Huiusmodi congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam saepius, si oportuerit, ab ipso Congregationis secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra praedicti coenobii aedes, ubi is commoratur. Eique semper intererit magister sacri palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti, et materiae, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus consultoribus, et de relatore constitutum est a secretario eligendis; praeter secretarium ipsum, cuius partes erunt in tabulas referre consultorum sententias, quas deinde ad congregationem Cardinalium mittet, cum relatoris censura. In generali demum congregatione omnia illa servari debebunt, quae superius statuta sunt pro congregatione sancti Officii circa librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem sancti Officii pertinet de actis in Congregatione summum Pontificem certum reddere; ita ad secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties haec librum aliquem proscribendum aut emendandum censuerit, eiusdem Pontificis assensum, praevia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

§ 9. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola librorum prohi-

bitione agitur, nonnulla hoc loco adiungenda iudicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quae tamen ab altera etiam Congregatione sancti Officii, dum in huius quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiae se offerant, aeque observanda erunt. Quotiescumque agatur de libro auctoris catholici, qui sit integrae famae, et clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat; prae oculis habeatur usu iamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adiecta clausula: *donec corrigatur,* seu *donec expurgetur,* si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quominus in casu de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adiecta, non statim edatur decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum auctore, vel quovis altero pro eo agente, et rogante communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit, indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, iniunctam corretionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur. Si vero idem auctor, eiusque procurator, Congregationis iussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus ac mutationibus, tunc supprimatur proscriptionis decretum; nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primae editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundae vero iam emendatae permissa.

§ 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod librorum iudicia, et proscriptiones, inauditis auctoribus fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso. Huic autem querelae responsum fuisse novimus, nihil opus esse auctores in iudicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis aut condemnandis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod ex nocua librorum lectione facile incurritur; si qua vero ignominiae labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus huiusmodi librorum prohibitiones, inauditis auctoribus factas; quum praesertim credendum sit, quidquid pro seipso, aut pro doctrinae suae defensione potuisset auctor afferre, id minime a censoribus atque indicibus ignoratum neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus, quod saepe alias, summa aequitatis et prudentiae ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de auctore catholico, aliqua nominis et meritorum fama illustri, eiusque opus, demptis demendis, in publicum

prodesse posse discognatur, vel auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex consultoribus designet, qui *ex officio* operis patrocinium defensionemque suscipiat.

§ 11. Quemadmodum vero ubi de Congregatione sancti Officii agebamus, eidem nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de libro, cuius materia gravioris momenti sit, iudicium agatur; quod erit nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet feria quinta coram nobis habeatur, sic et Indicis Congregationi praesentiam nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel haeretici hominis liber denunciatur, in quo auctor errores catholico dogmati adversantes consulto tradit aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur, quo rectae morum regulae labefactantur, ac vitiis et corruptelis fomenta praebentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed haeretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis decretum illico sanciendum erit, iuxta primam, secundam et septimam Indicis Regulas sacrosancti Tridentini concilii iussu editas atque vulgatas.

§ 12. Cum in praelaudata Congregatione sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus eiusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; nos hanc eamdem silentii legem a relatoribus, consultoribus et Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam praecipimus. Illius tamen secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censurae subiectos, eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus et postulantibus, sub eadem decreti lege communicare queat; suppressis semper denunciatoris censorisque nominibus.

§ 13. Examinandis corrigendisque libris peropportuna sunt, quae decem Regulis Indicis a patribus Tridentinae synodi confectis atque editis continentur. In instructione autem felicis recordationis Clementis Papae VIII, eisdem Regulis adiecta, *Tit. de correctione librorum* § V., Episcopis et Inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendorum examen *spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.* His porro virtutibus animique dotibus, si non maiori, at pari certe de causa, praestare oportet huius nostrae Congregationis revisores et consultores. Cumque eos omnes, qui nunc huiusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum sperandumque est, non

absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitae integros, probatae doctrinae, maturo iudicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui aequitatem libertatemque iudicandi, cum prudentia et veritatis zelo coniungant. Cum autem eorum numerus nunc certus et constitutus non sit, ab eiusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat vel expediat: hoc tamen iam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam relatores, quam consultores, ex utroque clero, saeculari nempe et regulari assumantur, alii quidem theologi, alii utriusque iuris periti, alii sacra et prophana eruditione praestantes, ut ex eorum coetu, pro varietatem librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque iudicium.

§ 14. Ipsos autem relatores consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus ac vehementer hortamur, ut in examine iudicioque librorum, sequentes regulas diligenter inspiciant accurateque custodiant.

§ 15. - I. Meminerint, non id sibi muneris onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent atque urgeant; sed ut diligenti studio ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus rectum iudicium de illo ferre, eiusque proscriptionem, emendationem aut dimissionem pro merito decernere valeat.

§ 16. - II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum et consulendum in praedicta Congregatione, ii solum admittantur, qui scentiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices iudicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a censore aut consultore electo, ex ipsa libri lectione deprehendatur; noverit is, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congregationi, aut secretario aperiat, seque ad ferendam de huiusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet: quo tantum abest, ut existimationis suae dispendium apud Pontificem, et Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis et candoris opinionem et laudem sibi sit conciliaturus.

§ 17. - III. De variis opinionibus atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse sciant.

Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant; studia partium seponant; Ecclesiae sanctae dogmata et communem catholicorum doctrinam, quae conciliorum generalium decretis, romanorum Pontificum Constitutionibus, et orthodoxorum patrum atque doctorum consensu continetur, unice prae oculis habeant; hoc de caetero cogitantes, non paucas esse opiniones, quae uni scholae, instituto, aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo fidei aut religionis detrimento, ab aliis catholicis viris reiiciuntur, atque impugnantur oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica Sede, quae unamquamque opinionem huiusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

§ 18. - IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum iudicium de vero auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quaeque diversis in locis posita et collocata sunt, inter se comparentur; universum praeterea auctoris consilium et institutum attente dispiciatur; neque vero ex una vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quae in eodem libro continentur, considerata et expensa, de eo pronunciandum esse: saepe enim accidit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfunctorie, aut subobscure traditum est, ita alio in loco distincte, copiose ac dilucide explicetur, ut offusae priori sententiae tenebrae, quibus involuta pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propostio dignoscatur.

§ 19. Quod si ambigua quaedam exciderint auctori, qui alioquin catholicus sit, integra religionis doctrinaeque fama, aequitas ipsa postulare videtur, ut eius dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

§ 20. Has porro similesque regulas quae apud optimos scriptores de his agentes facile occurrent, semper animo propositas habeant censores et consultores; quo valeant, in hoc gravissimo iudicii genere, conscientiae suae, auctorum famae, Ecclesiae bono et fidelium utilitati consulere. Duo autem reliqua sunt in eum finem plane opportuna, quae hoc loco adiungenda omnino esse iudicamus.

§ 21. Prodeunt aliquando libri, in quibus falsa et reprobata dogmata, aut systemata, religioni vel moribus exitiosa, tamquam aliorum inventa et cogitata, exponuntur et referuntur, absque eo quod auctor, qui opus suum pravis huiusmodi mercibus onerare sategit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni, aut censurae obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut aiunt, opinionibus nihil ipsi affirment,

sed historice agant. At quidquid sit de eorum animo, et consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in tribunalibus ad coercenda crimina institutis ius dicunt; dubitari certe non potest, magnam eiusmodi libris in christianam rempublicam labem ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena propinent, nullo exhibito vel parato, quo praeserventur, antidoto. Subtilissimum hoc humanae malitiae inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam diligentissime revisores advertant, ac censurae subiiciant; ut vel huiusmodi libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendentur, vel in vetitorum Indicem omnino referantur.

§ 22. In ea, quam superius laudavimus, praedecessoris nostri Clementis Papae VII Istructione, *de correct. lib.* § 2. sapientissime cautum legitur, ut *quae famae proximorum, et praesertim ecclesiasticorum, et principum, detrahunt, bonisque moribus et christianae disciplinae sunt contraria, expungantur.* Et paulo post: *facetiae etiam, aut dicteria, in perniciem aut praeiudicium famae et existimationis aliorum iactata, repudientur.* Utinam vero in aspectum lucemque hominum libri eiusmodi in hac temporum licentia et pravitate non efferrentur, in quibus dissidentes auctores mutuis se iurgiis conviciisque proscindunt; aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt, adversarios, eorumque scholas, ac coetus sugillant, et pro ridiculis ducunt, magno equidem bonorum scandalo, haereticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes e mundo tollantur, praesertim cum librorum numerus continenter augeatur; *faciendi enim plures libros nullus est finis,* ut est apud Ecclesiasten, *cap. 12*; compertum praeterea nobis sit magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus, et christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. *Non inutiliter* (inquit Augustinus in Enchirid. cap. 59. prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire quod nesciunt.* Qui veritatis studium, et purioris doctrinae zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam evangelicae mansuetudinis et christianae charitatis rationem. Charitas autem de corde puro, patiens est, benigna est, non irritatur, non aemulatur, non agit perperam, (utque addit idem Augustinus lib. contra litteras Petiliani, cap. 29, n. 31): *sine superbia de veritate praesumit, sine saevitia pro veritate certat.* Haec magnus ille non veritatis minus, quam charitatis doctor, et scripto et opere praemonstravit.

Nam in suis adversus manichaeos, pelagianos, donatistas, aliosque tam sibi, quam Ecclesiae adversantes, assiduis conflictationibus, id semper diligentissime cavit, ne quempiam eorum iniuriis aut conviciis laederet, atque exasperaret. Qui secus scribendo vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi praecipue cordi esse, nec charitatem sectari se ostendit.

§ 23. Ii quoque non satis idoneam iustamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profitentur, erga veteres doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrantur; nam si carpere novos audeant, forte ab laedendis veteribus sibi minime temperassent, si in eorum tempora incidissent; quod praeclare animadversum est ab auctore Operis imperfecti in Matthaeum, hom. 42. — *Cum audieris*, inquit, *aliquem beatificantem antiquos doctores, proba, qualis sit circa suos doctores. Si enim illos, cum quibus vivit, sustinet, et honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset: si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, et illos contempsisset.* Quamobrem firmum ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt ac disputant, in quod graviter ac sapienter a ven. servo Dei praedecessore nostro Innocentio Papa XI praescriptum est in decreto edito die secunda Martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi noni. — *Tandem,* inquit, *ut ab iniuriosis contentionibus doctores, seu scholastici, aut alii quicumque in posterum abstineant, ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctae obedientiae eis praecipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus ac praedicationibus, caveant ab omni censura et nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter catholicos controvertuntur, donec a sancta Sede recognitae sint, et super eis iudicium proferatur.* — Cohibeatur itaque ea scriptorum licentia; qui ut aiebat Augustinus, lib. 12. Conf., cap. 25, n. 34, *sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est,* aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias veluti certa ac definita Ecclesiae dogmata, a quopiam in libris obtrudi, opposita vero erroris insimulari, quo turbae in Ecclesia excitantur, dissidia inter doctores aut seruntur aut foventur, et cristianae charitatis vincula persaepe abrumpuntur.

§ 24. Angelicus scholarum princeps, Ecclesiaeque doctor s. Thomas Aquinas, dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, varias necessario offendit philosophorum theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit. Ceteras vero tanti doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare aut tradu-

cere visus sit, sed omnes officiose ac perhumaniter demereri; nam si quid durius, ambiguum, obscurumve eorum dictis subesset, id leniter benigneque interpretando, emolliebat atque explicabat. Si autem religionis, ac fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet ac refutaret, tanta id praestabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent, ac gloriari magistro (quos magno numero esse, pro singulari nostro erga ipsum cultu studioque, gaudemus) ii sibi ad aemulandum proponant tanti doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi disputandique rationem. Ad hanc ceteri quoque se se componere studeant, qui ab eius schola doctrinaque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositae sunt. Cumque Angelicus doctor sanctorum albo adscriptus sit, qnamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen contrariam in agendo ac disputando rationem inire omnino non licet. Nimium interest publicae tranquillitatis, proximorum aedificationis et charitatis, ut e catholicorum scriptis absit livor, acerbitas atque scurrilitas, a christiana institutione ac disciplina, et ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in huiusmodi scriptorum licentiam graviter pro munere suo censuram intendant revisores librorum, eamque Congregationis Cardinalibus cognoscendam subiiciant, ut eam pro zelo suo et potestate coerceant.

§ 25. Quae hactenus a nobis proposita ac constituta sunt, praedecessorum nostrorum decretis plane consona, Congregationum quoque nostrarum legibus et consuetudinibus comprobata, in librorum examine ac iudicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: mandantes universis et singulis, qui in praefatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam praestant; ut adversus praemissa sic a nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere aut intentare praesumant, absque nostra, vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

§ 26. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam Apostolicis Constitutionibus, et ordinationibus, necnon earumdem Congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§ 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, mandatorum, statutorum, voluntatum ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prae-

sumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, aput sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septigentesimo quinquagesimo tertio, septimo Idus Iulii, Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Allegatum V.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri, Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inse-

rimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE SPECIALI MODO ROMANO PONTIFICI RESERVATAE.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae exsistant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

II. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

III. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

IV. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

VII. Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispo-

sitiones: item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.

IX. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

X. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

XI. Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes.

XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE
ROMANO PONTIFICI RESERVATAE.

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *Suprema* 7 Iulii 1745; *Ubi primum* 2 Iulii 1746; *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746.

II. Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

IV. Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

V. Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes, aut ausu temerario violantes.

VI. Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam.

VII. Mulieres violantes Regularium vivorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

VIII. Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

IX. Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

XI. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2 Ianuarii 1569.

XII. Colligentes eleemosynas maiori pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac Sede* pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam* 26 Iunii 1592 et Alexandri VII. *Inter ceteras* nono Kalendas Novembris 1660 alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

XIV. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

XV. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eiusque auxilium vel favorem praebentes.

XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE EPISCOPIS
SIVE ORDINARIIS RESERVATAE.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

I. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

II. Procurantes abortum, effectu sequuto.

III. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE NEMINI RESERVATAE.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

I. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

II. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* De Reb. Ecc. non alienandis.

IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Constit. *Universi* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum poenitentiae* 1 Iunii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Heic paulisper sistimus, ut inseramus excommunicationis poenas, quas inflixit Tridentinum Concilium cum adiectis ab eo reservationibus, atque inde prosequemur exponere Constitutionem de qua agimus. Namque ad commodum Lectorum nostrorum eas excommunicationis poenas inquirere curavimus in Tridentinis Dispositionibus ut eas possint cum ipsis textus Tridentini verbis sub oculis habere.

Et quoniam poena anathematis in Decreto Sess. IV, excipitur, eaque, quoad extensionem, coercetur, expedit quo-

que hoc Tridentinum Decretum in medium deducere, ut limitatio facta melius intelligatur. Illud autem est quod immediate sequitur.

EXCOMMUNICATIONES LATAE A CONCILIO TRIDENTINO.

Sess. 4 ex Decreto de editione et usu sacrorum librorum.

« *Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem, huiusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur* ».

DE USURPATORIBUS QUORUMCUMQUE BONORUM ECCLESIASTICORUM AUT IURIUM, QUORUM EXCOMMUNICATIO EST ROMANO PONTIFICI A CONCILIO TRIDENTINO RESERVATA.

Sess. 22 c. 11 de Refor. « *Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae seu cuiusvis saecularis vel regularis Beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive bene-*

ficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit..... Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit eisdem poenis subiaceat..... ».

EXCOMMUNICANTUR MAGISTRATUS, SI AD INSTANTIAM EPISCOPI NON PRAEBEANT AUXILIUM ADVERSUS CONTRADICTORES CLAUSURAE MONIALIUM: ITEMQUE VIOLANTES EARUM CLAUSURAM.

Sess. 15 c. 5 de Regul. « *Bonifacii VIII Constitutionem, quae incipit* Periculoso, *renovans Sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus iniungit* ».

Sess. 25 ex cap. 5 de Reg. « *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda* ».

EXCOMMUNICANTUR RAPTORES MULIERUM EORUMDEMQUE CONSOCII.

Sess. 24 ex cap. 6 de Refor. matr. « *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere censuerit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati...* ».

EXCOMMUNICANTUR QUI LIBERTATEM MATRIMONII CONTRAHENDI VIOLANT.

Sess. 24 ex cap. 9 de Ref. matr. « *Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maxime*

divites vel spem magnae haereditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare, quum maxime nefarium sit Matrimonii libertatem violare et ab eis iniurias nasci, a quibus iura expectantur, praecipit Sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant ».

EXCOMMUNICANTUR QUI COGANT MULIEREM AD INGREDIENDUM MONASTERIUM VEL IMPEDIANT.

Sess. 25 cap. 18 de Regul. « *Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes et singulas personas, cuiuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam Laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint* ».

EXCOMMUNICANTUR DUELLANTES ET RELIQUI, QUI DUELLUM QUASI HONESTUM SPECTACULUM PERMITTUNT VEL ADIUVANT, VEL ASSISTUNT.

Sess. 25 ex cap. 19 de Ref. « *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis... poenam incurrant... Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure, quam in facto dederint aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur* ».

EXCOMMUNICANTUR QUI SEQUENTES FALSAS PROPOSITIONES DOCEANT.

Sess. 13 ex can. 11 de Euchar. « *Ne tantum Sacramentum* (Eucharistiae) *indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumserit, eo ipso excommunicatus existat* ».

Sess. 24 ex cap. 1 de Ref. matr. « *Dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse* ».

Hae sunt excommunicationes quas inflixisse Tridentinum Concilium reperimus. Sequitur modo SS̅m̅i Domini Nostri Constitutio, quam referre assumpsimus.

SUSPENSIONES LATAE SENTENTIAE SUMMO PONTIFICI RESERVATAE.

I. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius

Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

IV. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

VI. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinariis ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

INTERDICTA LATAE SENTENTIAE RESERVATA.

I. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale futurum Concilium appellantia.

II. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Heic iterum paulisper sistimus inserentes Suspensiones vel Interdicta a Concilio Tridentino lata, ut has canonicas censuras Lectores sub oculis habeant; atque abstinemus in praesentia a quavis interpretatione, ut fecimus in referendis excommunicationibus ab eodem Tridentina latis.

DE SUSPENSIONIBUS VEL INTERDICTIS A CONCILIO TRIDENTINO LATIS.

SUSPENDUNTUR VEL INTERDICUNTUR QUI VARIIS MODIS VIOLANT CANONES DE SACRA ORDINATIONE.

Sess. 23 ex cap. 8 de Ref. « *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus* ».

Sess. 23 ex cap. 14 de Ref. « *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare* ».

Sess. 7 c. 10 de Ref. « *Non liceat Capitulis sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subiacet interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus, gaudeant. In maioribus vero ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure suspensi* ».

Sess. 6 c. 5 de Ref. « *Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiecta tantum. Si*

secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi ».

Sess. 23 c. 10 de Refor. « *Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre; nec ipsi Abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius Sanctae Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra huius Sanctae Synodi sub Paulo III Decretum a Capitulo episcopali sede vacante litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione Episcopi, loco Capituli sede vacante, succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab Officio et Beneficio per annum sint ipso iure suspensi* ».

Sess. 14 ex cap. 2 de Ref. « *Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis ad aliquos sacros aut minores Ordines vel primam Tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi* ».

INTERDICUNTUR EPISCOPI, QUI NON DENUNCIANT EPISCOPOS ILLEGITIME ABSENTES.

Sess. 6 ex cap. 1 de Refor. « *Crescente vero contumacia* (Episcopi absentis ultra secundum semestre tempus) *ut severiori ss. canonum censurae subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub*

poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur ».

Sess. 25 ex cap. 14 de Ref. « *Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine* (concubinatus) *non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverit, ipso facto sint suspensi* ».

HACTENUS DE SUSPENSIONIBUS
VEL INTERDICTIS A SYNODO TRIDENTINA INFLICTIS.

Addendae sunt nonnullae censurae *l. s.* editae post Const. *Ap. Sedis.*

Ex Const. *Romanus Pontifex* data a Pio IX die 28 Aug. 1873 editae sunt censurae *l. s.* in concedentes et suscipientes regimen Ecclasiarium Cathedralium ante exhibitionem litterarum Apostolicarum.

Ex decreto S. Officii diei *4 Decemb. 1872* declaratum fuit vigere excommunicationem adversus ecclesiasticos et missionarios exercentes mercaturam in Indiis Orientalibus.

S. Poenitentiaria, probante Pio IX *4 Aug. 1876* edidit excomm. sp. modo P. reservatam adversus dantes nomen et faventes « *societati catholicae pro vindicatione iurium populi christiani et in primis romani* », in electione Romani Pontificis.

Ex Const. *Orientalium dignitas* edita a Leone XIII *die 30 Nov. 1894* « *Missionarius quilibet latinus e clero saeculari vel regulari qui orientalem quempiam ad latinum ritum consilio auxiliove inducat praeter suspensionem a divinis quam ipso facto incurret* ceterasque *poenas per Const.* Demandatam *Bened. XIV, officio suo privetur et excludatur* ».

Ex decreto S. Cong. Concilii *Vigilanti studio diei 25 maii 1893* lata est excommunicatio l. s. in *laicos* et *suspensio* in *clericos* qui ad *ephemerides, libros, aliasque merces facilius cum clero commutanda, missarum eleemosynis utebantur.*

Ex decreto S. Cong. Concilii *diei 22 Decemb. 1894* clerici et sacerdotes saeculares alienae dioecesis aut etiam regulares, extra claustra degentes, non possunt Romae domicilium figere absque venia S. Pontificis, sub poena *suspensionis a divinis l. s.*

SIC AUTEM PROSEQUITUR
ET EXPLICIT CONSTITUTIO SANCTISSIMI PATRIS DE QUA AGIMUS.

« Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hacte-

nus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

« Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerint: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

« Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV cap. VI De reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas Eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

« Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes,

et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

« Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

« Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus nostri anno vigesimo quarto ».

INDEX SYNOPTICUS

LIBER II.

De Iudiciis Criminalibus in genere et in specie De Delictis et Poenis Praemisso Tractatu.

PROOEMIUM

LIBER II. - PARS I.

De delictis et poenis.

TITULUS I.

DE DELICTIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE RATIONE ET FUNDAMENTO POTESTATIS POENALIS ECCLESIASTICAE.

Caput II.

DE DELICTI NOTIONE.

§ 1. *Nonnulla specialiter explicantur de damno et de dolo seu de elemento tum obiectivo tum subiectivo delicti.*

§ 2. *De quasi — delictis.*

§ 3. *De violatione legum poen. quae magis* bonum *societatis quam* iura *civium tuentur, seu de* transgressionibus.

§ 4. *De conreis delictorum, seu de pluribus qui in idem delictum concurrunt.*

§ 5. *De criminibus quae subsunt competentiae Ecclesiae et de fori privilegio quoad Clericos.*

TITULUS II.

DE NOTIONE POENAE ECCLESIASTICAE.

CAPUT I.

DE DIVERSIS SPECIEBUS POENARUM ECCLESIASTICARUM.

§ 1. *De diversis modis ferendi seu constituendi poenas.*

§ 2. *De ratione interpretandi leges poenales.*

TITULUS III.

DE CENSURIS.

§ 1. *Potiores regulae quoad potestatem ferendi censuras et harum vim seu quoad subiectum activum, eorumque subiectum passivum.*

§ 2. *De subiecto passivo censurarum.*

Caput I.

DE POENARUM DISPENSATIONIBUS ET ABSOLUTIONIBUS.

§ 1. *Cuinam competat dispensare vel absolvere.*

CAPUT II.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

TITULUS IV.

DE EXCOMMUNICATIONE.

TITULUS V.

DE INTERDICTO.

TITULUS VI.

DE SUSPENSIONE.

TITULUS VII.

DE POENIS PROPRIE DICTIS.

§ 1. *De diverso ordine quo poenae inferuntur; quum nempe aliquando a poenis aliquando a censuris initium sumendum sit.*

TITULUS VIII.

DE IRREGULARITATIBUS.

§ 1. *Quinam irregularitates contrahere possint.*

§ 2. *De modis quibus tollitur irregularitas: in primis de dispensatione.*

CAPUT I.

DE SINGULIS IRREGULARITATIBUS EX DELICTO TANTUM PROVENIENTIBUS.

§ 1. *De irregularitate ex iteratione baptismatis eiusque receptione a ministro haeretico.*

§ 2. *De irregularitate ex vetito ordinum exercitio.*

§ 2. *De modis quibus tollitur irregularitas: in primis de dispensatione.*

Caput I.

DE SINGULIS IRREGULARITATIBUS EX DELICTO TANTUM PROVENIENTIBUS.

§ 1. *De irregularitate ex iteratione baptismatis eiusque receptione a ministro haeretico.*

§ 2. *De irregularitate ex vetito ordinum exercitio.*

§ 2. *De modis quibus tollitur irregularitas: in primis de dispensatione.*

Caput I.

DE SINGULIS IRREGULARITATIBUS EX DELICTO TANTUM PROVENIENTIBUS.

§ 1. *De irregularitate ex iteratione baptismatis eiusque receptione a ministro haeretico.*

§ 2. *De irregularitate ex vetito ordinum exercitio.*

§ 2. *De modis quibus tollitur irregularitas: in primis de dispensatione.*

CAPUT I.

DE SINGULIS IRREGULARITATIBUS EX DELICTO TANTUM PROVENIENTIBUS.

§ 1. *De irregularitate ex iteratione baptismatis eiusque receptione a ministro haeretico.*

§ 2. *De irregularitate ex vetito ordinum exercitio.*

TITULUS IX.

DE DELICTIS ET POENIS IN CONCRETO; SCILICET DE POENIS IN GRAVIORA DELICTA CONSTITUTIS.

Caput I.

DE CRIMINIBUS DIRECTE CONTRA DEUM ADMISSIS SEU DE APOSTASIA ET HAERESI.

Caput II.

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM.

§ 1. *Notiones praeviae in Decreta Generalia.*

§ 2. *De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris.*

§ 3. *De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium S. Scripturae, nec non de versionibus vernaculis S. Scripturae* (1).

§ 4. *De libris oscenis.*

(1) Haec ultimi pars paragraphi per errorem omissa est in textu.

§ 5. *De quibusdam specialis argumenti libris.*

§ 6. *De sacris Imaginibus et Indulgentiis.*

§ 7. *De libris liturgicis et precatoriis.*

§. 8. *De diariis, foliis et libellis periodicis.*

§ 9. *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

§ 10. *De denunciatione librorum pravorum.*

CAPUT III.

DE CENSURA LIBRORUM.

§ 1. *De praelatis librorum censurae praepositis.*

§ 2. *De censorum officio in praevio librorum examine.*

§ 3. *De libris praeviae censurae subiiciendis.*

§ 4. *De Typographis et editoribus librorum.*

§ 5. *De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.*

CAPUT IV.

DE PROHIBITA TOLERANTIA HAERETICORUM ET DE INFIDELIBUS DEVITANDIS OB PERICULUM PERVERSIONIS.

TITULUS X.

DE GRAVIORIBUS CRIMINIBUS IN CHRISTI ECCLESIAM EIUSQUE PRAELATOS ADMISSIS.

CAPUT I.

DE SCHISMATICIS ET DE IIS QUI ROM. PONTIFICI OBEDIENTIAM DETRECTANT.

Caput II.

DE IIS QUI SIVE EXERCITIUM IURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE INTERNI AUT EXTERNI FORI IMPEDIUNT, SIVE CURIAE ROMANAE ACTA AUT LITTERAS APOSTOLICAS VEL AB EXECUTIONE PROHIBENT VEL CORRUMPUNT.

Caput III.

DE IIS QUI IURISDICTIONEM VEL SPIRITUALEM VEL TEMPORALEM, POTISSIMUM CIVILEM ROM. PONTIFICI COMPETENTEM, USURPANT AUT BONA PATRIMONIALIA ECCLESIASTICA USURPANT, DISTRAHUNT, DETINENT.

Caput IV.

DE IIS QUI REALI INIURIA, NIMIRUM IN CORPUS PERPETRATA, AFFICIUNT PERSONAS ECCLESIASTICA DIGNITATE POLLENTES VEL CLERICOS QUOSCUMQUE.

TITULUS XI.

DE CRIMINIBUS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM VEL IN USU ALIARUM RERUM SACRARUM ADMISSIS (REMISSIVE) (1).

TITULUS XII.

DE CRIMINIBUS ADMISSIS IN LEGEM NATURALEM-DIVINAM OBNOXIIS LEGI POENALI ECCLESIAE (REMISSIVE).

TITULUS XIII.

DE CRIMINIBUS A CLERICIS IN DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM ADMISSIS (REMISSIVE).

ALLEGATA.

(1) Hic titulus et alii subsequentes explicabuntur in vol. IV.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.

Iosephus Ceppetelli, Archiep. Myr. Vicesgerens.

